SCRIPTA HISTORICA

ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

Landsbókasafn Ísl.

VOLUMEN UNDECIMUM.

CONTINENS HISTORIAM DE PIRATIS JOMENSIBUS; ENCOMIUM IN PIRATAS JOMENSES; HISTORIAM KNUTIDARUM; FRAGMENTA DUO AD RES DANICAS PERTINENTIA; PARTICULAM DE HAKONE HAREKI FILIO; NARRATIUNCULAM DE AVARITIA ARCHIEPISCOPI ABSALONIS ET DE COLONO QUODAM.

HAFNIÆ, 1842.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

HISTORIA
DE PIRATIS JOMENSIBUS;

ENCOMIUM

IN PIRATAS JOMENSES;

HISTORIA KNUTIDARUM;

FRAGMENTA DUO AD RES DANICAS PERTINENTIA;

PARTICULA HISTORICA DE HAKONE HAREKI FILIO;

DE AVARITIA ARCHIEPISCOPI ABSALONIS ET DE COLONO QUODAM.

EX VETERE SERMONE LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS

IN ISLANDIA.

HAFNIÆ, 1842.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

Quæ in hoc volumine continentur scripta historica, sunt sequentia:

1. *Historia de piratis Jomensibus*, secundum codicem membraneum Legati Arnamagnæani N. 291 formæ quartæ (not. lit. *A*), qui exeunte seculo 13, aut ineunte 14 exaratus, codicumque membraneorum Islandicorum in vetustissimis esse putatur, cujus accuratior descriptio peti potest ex præfatione *Fornm. S.* Vol. 11. Cum hoc codice collati sunt tres alii codices: *a*) apographum codicis membranei N. 7 Bibliothecæ regiæ Holmiensis, manu propria b. Raskii exceptum, notatum lit. ***R***, in priori historiæ particula maximam partem cum Cod. *A* conspirans, etsi expositionem aliquanto contractiorem, in primis in particula posteriori, sectetur; secundum quod apographum particula posterior, historia de piratis Jomensibus, curante Societate nostra, edita est Hafniæ 1824. *b*) Historia piratarum Jomensium, qualem historiæ Olavi Tryggvidæ N. R. intexuit Codex Flateyensis (*F*); quo pertinet expositio historiæ Olavi Tryggvidæ, editæ Skalholti in Islandia 1689, nec non cartacei, N. 14, 15 et 57, formæ maximæ, et N. 288 et 292 formæ quartæ ex Collectione Arnamagnæana; qui codices ad codicem *A* proxime accedunt, cum eoque permultis locis ad verbum congruunt in posteriori parte historiæ. *c*) Codex membraneus, N. 510 forma quarti, ex Collect. Arnam. (not. lit. *B*), decimo quinto, ut putatur, seculo exaratus; incipit a particula posteriori, ceterisque multo verbosior, ad recentiorem dictionem haud parum inclinat. Huic codici

magnam partem adspirant cartacei, N. 13 in folio, N. 289, 290, 293 in quarto, e Collect. Arnam. Quo et editio Hamarsköldiana, Holm. 1815, pertinere videtur.

2. *Encomium piratarum Jomensium*, auctore Bjarnio episcopo, ex codice membraneo, Magnæ Bibliothecæ Regiæ ornamento, qui Eddam Snorrianam continet, desumtum, notat. lit. *A*. Quod encomium quum in codice ipsam Eddam excipiat, et in ima pagina desinens ab alio carmine excipiatur, apparet, plures versus hujus encomii in codice non extitisse, quanquam perspicuum sit, idem a parte postrema mancum esse. Apographum hujus encomii, a sacerdote Jone Erlendi filio ex ante memorato Eddæ codice descriptum, quod olim episcopo Br. Svenonio fuerat, servat Codex N. 65 forma folii in Collect. Arnam. Ceterum idem encomium cum Cod. 61 forma folii, secundum quem historia Olavi Tryggvidæ impressa est Hafn. 1825-7 (not. lit. *O*), collatum et suppletum est.

3. *Historia Knutidarum*. Hujus prima pars (cap. 1 ad initium cap. 28) desumta est ex codice cartaceo, N. 20, *d*. forma quarti, editioni Hafniæ forma folii impressæ ad omnia congruo, notato lit. *A*; proxima pars (ab initio cap. 28 ad finem cap. 88) ex codice membraneo, N. 180, *b*. forma folii, notato lit. *B*, eo quod olim librariam episcopi Brynjulvi Svenonii ornarat; ultima pars (a cap. 88 ad finem usque historiæ) ex editione Hafniensi (notata lit. *K*), simulque ex autographo Arnæ Magnæi No. 18 forma folii, notato lit. *M*, quod maximam partem cum *K* conspirat. Cum his codicibus collati sunt sequentes codices et fragmenta: *C* = cartaceus N. 19 forma folii, qui incipit a cap. 22 et pertinet usque ad finem historiæ; *K* = cartaceus N. 18 forma folii, paulo ante memoratus, in quo magna historiæ pars inde a cap. 3 usque ad cap. 82 desideratur; quatuor fragmenta membranea, N. 20, a. b. c. forma folii, ex Collect. Ar-

nam., notata literis ***E***, ***F***, ***G***, ***H***, quorum duo prima magnam antiquitatem præferunt, initio seculi 14 vix inferiora, proximum ejusdem ferme ætatis, ultimum seculo 14, ut videtur, exaratum; ***S*** = codex cartaceus, N. 55 forma folii, regiæ Bibliothecæ Holmiensis; ***V*** = codex cartaceus, N. 41 eadem forma, atque ex eadem Bibliotheca.

4. *Primum fragmentum historicum*, secundum duo continua folia membranea, N. 1eβ. forma quarti, in Collect. Arnamagn., exarata, ut putant, seculo 14; quod fragmentum antea editum est in Langebekkii Scriptorum Rerum Danicarum Tom. 2 pag. 25-37.

5. *Alterum fragmentum historicum*, desumtum ex codice membraneo Collectionis Arnamagnæanæ, N. 415 forma quarti, notato lit. *A*, qui quum annales et seriem Regum Danicorum et Norvegicorum, desinentes in annum 1319, contineat, circa hunc annum aut paulo ante exaratus fuisse videtur. Cum hoc fragmento, quod antea editum est in Langebekkii Script. Rer. Dan. Tom. 2 pag. 146-53, collatus est Codex Flateyensis (*F*), cujus columna sexta et septima id continet.

6. *Particula de Hakone Hareki filio*, secundum codicem cartaceum N. 347 forma quarti, notatum lit. *S, a.*, quocum exscripta *S, b.*, *S, c.*, *S, d.*, et *S, e.*, quæ in eodem codice reperiuntur, ut et exscriptum cartaceum in codice N. 554, *h* forma quarti, collata sunt. Eodem pertinent duo fragmenta membranea in codice N. 567 et 589, *e* forma quarti, item exscriptum cartaceum N. 582 in quarto, quod cum *S, a.* congruit.

7. *De avaritia archiepiscopi Absalonis et de colono quodam*, secundum codicem membraneum N. 624 forma quarti, notatum lit. *A*, seculo, ut videtur, decimo quinto exaratum, collatum cum exscripto cartaceo N. 578, *k* forma quarti, notato lit. *B*.

De conspectu chronologico monendum est, quod anni

secundum ordinem rerum gestarum, quatenus a scriptore indicatur, digesti sunt. Scriptores veteres Islandos, in primis quum res exoticas tractent, interdum errare, nemo negabit. Sic certo Eiricus Emunius, D. R., necatus est anno 1137, sed annus 1138 cum mente scriptoris optime congruere videtur. Annum emortualem Valdemaris I., D. R., ad annum 1184 deduxi, propter synchronismum cum Magno Erlingi filio, R. N., quanquam historia Sturlæorum (Libr. 2, 121) eum ad annum 1182 referat. Varias res gestas, in historia piratarum Jomensium allatas, quum nulli certæ chronotaxi superstrui videantur, in hoc conspectu omisi.

In hoc volumine duo carmina, a me antea (Vol. 1. p. 192 et 200) minus recte ordinata et explicata, correxi. Tertium locum, cujus constructionem et interpretationem verbalem in *Fornm. S.* Vol. 12 p. 26 nude proposui, fusius in sequentibus tractabo.

Excursus de loco difficili, *Fornm. S.* Vol. 1. p. 27, Script. hist. Isl. Vol. 1. p. 28.

Hrot gyljaþar hylja
hrafn vins . . . . . .

Quum hunc locum, quem in difficillimis esse judicavi, in Script. hist. Isl. Vol. 1. p. 28-30 interpretarer, duas proposui explicandi rationes, quarum neutra mihi nunc probatur: prior, quod voculam *skjótt* in *sjót* mutaveram, quodque interpretationem in *Hk.* propositam secutus, vocem *gyljaþar* in duas voces, *gylja þar*, diviseram; neque posterior, etsi aliquanto forte magis tolerabilis, satisfacit, dum maxime nitatur incerta significatione vocis *geljaðr*, quam de gladio acceperam. Aliam viam ingreditur Hk. T. 6 p. 22, construens: *þar hrot vins hylja gilja hrafn* ɔ: ubi profluvia gurgitum vini (rubri, i. e. sanguinis) delectant corvum. Sed hanc constructionem, etsi fundat sensum perquam aptum et veterum poetarum cogitationi convenientem, loquendi usus poeticus ægre

admittit; nam, si *víns hylr* de gurgite sangvinis accipitur, sequitur, *vín* (vinum) de sanguine accipiendum esse; id quod nullo modo probari posse existimo. Effusum in pugna sanguinem appellari *hrafnvín* (Fm. S. 2, 175, 1: Eyrb. 19, 11), *vitnis vín* (Fm. S. 7, 236, 1), *hræviń* (O. Trygg. ed. Skalh. 2, 304, sec. membr. 132 vitæ Halfredi), *valvín* (Korm. 8, 1), *svíra vín* (Krákumál 7), aliud quiddam est; nam in duobus primis exemplis *vín* metonymice usurpatur pro potu delicato, in tribus postremis pro fluido, liquore. Neque tuto confugitur ad Njalæ cap. 40, ubi occurrit locutio, *at vinna varg vín*; hoc enim nihil aliud sibi vult, quam potum lupo comparare, præbere.

Quod ad lectiones adtinet, Cod. membr. *A* (Fm. S. Vol. 1) et duo Codd. cartacei Hk., *C* et *D*, exhibent h. l. *gyljaðar* s. *gyljaþar;* Cod. membr. *E* (codex Frisianus, unicus Hk. primæ partis membraneus) *giljaðar*, quocum consentit hist. Ol. Trygg. ed. Skalh.; Cod. Flat., *geljaðar*. Ex quibus lectionibus præferendam h. l. puto lectionem Codicis Frisiani, *giljaðar*, quum metri lex regularis hujus versus postulet consonantiam semiplenam (*giljaðar* — *hylja*), cui etiam bene consulit lectio codicis Flateyensis, *geljaðar*, quam vocem re vera eandem esse puto, vocali *e* in pronuntiando depressiori; quanquam fateor, lectionem *gyljaðar* nonnisi aliam formam esse ejusdem ipsius vocis et huic arcte cognatam, sed hoc loco, si strictiores artis regulæ spectentur, minus aptam. Ceterum omnes codices in hoc verbo conjunctim scribendo consentiunt, unde hæc vox (*giljaðr*) formam repræsentat substantivi verbalis, agentem designantis, quod ipsum in Scr. hist. l. c. significaveram. Præter has formas notanda est forma *hrott*, quam exhibet tam editio Peringskjoldiana (Hk. *B*), quam Skalholtina, pro *hrot*, etsi posterior editio eam cum voce *giljaðar* minus recte conjungat. Quæ editiones etsi, ratione carminum habita,

sæpe sint vitiosæ, tamen hæc forma h. l. pro recta haberi debet, quum aliis exemplis postea adducendis confirmetur.

Igitur hanc sententiam sic construendam et vertendam existimo: ***hylja hrafnvins giljaðar hrot***, i. e., armatura prœliatoris crepitavit (vel dirupta est). Nimirum puto poetam ob oculos auditorum ponere voluisse momentum illud, quo rex Hakon Adalsteinis-alumnus, victis hostibus, fugientes persequatur; adeoque h. l. describi aut regis in persequendis hostibus ardorem, aut prœlii jam profligati periculum, in quo regis armatura telis hostium collisa fuerit. Quæ constructio quum ponat, vocem *hylja* esse substantivum, *hrafnvins giljaðr* circumscriptionem bellatoris, *hrot* verbum, de his singulis vocibus separatim dicendum est.

a) *Hylja* accipio pro nomine substantivo et subjecto sententiæ, hancque vocem eandem esse puto atque hodiernum *hula*, operimentum, tegimentum, velamen, et h. l. de tegimento militari, i. e., lorica, usurpari, præsertim quum adjiciatur *hrafnvins giljaðar* (bellatoris). Quæ forma (*hylja*), etsi, quantum reminiscor, hoc solum loco occurrit, tamen haud improbabilis existimari debet in lingua veteri Borealium, tum quod *y* sæpius cum *u* permutatur, quum harum vocalium soni in pronuntiatione haud dubie inter se perquam similes fuerint, tum etiam quod terminatio feminina *ja* interdum simul cum aliis terminationibus femineis consistat, v. c. *drekka* cum *drekkja*, potus: *ferja* et *fera*, iter, cum *för* et *ferð*: *fylgja*, comitatus, cum *fylgð*. *Kilja*, tegimentum (*Fm. S.* 6, 362), haud dubie tantum vocali ac terminatione differt a *kyla*, lacerna, quod occurrit in historia Laxdalensium (*hángir vot á vegg, veit hátt kylan breið*), et, ut puto, cum voce hujus loci, *hylja*, aliquam cognationem habet. Quin, inclinat animus, ut aliam cognatam formam, *hyla* (= hodiernæ *hula*), tegimentum, extitisse putem, hanc-

que occurrere in voce composita *hylrið*, Thorsdrapæ v. 11; quo loco, mea quidem sententia, construenda sunt *Hèðins reikar hylrið*, prœlium, a *Hèðins reikar hyla*, capitegmen Hedinis (reguli maritimi), galea. Quibus accedit, quod verbum *hylja*, tegere, velare, ex quo hoc nomen derivatur, de induenda armatura usurpatur, *Háttal.* 2, *hylja axla limu hringum*, ramos humerorum (lacertos) anulis contegere, lorica anulata se inducre.

b) *Hrafnvíns giljaðr* accipio pro circumscriptione bellatoris. Formæ, *giljaðr* et *geljaðr*, qui lactat, allicit, illicit, *gyljaðr*, qui voluptate adficit, delectat, duæ priores a verbo *gilja*, postrema a *gylja*, forma cognata verbo *gøla*, lactare, delectare, placare, descendunt a verbo *gel*, imperf. indic. *gól*, imperf. conj. *gøla*, infin. *gala*, incantare, fascinare (vide Raskii *Kortfattet Vejledning* pag. 69 §. 164). Verbo tenus expressum *hrafnvins giljaðr* est is, qui corvum potu allicit; qui significatus forsitan evidentius in oculos incurreret, si positum fuisset *hrafnvingiljaðr* sine nota genitivi; sed hanc adjectam esse puto, eo quod appositum circumscriptionis ab ejusdem subjecto disjunctum sit. Quod ad compositionem hujus appellationis poeticæ adtinet, conferri potest circumscriptio *ár-ramn-gefendr* (*Fm. S.* 11, 188, 189), qui corvo alimenta suppeditant, prœliatores, milites; quæ denominatio, quamvis differente situ singularum circumscriptionis partium, omnino parallela est nostro *hrafn-vín-giljaðr*.

c) *Hrot* et (duplicato *t*) *hrott* pro verbo accipio, et quidem ex veteris linguæ borealis formis vetustissimis, nimirum pro imperfecto verbi *hrjóta*, præs. *hrýt*, imperf. vet. *hrot* (*hrott*), recent. *hraut*. Tales formæ cum vocali simplice, loco diphthongi, confirmantur frequenti illa particula *brot*, *brott*, *brøt*, *braut*. Forma durior, *hrott*, præterea duobus locis, uno prosaico, altero poetico, firmatur. *Íslendinga Sögur*, Hafn. 1830, Vol. 2. pag. 297 sic habent: *ok svá laust hann harðt við, at öxin hrott*

brott or hendi honum Þorgauti, i. e. ictum telo excepit tanta vi, ut securis e manu Thorgoti excuteretur. Hæc pars vitæ Vemundi ac Skutæ homicidæ, ex qua hæc adduximus, desumta est ex perbono fragmento membraneo, ut ex præfatione libri citati apparet; et h. l. *hrott* aperte positum est pro *hraut* a verbo *hrjóta*, ut in nostro loco. Verbum *brjóta*, frangere, in veteri lingua boreali imperfectum formasse per *brot*, *brott*, loco formæ recentioris *braut*, demonstrat semistropha, quam servavit vita Rafnis Sveinbjörnis filii nondum typis evulgata, quæ semistropha sic se habet:

Sviþr brott sinni öðru
sundr menbroti grundar
brast glymfjötr gestils
garð fyrir knarrar barði.

Quæ semistropha sic in ordinem prosaicum redigenda est: *sviþr menbroti brott sundr grundar garð öðru sinni, glymfjötr gestils brast fyrir knarrar barði*, i. e. prudens, liberalis ille vir aggerem terræ (mare) altera vice perfregit (altera vice profectionem maritimam suscepit), unda ante proram navis cum sonitu ruebat. Quo loco *brott* sine omni controversia ponitur pro *braut*, imperf. v. *brjóta*.

Harum formarum veritate sic probata et illustrata, restat, ut significatio verbi *hrjóta* adtingatur; usurpatur de motu celeri, volare, jaci, dispergi; usurpatur et de sono gravi et stridenti, ut de rhonco dormientium, ruditu ursorum, stridore aut crepitu flammæ. Qui uterque significatus nostro loco convenit, quum sensus esse possit, armaturam regis aut inter prœliandum diruptam fuisse, aut crepitasse, victore fugientibus insistente.

HIC INCIPIT HISTORIA DE PIRATIS JOMENSIBUS.

Particula prior.

Gormus nomen fuit regi. Daniæ imperanti, qui dictus est improlis; is erat imperiosus, et apud suos gratiosus, diuque regnum administraverat, cum res mox dicendæ acciderunt. Eodem tempore Saxoniæ præfuit subregulus Arnfinnus, quæ præfectura ei ab rege Carolo Magno tradita fuerat. Hunc inter atque regem Gormum bona intercedebat amicitia: ambo enim una fuerant in piratica. Erat subregulo soror venusta; ad quam cum animum, supra quam oportebat, adjecisset, ex ea infantem genuit; celataque forte re, misit qui natum ablegarent, monens, ne prius ab infante abscederent, quam, quid de eo factum esset, cognovissent. Hi in Daniam delati, cum prope silvam aliquam constituti sensissent, adesse in silva regem Gormum cum satellitibus, infante sub arbore quadam deposito, fuga se subduxerunt. Rex vespere domum rediit, omnesque setellites, præter duos fratres, quorum alteri nomen Halvardo, alteri Havardo, qui eo loco restiterant. Hi progredientes ad mare, auditum forte vagitum infantis procecuti sunt, rei ignari. Hic sub arbore quadam infantem repererunt, et supra ingentem nodum ramis innexum. Amictus erat infans pretiosissima bombyce coccinea, caput fascia bombycina circumvinctum, cui aurum (an-

nulus aureus), trientem unciæ pendens innexum erat[1]. Tollunt infantem, et secum domum portant; ingrediuntur aulam, quo tempore rex et aulici poculis adsederunt; incusant sese, quod regem comitari domum neglexissent. Quibus rex respondet, dicens se eis ob hoc non succensurum; et jam significarunt regi, quid novi in itinere eorum accidisset. Rex postulavit, ut puer sibi monstraretur, jubens apportari. Intuenti eum vultus pueri bene probaretur, loquitur: hic, credo, magnis est natalibus, beneque accidit, quod repertus est. Dein puerum aqua fecit lustrari, et nomen imponi, Knutumque appellari: idque ea de causa, quod puer, cum inventus est, innexum fascia annulum in fronte gesserat; qua ex re nomen sumsit rex, quod puero indidit; eidem nutricem dedit boni nominis, eum gnatum suum appellavit, bene eum tractavit, et admodum dilexit. Cum ætas Gormi regis processisset, senex jam factus, morbum nactus est, sibi fatalem; et ante quam moreretur, eum intelligeret, quorsum valetudo sua exitura esset, amicos suos ad sese cognatosque vocavit, hosque rogavit, suo ut arbitrio permitterent, cui se mortuo cives ac regnum jurejurando accederent, quod ut eorum voluntate fieri liceret, postulavit: significat, velle se Knuto totum regnum dare, eidemque omnes eas res, quæ majorem ei quam antea auctoritatem conciliarent, se mortuo concedere. Qui cum civium gratia valeret, suisque esset carissimus, affirmant, hujus rei arbitrium penes regem fore, moxque confectum negotium est, et post hæc rex vita sua fungitur. Jam accipit Knutus regum et cives et omnes opes, quæ Gormo fuerant, et suorum sibi gratiam con-

[1]) Antecedentia, cum in *A* legi non potuissent, ex *R* desumta fuerunt.

ciliat; [gignit sibi unum filium, qui Gormus nominatus est, qui primo Stultus, deinde, cum ad justam ætatem pervenerat[1], Grandævus et Potens appellatus est.

2. Haraldus nominatus est dynasta, qui Holsatiæ præfuit, cognomine Klakkius, vir sapiens. Unam habuit filiam, nomine Thyriam, quæ omnium feminarum erat sapientissima, et somnia callidius quam ceteri mortales interpretabatur; eadem et aspectu venusta. Eo loco dynasta omnem versari existimabat regni administrationem, quo loco versabatur filia sua; quare eam omnium consiliorum fecit participem, summoque amore prosequebatur. Atque tum, cum Gormus in justam staturam excreverat, regiamque dignitatem acceperat, e regno profectus est, eo consilio, ut filiam Haraldi dynastæ peteret. Qui si gnatam sibi nuptum dare recusaret, animo statuit, dynastam infesto exercitu aggredi. Haraldus dynasta ac filia ejus Thyria de profectione et consilio regis Gormi certiores facti, missis obviam nuntiis, eum ad honorificum convivium invitant; quo ille accepto, ibi commoratur magno honore habitus, negotio suo intentus. Cumque dynastæ causam adventus sui aperuerat, hic ea dat responsa, rem penes ipsam fore: multo enim est ea me prudentior. Cumque rex ei ipsi rem proposuisset, tum ea sic loquitur: hac quidem vice hoc non conficit, quin tu re sic gesta domum redito, eximiis et splendidis muneribus donatus. Sin vero tibi curæ est, mecum ut jungaris matrimonio, tum simul atque domum veneris, faciendam curato ædem ea fere magnitudine, ut in ea quiescere tibi commodum sit; eo loco ponenda ædes, ubi nulla ædes antea sit facta: in hac æde [2]dormito prima nocte hiemis, atque tres

[1]) sic *R*; non conspiciuntur in *A*. [2]) solus, *add F*.

noctes continuas, et si quid somnies, exacte memoria teneas; deinde homines ad me mittas, qui mihi somnia tua, si qua erunt, referant, tumque his edicam, potiturus sis connubio, an non. Ceterum non est, cur hanc conditionem repetitum eas, si nihil somniabis. Atque post hoc eorum colloquium rex Gormus haud diu huic convivio interfuit, sed ad reditum se paravit, cupidus tentandi hanc ejus prudentiam remque ab ea præscriptam; atque jam domum proficiscitur, magno honore et amplis muneribus donatus. Et cum domum pervenerat, omnia sic, uti præceperat illa, exsequitur: faciendam curat ædem; quo facto hanc ædem ingreditur, uti præceptum erat; extra ad ædem trecentos armatos locat, qvi vigilarent et excubias agèrent, veritus insidias; jam in lecto, qui in æde factus erat, decumbit, et obdormiscit, et postea somniat, in eademque æde tres noctes dormit. Jamque post hæc rex nuntios ad dynastam et Thyriam, filiam ejus, mittit, qui somnia sua renuntient. Qui cum ad dynastam et filiam ejus venissent, liberaliter excipiuntur; mox regis somnia filiæ dynastæ exponunt. Tum ea, auditis somniis, locuta est: nunc vos hic, quamdiu vobis libitum fuerit, maneatis; hoc vero regi vestro referatis licet, me ei nupturam. Et reversi domum, has res regi referunt. Quibus auditis rex, curis levatus, hilarisque factus, brevi post domo iter parat magno cum comitatu, hoc negotium transacturus; atque [felici defunctus itinere pervenit in[1] Holsatiam. Haraldus dynasta, præcepta de profectione ejus fama, splendido apparato convivio eum excepit; moxque illi (Gormus et Thyria) matrimonii amorisque fœdere juncti sunt: hoc vero oblectamenti

[1]) sic *F*, non conspiciuntur in *A*.

in convivio (nuptiali) adhibitum est, ut rex Gormus somnia sua referret, ea vero relata interpretaretur. Rex ita dicit, somniasse se prima nocte hiemis, et tribus noctibus, quibus in æde dormivisset: hoc somniavit, visum esse foris constitutum, et totum regnum suum oculis perlustrare; vidit mare tam longe ab terra recedere, quantum conspectus oculorum ferre non potuit, tantusque extitit maris recessus, ut omnia freta insulas interluentia omnesque sinus exsiccarentur. Quo facto vidit tres boves albos e mari escendere et in terram excurrere, prope ab eo loco, ubi ipse fuit; qui, quo loco advenerant, omnem herbam depasti, gramine nudo solo relicto, recesserunt. Alterum somnium, huic perquam simile, tale erat: visi adhuc sunt ei tres boves e mari egredientes, colore rubro, valde cornuti: hi quoque, velut priores, ubi aliquantum temporis eo loco commorati erant, gramina terræ depasti in mare recesserunt. Adhæc tertium somnium ei oblatum, his consimile: visus sibi est rex tres boves videre mari egredientes, omnes colore nigros, cornibus multo maximis; qui aliquantisper morati, eadem via abscesserunt, et in mare regressi sunt; et post hæc visus est sibi tantum audire fragorem, ut per totam Daniam exaudiri putaret, quem ab æstu maris ad terram accedentis ortum intelligebat. Nunc autem velim, ait, regina, somnia interpreteris in oblectamentum convivarum, tuamque sic sapientiam ostendas. Ea non recusavit, somniaque interpretari cœpit, primoque incepit explicare somnium, quod primum erat, atque sic loquitur: ubi boves colore albo e mari in terram egressi sunt, ibi tres fore auguror hiemes magnas, tantamque decidentium nivium vim, ut omnis frugum proventus

totam Daniam sit frustraturus. Ubi vero alii tres boves tibi visi sunt e mari egredientes, coloreque rubro esse, ibi venient aliæ tres hiemes, parum quidem nivosæ, nec tamen exiguæ, quod tibi visi sunt boves depasci gramina terræ. Quod vero tertii boves e mari egrediebantur, colore nigro, tertiæ venient tres hiemes, quæ tam erunt acres, ut dicturi sint omnes, se tales non recordari, tamque atra caritas et calamitas terræ ingruet, ut exemplo sit pæne caritura; hoc vero quod tibi visi sunt boves valde cornuti esse, portendit multos rebus, quæ ipsis sint, spoliatum iri. [Quod autem omnes regressi in mare sint, [ea dixit anni difficultatem ab terra recessuram, et in mare redituram[1], unde boves[2] advenissent. Quod vero ingentem fragorem audivisti, accedente maris æstu, hoc prænuntiare credo potentium virorum certamina, qui hic in Dania congredientur, præliaque et magnas pugnas committent; in ea quoque opinione sum, horum, qui istis bellis erunt impliciti, quosdam te cognatione attingere; et si hoc, quod postremum somnii fuit, prima nocte somniasses, bellum tua ætate erupturum esset; nunc vero nihil nocebit; neque ego tecum iniissem matrimonium, si ita somniasses, uti antea demonstravi. Hæc autem omnia, quæ de difficultate annonæ habuisti, somnia procurare potero. Et jam post hoc convivium ingrediuntur iter, rex Gormus ac Thyria regina, domum in Daniam profecturi; multasque naves frumento alioque commeatu onerandas curarunt, et sic annonam in Daniam intulerunt, et quovis deinceps anno, donec ingruit difficultas annonæ,

[1]) *a posteriori signo omitt. A, unde apparet Cod. A ex alio codice exscriptum esse, una linea a librario omissa, textus h. l. sequitur cod. F.* [2]) *quæ a priori signo sunt, omitt. R.*

quam ea prædixerat. Ut vero ingruit fames, nihil neque ipsis damni, neque ceteris attulit, qui prope eos in Dania habitabant, propter commeatus ab ipsis provisos: nam omnibus civibus magnam copiam rerum necessariarum subministrabant. Hinc Thyria omnes matronas, quas Dania tulisset, prudentia superare vulgo existimata est, nomenque *Danmarkarbót* (Daniæ levamentum v. ornamentum) adepta est. Regi Gormo et Thyriæ duo fuere filii, quorum majori natu nomen erat Knuto, minori Haraldo. Quorum cum uterque magnam sui spem faceret, tamen Knutus in pueritia fratre prudentior erat, et plerosque homines pulcritudine, corporis animique præstantia, peritiaque omnium artium, quæ eo tempore colebantur, superavit; idem albo colore conspicuus, artis naturæque bonis omnes antecelluit; adolevit apud avum suum dynastam Haraldum Klakkinm, qui Knutum educavit magnoque amore dilexit; in adolescentia apud omnes gratiosus fuit. Haraldus autem in aula patris educatus, fratre multo fuit junior, primaque jam ætate ferocis ac vehementis ingenii, et tractatu difficilis: qua re factum est, ut in adolescentia omnes a se alienaret.

3. Fertur rex Gormus legatos aliquando ad soceram Haraldum misisse, eumque ad se invitasse ad jolense convivium. Accepta conditione dynasta se proxima insequenti hieme convivio adfuturum promisit; quo facto rediere legati, regique venturum satrapam ad convivium renuntiarunt. Cumque adesset tempus, quo dynasta se itineri domo accingeret, quales libuit itineris comites ad convivium delegit, quorum numerus memoriæ non proditus est. Hi susceptum iter contenderunt, donec ad sinum Limicum

(brachiatum) pervenerunt. Hic arborem quandam stantem conspexerunt, cujus natura ipsis mirabilis videbatur: nimirum excreverant in arbore poma admodum quidem exigua, sed viridia ac florentia; sub arbore vero alia jacebant poma vetusta magnaque. Quæ cum magnopere demirarentur, dynasta miraculo rei permotus, quod poma eo, quod tunc erat, anni tempore virerent, illis, quæ præcedenti æstate adolevissent, sub arbore remanentibus: revertemur, inquit, neque longius procedemus. Itaque dynasta cum omni comitatu revertisse, domum pertendisse, ibique reliquum hiemis cum aulicis transegisse dicitur. Regi mirum videri, non adesse dynastam; existimavit tamen, aliquibus gravioris momenti negotiis impeditum remansisse. Aliquantum inde temporis, æstasque proxime insequens nulla re memorabilis. Insequenti hieme rex legatis iterum in Holsatiam missis socerum dynastam ad convivium, ut antea, invitat. Quid multa? dynasta iterum se adfuturum promittit; legati revertuntur, regi exitum negotii renuntiant. Cumque constitutum adesset anni tempus, dynasta domo cum comitibus profectus, iterum ad sinum Limicum contendit, conscensisque navibus trajicere sinum parabat. Memoriæ proditum est, comitatas eos esse canes feminas, catulos uteris ferentes. Ut vero conscenderant naves, visi sunt dynastæ catuli, utero matrum inclusi, ipsis canibus tacentibus, latrare. Quam rem dynasta suique omnes pro dirissimo portento habere, neque longius procedendum censere. Itaque reversi domum contendere, instansque festum jolense domi celebrare. Interea procedit tempus usque ad tertiam hiemem; tum rex denuo legatis missis dynastam invitat ad convivium; qui cum etiam nunc venturum se promisisset, redeunt legati, et regi

exitum negotii renuntiant. Jam dynasta iter denuo domo parat, constitutoque tempore cum comitibus proficiscitur, ireque perseverat, donec cum suis prospero functus itinere ad sinum Limicum pervenit, trajectoque sinu, quod serum diei esset, in ora sinus transigere noctem statuit. Hic oculis eorum oblatum visum est, quod non spernendum existimarunt: nimirum duos conspexerunt fluctus decumanos, alterum in inferiori, alterum in exteriori parte sinus consurgere, invicem contra tendentes, qui cum in magnam molem exsurrexissent, concurrentes collidentesque ingentem maris æstum fragoremque excitarunt, quo accessit, quod mare saugvinis colorem traxisse videbatur. Hic dynasta: hæc magna prodigia sunt, inquit; eis moniti revertemur, mihi enim animus adire convivium refugit. Sic faciunt: redeunt domum; dynasta proximo festo jolensi domi se continet. Altera vero ex parte rex graviter irasci, quod dynasta sæpius invitatus nunquam venire dignatus esset, causæ ignarus, cur vocatus non adfuisset. Itaque eadem hieme rex Gormus Haraldum dynastam, socerum suum, a quo magna se affectum contumelia existimabat, quod honorificam conditionem ab se oblatam indigne respuisset, quippe qui sæpius invitatus nunquam adfuisset, bello persequi statuit. Quo cognito Thyria regina regem a proposito his verbis revocare conata est: quæ te illumque intercedit affinitatis necessitudo, inquit, te minime decet, bellum ei inferre, cum in promtu sint rationes multo honestiores ad hanc rem decidendam. Quibus reginæ monitis rex aliquantum mitigatus, belli inferendi consilium abjicit Inde rex Gormus id consilii cepit, ut missis legatis dynastam arcesseret, causam exquisiturus, cur vocatus non adfuisset: nempe hoc consilium

dederat regina, ut socer ac gener primum convenirent et inter se colloquerentur, tumque viderent, quo loco res versaretur. Jam legati regii ad dynastam delati mandatum regis exponunt, quo cognito dynasta, amplissimis viris comitatus, maxima celeritate ad regem proficiscitur. Rex socerum satis prolixe excipit; mox ambo in curiam secedunt; quo cum pervenissent, rex dynastam interrogat: quæ causa fuit, inquit, quod sæpius invitatus a me adfuisti nunquam, meque ipsum oblatamque conditionem ita sprevisti? Cui dynasta respondit, se hoc minime contumeliæ causa fecisse, quod sæpius invitatus ad convivium nunquam adfuisset, sed alias accessisse causas; deim, quæ viderant prodigia, regi nuntiat, de quibus supra exposuimus; postremo regi se interpretaturum ostendit, si scire averet, quid magna ista portenta significarent aut portenderent. Annuente rege dynasta fatur: de arbore dicere ordiar, quam[1] viridibus et exiguis pomis onustam vidimus, vetustis et grandibus pomis infra jacentibus; id quod novam religionem, quæ has in terras introducetur, portendere existimo, quam religionem, utpote augustiorem, pulcra illa poma repræsentant; eam vero religionem, quæ ad hoc tempus invaluit, repræsentant, credo, poma vetusta; quæ ut in solo jacebant, putredini obnoxia et in pulverem resolvenda, ita hæc religio, altera illa terras peragrante, abolebitur, et in nihilum redacta, tenebrarum instar luce dispulsarum, omnino evanescet. Alterum prodigium fuit, quod catulos in utero canum feminarum latrantes audivimus; hoc significari puto homines natu minores, qui ea temeritate erunt, ut natu majoribus sint oblocuturi; et vero perquam est simile, horum auctoritati

[1]) sub adultam hiemem, *add. B.*

non minus tributum iri, etsi majores natu plerumque consilio prævaleant; hos autem, ad quos ista pertinent, nondum puto in lucem editos: canibus enim tacentibus latrarunt catuli nondum in lucem editi. Tertium prodigium fuere fluctus decumani, quorum alterum in sinus parte interiori, alterum in exteriore, ex adverso exsurgentes, medio sinu concurrentes, et mutuis amplexibus inter se collidentes conspeximus, quorum motu turbatum mare sangvineum colorem reddidit. His portendi puto virorum potentium dissidia, quæ hac in terra orientur, unde gravia præliorum bellorumque incendia erumpent, quorum scintillas aliquas in sinum Limicum, ubi portenta jam memorata nobis oblata sunt, sparsum iri, veri non est absimile. Rex, cui persvasum esset de horum dictorum veritate, prudentiam dynastæ admiratus, omni abjecta ira, socero securitatem pacemque concessit; nam ferunt, antequam rex et dynasta ingressi curiam essent, subornatos a rege, qui dynastam ferro invaderent, si ipsi negligentia et superbia dynastæ factum videretur, ut sæpius ad convivium invitatus nunquam venisset, quod intellecturum se, ubi in colloquium soceri venisset, confidebat; nunc vero, quod non adfuisset, satis esse causæ judicabat. His actis rex et dynasta a colloquio abscedunt, dynasta aliquantum temporis apud generum magno in honore versante. Post hæc gener ac socer gratia reconciliata integraque amicitia digressi sunt Rex dynastam digredientem eximiis muneribus prosecutus est; hic itaque cum comitibus discessit, domumque reversus est. Haud ita multo post Haraldus dynasta in terras australes suscepto itinere pervenit in Saxoniam, christianæ religioni nomen dedit, neque postea unquam in regnum suum reversus est.

4. Sed revertamur ad regem Gormum filiumque Haraldum. Hic, ut primum aliquantum juvenilis vigoris nactus erat, dissidia cum patre exercere cœpit. Hinc rex Gormus id consilii cepit, ut filium ab se dimitteret, traditis aliquot navibus. Haraldus quavis hieme in Dania se continebat, hac terra pro perfugio, ubi tuto viveret, usus. Quod vitæ genus cum aliquantum temporis secutus esset, dicitur ab rege Gormo patre petiisse, ut tantas possessiones tantumque principatum suæ ditioni et dominio adderet, quantum Haraldus Klakkius, avus suus, Knuto dedisset. Quæ postulata cum a patre non impetraret, grave odium inter fratres, Knutum et Haraldum, ortum dicitur: quod Haraldus, qui se jam tum fratri multis in rebus postponi judicaret, postea non minus posthabitum iri suspicatus esset. Et aliquo loco memoriæ proditum est, Haraldum, qui præcedenti æstate piraticam in regionibus orientalibus (maris Baltici) exercuisset, subsequenti autumno in Daniam, ubi hiemare solitus erat, non pervenisse. Alia vero relatio prodit, regem Gormum, legatis in Holsatiam missis, invitasse Knutum filium ad convivium, festo jolensi celebrandum. Justo tempore appetente, Knutus cum comitibus, classe trium navium domo profectus, itineris rationem sic instituit, ut sero die, festum jolense præcedenti, in sinum Limicum appelleret. Eadem ipsa vespera eodem advenit frater ejus Haraldus cum classe novem aut decem navium, e mari Baltico delatus, ubi præcedenti æstate piraticæ faciendæ causa excubaverat. Hic certior factus, eo loco cum tribus navibus præsentem adesse fratrem Knutum, inimicitiis, quæ eos intercesserant, in memoriam revocatis, suos induere armaturam armaque expedire jussit, denuntians: nunc ego ac Knutus

frater rem armis decernemus. Knutus de consilio et proposito fratris Haraldi certior factus, etsi numero copiarum inferior erat, tamen prohibere oppugnantes statuit: mox sui arma capiunt, cuncta ad defensionem parant, Knuto milites cohortante. Mox Haraldus ab omnibus partibus impetum in Knutianos facit, præliumque extemplo inter fratres commissum; quæ pugna accidit ipsa vespera, primam festi jolensis feriam antecedente. Is prælii exitus fuit, ut Knutus caderet, suis omnino, aut pæne, occisis, eo quod Haraldus prævalentem copiarum multitudinem in usum suum convertebat.

5. His confectis rebus Haraldus ac sui cursum contenderunt, donec eo locorum, ubi se rex Gormus continebat, sero vespere pervenerunt, plenaque instructi armatura ad sedem regiam adscenderunt. Quidam rerum periti auctores sunt, Haraldum consilii incertum hæsitasse, qua potissimum ratione patrem de his rebus certiorem faceret, eo quod rex Gormus votum voverat, capite luiturum, qui mortem Knuti filii sibi nuntiasset. Hic Haraldus, misso Höko quodam, jurata sibi necessitudine juncto, matrem Thyriam orat, ut aliquid consilii excogitet, quo his difficultatibus se expedire possit. Paulo post ipse matrem adit, rem ei aperit, consilium ejus exposcit. Ea id consilii dedit, ut ipse patrem adiret, eique rem novam nuntiaret: conflixisse duos accipitres, alterum toto corpore album, alterum griseo colore, eximium utrumque, eo certaminis exitu, ut albus ille mortem oppetiisset, cunctis magnopere desideratus. Inde Haraldus ad milites revertitur, neque post multo ad aulam patris proficiscitur, ubi rex cum aulicis mensis accumbens poculis indulgebat. Aulam ingressus patrem adit, quæ mater ei suggesserat de anticipitribus, nar-

rat, peroransque, mortuum jam esse album accipitrem, significat. Quibus dictis, quam citissime foras se proripit, matremque iterum convenit. Quo vero nocturno hospitio ipse ac milites usi fuerint, memoriæ non proditum est. Rex his, quæ narraverat filius, quantum observare licuit, animum non advertit, sed, cum quamdiu libuisset poculis indulsisset, cubitum ivit. Insequenti vero nocte, cum homines relicta aula cubitum secessissent, Thyria regina, suis advocatis, omnia aulæ peristromata detrahi jussit, quorum loco [livida (atra) aulæa[1] curavit inducenda, donec aula penitus velata esset. Ea de causa hæc fecit, quod id temporis prudentium virorum præceptis cautum fuit, si res lugubres auribus mortalium accidissent, ne quis verbis significaret, sed ita faceret, uti ea tunc fieri jusserat. Gormus grandævus sequentis diei mane cubitu surrexit, ad solium accessit, ibique consedit, compotationem auspicaturus. Aulam vero ingressus, cum per pavimentum progrederetur, inspectis aulæ parietibus ac stragulis, se in solio, ut antea attigimus, collocavit. Thyria in altera sede primaria et solio juxta regem adsidebat. Rex, silentio rupto, locutus est: tuo haud dubie consilio, Thyria, factum est, inquit, quod aula hoc modo vestita est. Quam ob rem tibi hoc veri similius esse videtur, domine? inquit ea. [Quia hoc modo, inquit rex, significare mihi vis cædem Knuti filii mei. At vero tu mihi jam narras, inquit regina[2]. Ubi hæc loqui cœperant, rex Gormus solio surrexerat; his autem dictis majori cum nisu resedit, nulloque edito responso ad parietem aulæ se reclinavit et animam efflavit. Mox funus regium inde ablatum et ad se-

[1]) atris velis et griseis pannis, *F.* [2]) quæ ab signo sunt cum omiserit *A*, ex *F* desumta sunt.

pulturam deportatum; tumulus, jussu reginæ, in honorem mortui exstructus. Tunc ille centum fere annos rex Danis imperaverat. Post hæc regina ad filium Haraldum mittit, ut domum cum universis copiis concedat, patrisque mortui epulas funebres celebret. Ille matris dicto morem gerit; instructæque epulæ lautæ et splendidæ. Quo facto reipublicæ civiumque gubernationem, universumque imperium, quod patri fuerat, administrandum suscipit. Dein conventus populi agit, et rex a Danis creatur totius imperii, quod patri, regi Gormo, fuerat. Post hæc aliquot annos quietum regnum habuit, et rempublicam cum gloria magnaque laude administravit; idem imperium severe et magna cum auctoritate exercuit, civiumque gratiam sibi conciliavit.

6. Hoc loco commemorabimus virum, his rebus implicitum, Hakonem, Sigurdi dynastæ Ladensis filium, cui et domicilium et genus in Norvegia fuit; is quatuor Norvegiæ provincias, quibus dynastæ nomine præesset, quasi suo jure sibi vindicavit. Sed hoc tempore Haraldus Grafeldus, hujusque mater Gunnilda, regum genitrix appellata, Norvegiæ imperarunt. Qui cum Hakonem, postulatorum aut nihil aut totum cupientem, imperio prohiberent, ille magno cum militum numero classeque decem navium Norvegia profectus, piraticam exercere cœpit, eademque æstate multa loca populatus est. Proximo autumno cum classe et copiis Daniam ingressus, amicitiam Danorum regis expoposcit, veniam petens, ut in ejus regno sibi tuto agere et per hiemem morari liceret. Rex Haraldus, re lubentissime concessa, ei cum sexaginta viris aulicum secum hospitium obtulit. Qua accepta conditione Hakon cum his copiis regem adit, reliquis militibus diversis Daniæ locis hospitio pro-

specto. Adhæc memoriæ proditum est, Knutum Gormidem filium reliquisse, nomine Haraldum, cognomine Aurosum. Hic cum multas terras populationibus vexasset, magnaque præda potitus esset, haud multis post noctibus ad Daniam appulit classem decem navium, ea mente, ut apud avum Haraldum Gormi filium hiemaret, tutumque in regno ejus perfugium haberet. Rex Haraldus nepotem et cognominem suum benigne excepit, eumque ad se cum totidem viris, quot adduxerat Hakon, invitavit; qua conditione usus est Haraldus. Sic utrique, Hakon et Haraldus Aurosus, eodem loco se continent, magno apud regem Danorum honore habiti. Eadem hieme, cum instaret festum jolense, convivium majori quam ceteris anni temporibus magnificentia, cum eximio potu ceteroque apparatu, tum frequentia convivarum, qui more solito ad festum jolense fuerant invitati, instructum est. Memoriæ proditum est, hanc compotantibus fuisse colloquendi oblectandique materiam, numquis regum septemtrionalium convivia majori liberalitate et magnificentia instrueret, quam Haraldus Gormi filius, omnibus ad unum consentientibus, toto orbe septemtrionali omnibusque locis, quibus lingva Danica usurparetur, nullum esse regem huic parem. Sed fuit intra aulam vir, qui his ne minimum quidem moveretur, seque ab tali colloquio omnino abstineret, nimirum dynasta Hakon Sigurdi filius. Hic vero evenit, quod vulgo dicitur, multas esse regibus aures: nam mox delatum ad regem est, Hakonem nullo adjecto verbo honorem ejus amplificavisse, ceteris in unam sententiam euntibus. Postea vero, elapsa nocte, Haraldus Gormi filius Hakonem dynastam et Haraldum Aurosum ad colloquium invitat; hique tres in curiam secedunt; quo cum venissent, rex Hakonem com-

pellans interrogat, an professus sit, ipsum ceteros regnorum septemtrionalium reges non antecellere: sic enim ad se delatum esse. Ad hæc dynasta: ego vero, domine, in neutram partem professus sum quidquam, cum alii hanc rem summo studio urgebant: nam ego ceterorum sermoni me haudquaquam immiscui, quare omni culpa vacare mihi videor. Itaque hoc scire aveo, inquit rex, quam afferas causam, cur tibi hæc res secus atque aliis hominibus videatur. Haud difficultáte caret, domine, inquit dynasta, hujus rei commemoratio; at vero mihi quidem is dignitate aliis minime præstare videtur, cui, vectigalibus ipsius ab alio occupatis longoque tempore retentis, desint vires animusque ad repetendas res. Hic rex, cum paulisper tacuisset, rupto silentio: rem pensitando intellexi, inquit, vera esse hanc in rem a te dicta et prolata; verum non est, quod callidissimus dynasta mihique amicissimus vociteris, si excogitare nequeas consilium opprimendi Haraldi Grafeldi filii, ad quem dicta tua spectare intelligo. Cui dynasta: ita demum honos tuus, me et Haraldo Auroso nepote tuo, invitandis, augebitur, si ab hoc tempore majoris quam antea auctoritatis existimabere. Quare, age, nos omnes una consilium capiamus, quod e re nostra fore videatur, nostrumque omnium honori inserviat. Itaque nunc tale consilium strue, inquit rex, jamque consilii capiendi solertiam prudentiamque, quæ in te adeo laudantur, adhibe. Hakon: si cura struendi consilii in me devolvetur, jam excogitatum consilium est: nimirum una navis, a viris bene instructa, hinc mittenda est ad Haraldum Grafeldum: significato, te eum haud multis comitatum summa cum honoris testificatione invitare ad convivium honoris causa instituendum, eique per legatos nuntiato, posse res inter vos

controversas mutuo congressu transigi; hoc quoqve his mandatis accedat, inquit, te statuisse nuptias petere Gunnildæ, matris ejus; cujus ego ingenium novi, eam, quamvis nonnihil annis provectam, si hæc proposita fuerint, summo studio filium ad suscipiendum hoc iter hortaturam: scilicet jam dudum virorum appetentior existimata est; nos vero te omni opera adjuvabimus. Haraldo vero Auroso, nepoti tuo, hoc tribuito, ut ei dimidiam partem Norvegiæ, mihi alteram dimidiam, concedas, si Haraldum Grafeldum ita e medio tollere poterimus, ut neque tu, neque milites tui ei negotio implicentur. Tibi vicissim nos ambo, Haraldus Aurosus et ego, pollicemur fore, ut ad te tanta ex Norvegia vectigalia redeant, quanta nunc recensebo: si hoc regnum in nostram veniet potestatem, pendemus tibi centum viginti auri selibras et sexaginta accipitres. Quæ consilia, a me in medium prolata, si succedent, nos omnes gloria et honore augebimur. Rex Haraldus ad hæc: hæc ratio mihi haud improbanda videtur, eaque rata esto et confiat, modo fortuna cœptis adspirare velit. Hæc quoque consilii ratio Haraldo auroso vehementer placuit, hisque actis ex concilio digressi sunt. Neque multo post rex Haraldus navem apparandam curat, faselum majorem, huneque sexaginta viris instruit. Qui ut parati erant, iter institutum feliciter perfecerunt, regem Haraldum Grafeldum in Norvegia convenerunt, commissaque sibi mandata coram eo exposuerunt. Gunnildæ significant, regem Haraldum Gormi filium nuptias ejus ambiturum. Quod cum audisset, evenit, quod suspicatus erat, ut filium Haraldum ad iter hortaretur: censco, inquit, iter non differendum (nam ego interea rempublicam administrabo, quod tantisper non frustra futurum arbitror), sed quan-

tum fieri potest maturandum. His actis legati Haraldi Gormi filii rediere, itinereque feliciter functi, regi renuntiant, Haraldi Grafeldi eo posse adventum exspectari.

7. Post hæc Hakon et Haraldus Aurosus naves suas deduxerunt; quos Haraldus adeo opibus sublevavit, ut sexaginta omnino naves haberent, aquis innatantes, pleneque quasi ad prælium instructas, Haraldum Grafeldum, si adveniret, adorturi. Neque vero ille frustra exspectabatur: adfuit enim cum duabus navibus et quadringentis et octoginta viris, nihil periculi metuens. Congressi sunt in sinu Limico, loco, qui Halsus dicitur. Hakon, causatus, nolle se citra necessitatem magna navium multitudine hostem oppugnari: quandoquidem, id quod minime dissimulandum est, tam arcta inter me et Haraldum Grafeldum necessitudo, cognationis ratione, intercedit, tibi victoriæ gloriam perlibenter concesserim. Haraldus, cui cum homine callidiore, Hakone scilicet, res esses, his cohortationibus faciles aures præbuisse dicitur. Nam post hæc cognominem suum quinquaginta navibus adortus tolli clamorem bellicum jussit: ingruit prælium hostilia non metuentibus, seque tamen strenue ac fortiter tutantibus. Durante conflictu inter cognomines, Hakon cum reliquiis copiarum se conspiciendum non dedit. Rex Haraldus Grafeldus, cum in tanto constitutus periculo rem dolis non carere sentiret, intelligens, quorsum evasura res esset, ita locutus est: haud sine magna voluptate prævideo, inquit, tuam, mi cognominis, victoriam brevi fore duraturam; scio enim, quæ hic gerantur, Hakonis dynastæ consilio fieri; qui, simul ac mortuus ero, te aggressus confestim interficiet, necemque meam ulciscetur. Hoc prælio rex Haraldus Grafeldus cum

maxima militum parte occubuisse dicitur. Talem ille vitæ exitum habuit, postquam Norvegiæ imperaverat quindecim annos unacum fratribus et matre Gunnilda. Quibus rebus cognitis Hakon dynasta Haraldum Aurosum suosque, cum essent quam imparatissimi, vehementissimo remigio advehitur, militibus Haraldi conditiones proponit, utrum adversus se dimicare velint, an Haraldum Aurosum in potestatem suam tradere, necem Haraldi Grafeldi, cognati sui, se ulturum simulans. Eligunt, ne adversus Hakonem dimicent, gnari, necem Haraldi Aurosi regi Haraldo Gormi filio gratam esse; atque hæc res, quæ jam in aperto erat, secretis consiliis inter regem et Hakonem convenerat. Itaque Haraldus Aurosus vivus comprehenditur, et in silvam abductus arbore suspenditur. His gestis Hakon dynasta Haraldum Gormi filium adit, ejusque solius arbitrio rem decidendam permittit, quod Haraldum Aurosum nepotem suum interfecisset; sed sola simulatione: nam revera amborum consilio res effecta fuerat. Rex Haraldus hæc, satisfaciendi causa, Hakoni irrogavit: siquando ipse auxiliis indiguisset, Hakon expeditionem in Daniam una vice faceret, evocatisque totius Norvegiæ copiis auxilio sibi veniret; quotiescunque nuntio misso ejus consilia expetivisset, ipse adesset; præterea omnia vectigalia penderet, quorum supra mentio facta. Ante vero quam digrederentur, Hakon aurum, quod Haraldo Auroso fuerat, undeque nomen Aurosi fuerat adeptus, occupavit. Hoc aurum, quod ex terris meridianis advexerat, duas arcas explevit, quibus solo levandis duo viri ægre suffecerunt. Hanc omnem pecuniam dynasta prædæ loco occupat, et ex eadem pecunia regi Haraldo vectigalia in tres annos ante tempus numerat, significans, se non alio tempore

magis solvendo fore. Quod cum approbasset rex, Hakon ab eo digressus ex Dania proficiscitur, et in Norvegiam delatus, confestim Gunnildam regum genitricem convenit. Huic aperit, se necem Haraldi Grafeldi, filii ejus, ultum esse, occiso Haraldo Auroso; addens, Haraldo Gormi filio pergratum fore, si ipsa cum splendido comitatu relicta Norvegia ad se veniret: velle enim eam secum matrimonio jungere. Re autem vera Haraldus et Hakon, antequam digressi essent, hæc consilia communiter struxerant; adhæc, si ea his laqueis se induisset, atque in Daniam venisset, subornarant, qui eam confestim interficerent. Hoc loco res docuit, id quod multi locuti fuerant, eam virorum cupidiorem videri: nam tribus cum navibus, quarum singulæ sexaginta viris erant instructæ, solvit, cursumque continuavit, donec in Daniam venisset. Cognito, Gunnildam appulisse, Haraldus currus obviam ei et comitibus mittit; ipsa splendido currui imposita; missi significant, splendidissimas epulas ei in ædibus regiis instructas esse. Iidem per diem currum agere perseverarunt, vespere vero, obortis tenebris, non quidem ad aulam regis pervenerunt, sed in objectam forte paludem inciderunt. Hic Gunnildæ manus injecerunt eam e curru sustulerunt . . . .[1] in paludem, ibique eam demerserunt. Ita extincta est, quo loco palus Gunnildiana ab eo tempore dicitur. Hoc facto abcesserunt, regemque adeuntes rem, quæ gesta erat, nuntiarunt. His rex: bene rem curastis, inquit; eo loco, quem ei destinaram honorem, fruetur. Post hæc rex Haraldus et Hakon dynasta aliquot annos rebus domi quietis usi sunt, cum et pax

[1]) hic una et dimidia linea cod. membranei abrupta est.

inter Daniam Norvegiamque intercederet, et ipsi integram inter se amicitiam colerent. Et aliquo anno Hakon dynasta regi Haraldo sexaginta accipitres misit, declarans, faciliorem esse pensionem uno, quam singulis annis solventi.

8. Eodem tempore Saxoniæ et Peitolandis[1] imperavit imperator Otto, dictus Rufus, ejusque duo dynastæ, quorum alteri nomen erat Urguthrjoto, alteri Brimiskjari. Memoriæ proditum est, Ottonem imperatorem festo quodam jolensi votum vovisse, se tribus æstatibus, si usus posceret, copias in Daniam traducturum, totique regno, si efficere valeret, christianam religionem imperaturum; eoque nuncupato voto imperator copias ad hanc expeditionem contraxit. Quo cognito Haraldus Gormi filius, animadvertens, imperatorem numero copiarum multum valere, extemplo sexaginta viros, uno faselo vectos, in Norvegiam ad Hakonem dynastam mittit, nuntiari dynastæ jubens, sibi quam tunc nunquam magis opus fore, ut evocatis tota Norvegia copiis auxilio sibi veniat. Missi ab rege prufecti, quo contenderant, pervenerunt, regiisque mandatis expositis reversi sunt. Hakon dynasta, cum intelligeret, quanto in discrimine res versaretur, si Daniæ ceterorumque regnorum borealium incolæ, inaudito exemplo ad christianam religionem coacti, impedirentur, quominus instituta et religionem a majoribus traditam sequerentur, summa cum celeritate huic mandato parendum existimavit. Itaque collecto milite subitario, plus roboris habiturus, si longiori spatio dato omnes copiæ coiissent, ut paratus erat, cum classe navium centum et viginti solvit, post eadem æstate aliis ad eum ex Norvegia magno numero confluentibus; dein, quo contenderat, non sine ma-

[1]) vide cap. 12. Hist. Olavi Tryggv. in Vol. 10.

gna itineris difficultate pervenit. Cujus adventu in Daniam cognito rex Haraldus magnopere gavisus, extemplo obviam ei procedit ....[1] summa cum benignitate, conviviumque apparavit ....[1] et hoc consilii capiunt, ut Ottoni imperatori obcurrerent cum omnibus copiis, quæ per totam Daniam contractæ fuerant; quarum copiarum summi præfecti erant rex Haraldus et Hakon dynasta. Itaque pergunt, donec imperatori obcurrunt. Mari congrediuntur; prælium statim cooritur, resque summo ardore geritur: totum diem confligunt, multis utrinque cadentibus, pluribus tamen ex Cæsarianis. Adpropinquante nocte, factis in tres noctes induciis, appellunt ad terram utrique, et sese comparant. Elapsis tribus noctibus, acies imperatoris Ottonis et regis Haraldi Hakonisque dynastæ concurrunt, jamque terra pugnatur. Imperator adversam prælii fortunam expertus, multo plures suorum hoc die amisit, tandemque cum suis terga vertit. Eo die imperator Otto equo vehebatur. Ille, suis ad naves tendentibus, ad mare devectus equo perhibetur, hastam inauratam totamque sangvine madentem manu gerens; qua in mare defixa, omnipotentem Deum obtestatus, loquitur: alio tempore cum in Daniam venero, aut religionem christianam in Daniam introducam, aut hac in terra vitam profundam. His dictis imperator Otto ac sui naves conscendunt, et in Saxoniam revertuntur. Hakon dynasta apud regem Haraldum remansit, eique multa utilia consilia dedit. Tunc opus (castellum) illud fama celebratum, quod munimentum Danorum appellatur, faciendum curaverunt, qui agger ductus erat inter Eidoram et ostium Sliæ per transversam terram inter maria. His gestis Hakon dynasta in Norvegiam

[2]) hoc loco una linea cum dimidia ex membr. abrupta est.

revertitur. Ante vero quam digrederentur, ad regem sit locutus est: ita comparata res est, domine, ut quam optarim facultatem pendendorum vectigalium, ea mihi propter ingentes labores et sumtus tua causa faciendos deesse videatur; quanquam ante omnia cupio, his molestiis liberatus, vectigalia tibi solvere. Rex respondit, et rem ejus arbitrio permisit; et tamen intelligi potuit, regi vectigalia justo serius expensa videri. Sed re sic comparata digressis, Hakon dynasta in regnum suum rediit, insigni reportata victoria glorians. Inde per tres annos res Norvegicæ ac Danicæ quietæ. Quorum annorum spatio imperator Otto exercitum conscripsit, immensumque contraxit numerum copiarum; elapsisque his tribus annis hunc ingentem exercitum in Daniam traduxit, comitatus dynastis Urgothrjoto et Brimiskjare.

9. His cognitis rebus rex Haraldus totidem, atque antea, viros ad Hakonem dynastam mittit, eique significari jubet, sibi nunquam magis quam tunc ejus auxilio et copiis opus fuisse. Hakon dynasta, cum intelligeret, quanto in discrimine res esset, summa celeritate regis Haraldi mandato parendum ratus, ut primum paratus erat, proficiscitur, neutiquam paucioribus, quam superiori tempore, copiis stipatus. Ut Daniam attigerat, confestim duodecim viris comitatus ad regem Haraldum se confert. Cujus adventu rex vehementer lætatus, cum studium, quo suæ necessitati subvenisset, collaudasset: nunc omnes milites tui, inquit, hominibus obviam missis, huc deducti convivio excipientur; nam vestrum uniuscujusque adventus mihi gratissimus est. Antequam hæc fiant, inquit dynasta, rem diligentius excutiamus: me quidem ipsum expeditionis socium et consiliorum participem, nec non copias,

quas nunc habeo, hoc est, duodecim hosce viros, sed non plus militum, nisi ipse velim, jure postulare potes; nam antea una vice copiis evocatis, quemadmodum ab initio inter nos convenit, tibi auxilio veni. Vera quidem sunt, quæ loqueris, inquit rex Haraldus, verum destitui me harum copiarum auxilio, quas amicitiæ ergo huc adduxisti, passurum te minime spero. Quod in meos mihi jus est, inquit Hakon, eo spectat, ut sui officii putent me sequi, ut meum regnum meamque terram tueantur, non ut Daniam aliave regna defendentes corpora sua infestis hastis objiciant, nullis præmiis, nullis honoribus vicissim reportatis. Quid tu tuique mereri velitis, inquit rex Haraldus, ut mihi nunc, cum maxime est opus, auxilio veniatis? certis enim nuntiis cognovi, imperatorem, quocum mihi res erit, numero copiarum longe superiorem esse. Cui dynasta: una præscripta conditio est, inquit, de qua inter me et commilitones convenit, nimirum hæc, ut omnia vectigalia Norvegica, quæ nondum soluta sint, remittas, eaque adeo remittas, ut Norvegia ab hoc tempore nunquam tibi[1] tributa pendat. Sin vero hanc conditionem respuis, omnes copiæ, quas huc adduxi, revertentur, præter me ipsum et hosce duodecim viros hic præsentes, qui remanentes auxilio tibi erunt; omnia enim quæ pacti sumus, præstabo. Hic rex: tua prudentia consiliique solertia, qua cunctos homines circumvenis, haud sine causa deprædicatur; nam et mihi duæ nunc ancipites conditiones proponuntur, quarum neutra mihi commoda videtur. Jam diligenter has conditiones excute, inquit dynasta; ego vero sic existimo, nulli tibi usui fore tributa Norvegica, si hic in Dania vitam amiseris. Celeriter optionem faciam, inquit rex, cum res in hunc

[1]) Daniæ, *F.*

locum deducta sit, ut tu mihi, quam potes summa fidelitate et virtute, cum omnibus copiis tuis auxilium feras, quo facto, quæ postulas, impetrabis. His actis extemplo missi, qui omnes dynastæ milites ad unum concilium advocarent, ubi hanc rem junctis dextris ratam fecerunt; mox splendido convivio in ædibus regiis excipiuntur; inde cum omnibus, quas comparare poterant, copiis adversus imperatorem contenderunt, rege Haraldo classem ad Eidoram provehente, Hakone dynasta copias suas ostio Sliæ ab opposita parte admovente. Imperator Otto, cum cognovisset, Hakonem dynastam in Daniam advenisse, arma adversum se laturum, id consilii cepit, ut dynastas suos, Urgothriotum et Brimiskjarem, ad eum avertendum in Norvegiam mitteret cum classe duodecim mercatoriarum majorum, viris armisque onustarum, eis additis mandatis, ut Norvegos absente Hakone ad religionem christianam perducerent.

10. Jam primo de imperatore ingentique quem adduxerat exercitu narrandum. Cum ad Daniam appulissent, in terram egressi, conspecto Danorum munimento, locum difficilem oppugnatu fore, si adessent defensores, judicarunt; quare ad mare regressi, naves conscenderunt. Eo ipso momento in regem Haraldum incidunt; confestimque prælium committitur. Mari pugnatum est, multis utrinque cadentibus; cumque neutri alteros debellare possent, digrediuntur. Deinde imperator classem ad eum locum, qui ostium Sliæ dicitur, constituit. Quo loco cum Hakon dynasta cum copiis adesset, extemplo prælium oritur inter eum et imperatorem; pugnatur summo ardore. Imperator, cui fortuna minus faveret, multis suorum amissis, tandem cum reliquiis copiarum aufugit, quod acrius resiste-

batur, viam rei gerendæ consilio aperiendam arbitratus. Dicitur imperator, cum naves suas in stationem deduceret, incidisse in classem quinque longarum navium . ingentis magnitudinis. Quærente imperatore, quis harum navium copiis præesset, præfectus classis Olio sibi nomen esse professus est. Porro quærenti, christianus esset, nec ne, Olius se christianæ religioni nomen in Hibernia dedisse professus, operam suam et auxilium imperatori pollicetur, si majoribus quam antea habuisset auxiliis indigere sibi videretur. Imperator se hoc perlibenti animo accipere, ingentesque ei gratias habere testatus: tu magnam polliceri fortunam videris, inquit. Igitur Olius se ejus exercitui adjunxit, trecentos et sexaginta milites habens, quæ manus ut fortitudine insignis erat, ita dux ipse ceteros omnes virtute anteibat. Jam imperator ac sui de consiliis circumspicere cœperant; nam in tantas inciderant rerum difficultates, ut eos cibaria defecissent; quo accessit, quod omnes pecudes ab ea parte munimenti Danorum, ubi tunc erant constituti, adeo penitus amotæ fuerant, ut nihil quod caperent reliquum esset. Hinc viris prudentioribus duæ iniquæ conditiones proponi videbantur, ut aut infecta re abscederent, aut equos ad alendos milites mactarent; quarum conditionum utraque iniqua visa est. Quæ res cum imperatorem in graves curas conjecisset, Olii sententiam et consilium hac de re deposcens, orat, ut aliquam utilem rationem suppeditaret. Olius respondit, se consilia sua tanti æstimare, ut quod in medium protulisset, unanimi consensu comprobandum postularet, alioquin se nullum verbum adjecturum. Eo exiit res, ut omnes abprobarent, facturos quæ Olius consuluisset. Tunc ille: mea igitur sententia est, in-

quit, ut nos omnes, qui in Christum credimus, peccata nostra coram sacerdotibus confessi, Deo omnipotenti, omnium rerum creatori, sex dierum jejunium voveamus, ut victoriam nobis concedat, nev equos in alimentum mactare cogamur. Alterum quod dabo consilium est, inquit, ut hodie in saltus et silvas nobis proximas concedamus: hic singuli singulas ligni sarcinas cædant ex eo ligni genere, quod ignem facillime concepturum putemus; quæ omnia ligna ad munimentum apportabimus, deinque quo se vertat res dispiciemus. Hæc consilia ab Olio data omnes comprobarunt, atque ita, uti consuluerat, facere instituerunt. Ejus loci ea natura fuit, ut, qua parte ipsi constituti erant, ea parte magna fossa ducta esset, decem passus lata, novem alta, spatio, qua disposita castella erant, angustiore; hæc vero ita disposita erant, ut quibusque centenis vicenis passibus munimenti singula castella superimposita essent. Postridie, quam ligna ad munimentum traxerant, id agere instituerunt, ut fossam ingentibus pontibus jungerent, ita, ut e regione singulorum castellorum singulos pontes facerent; quæ opera ad ipsum usque munimentum pertinebant. Eodem die omnia vasa aquaria, quæ illis erant, ceperunt, quorum altero fundo excusso, aridis runcinæ detrimentis aliisque lignorum segmentis vasa compleverunt, dein igni in segmenta injecto fundos rursus adaptarunt, relicto foramine in summo, qua ventus inspiraret. Alia ex parte ignem sumtum lignis ad munimentum pertractis injecerunt, cum is esset cœli status, ut auster vehementer sicco aere spirans adversum munimentum feriret. Jam vasa sumserunt et per fossam trajecerunt; quæ, cavo fundorum concipiente ventum, munimentum versus delata sub imo hæserunt. Hæc sub vesperam confe-

cta erant. Tenebris vero obortis, vasa aquaria et ligna, igne tacta, flammas in castella moxque in munimentum evomuerunt; dein aliud ex alio igne absumi, nam munimentum maximam partem lignis exstructum erat. Is fuit rei finis, ut totum munimentum Danorum cum castellis ea nocte conflagraret, ne minimis quidem relictis vestigiis; quod vasa aquaria, ignem ad munimentum deferentia, effecerant. Illucescente mane tam effusa pluvia extitit, ut pauci meminissent, tantam aquarum vim de cœlo ruisse; qui imbres hoc incendium tam penitus exstinxerunt, ut vasti cinerum cumuli extemplo transiri possent, qui, nisi imbre sopiti essent, transiri haud brevi temporis spatio potuissent. Quibus omnibus animadversis, rex Haraldus et Hakon dynasta, aliquo metu concussi, ad naves recedunt fugientes. Imperator vero ac sui pontes, quibus fossam junxerant, transgressi (inde enim vis venti ardentis munimenti flammas averterat), per frigidos jam et exstinctos cineres transiverunt. Hi per quatuor jam dies, auxilii a Deo omnipotente impetrandi gratia, jejunaverant, quinto autem die a munimento progressi, eo contendebant, ubi se antea rex Danicus et Hakon dynasta continuerant. Quo cum venissent, copia pecudum non defuit, summaque fuit parandorum alimentorum facultas; huc enim compulsæ pecudes fuerant, ut a militibus imperatoris tutæ manerent. Ut autem illis larga suppetebat frumentandi facultas, ita non admodum pepercerunt facultatibus Danorum, pingvium ovium laniena gaudentes. Qui cum Deo laudes pro tam insigni victoria cecinissent, imperator, successu consilii ab Olio dati lætus, quo genere ortus et cujas esset, interrogavit. Cui Olius: haud diutius, qui

sim, reticebo; Olavus vocor, ex Norvegia oriundus, patri vero Tryggvio nomen.

11. Posthac imperator Otto et Olavus regem Haraldum Hakonemque dynastam persecuti dicuntur; hique omnes tria prœlia commisere, in quibus ingenti edita hominum strage, rex Haraldus et Hakon dynasta, meticulosi isti[1], fugerunt imperatore et Olavo instantibus terramque peragrantibus. Qui, quacunque irent, quos vivos cepissent homines, his conditionem proposuerunt, ut quisque aut statim interficeretur, aut religionem et baptismum admitteret. Et multi quidem rem sibi magis salutarem elegerunt, religionem baptismumque acceptantes; si qui vero colonorum hanc amplecti conditionem recusarent, his culinæ haud admodum fumabant per proximos duodecim menses (i. e. hos provisis in annum cibariis rebusque ad vitam sustentandam necessariis spoliarunt): nam milites imperatoris, pagis et vicis incensis, omnium, qui amplecti religionem nollent, domos vastarunt, ipsosque, quotiescunque occasio se offerret, interfecerunt. Hinc factum est, ut imperator Otto et Olavus Tryggvii filius his duodecim mensibus rem præclare et fortiter gererent, cum copiæ incolarum iis resistere nequirent, rexque Haraldus et Hakon dynasta gradum identidem referrent, scilicet jam sentientes ac perspicientes, quo major regni pars ad religionem christianam transiret, eo minus sibi roboris accedere. Quare rex Haraldus et Hakon dynasta, tempore locoque condicto, consilia conferunt, quid inceptandum sit, questi, se

1) *lør þeir*] hanc lectionem veram esse putavi, et tantum *þeir* positum esse pro *þer* (i. e. *þær*), cujus scriptionis exempla subinde occurrere puto. *Lør* accepi pro plur. *τοῦ ló*, alauda, galerita, cujus avis nomen h. l. usurpatur ad designandum hominem timidulum et fugacem. Editores conjecerunt *særþir*, i. e. vulnerati.

possessionibus, navibus et facultatibus exutos magna jam premi rerum iniquitate: jam intelligentes, se naves non assequi posse, militibus imperatoris ea loca obsidentibus. Quæ cum ita essent, consultissimum existimant, id quod res erat, legatos ad imperatorem Ottonem et Olavum Tryggvii filium mittere. Itaque legati ad imperatorem missi mandata Danorum regis et Hakonis dynastæ exponunt. Quibus benigne exceptis, imperator iis potestatem pacis ea conditione fecit, ui religionem amplecterentur, vicissim mandans, ut omnes una in concilium congrederentur. Legati regis Haraldi et Hakonis dynastæ reversi hunc negotii exitum renuntiant. Posthæc omnes in concilio adfuerunt; quæ comitia frequentissima fuere eorum, quæ his temporibus in imperio Danico habita fuerunt. His in comitiis progressus Poppo episcopus, qui apud imperatorem versabatur, eos ad accipiendam religionem scite ac facunde hortari conatus est, longa et diserta oratione habita. Qua audita oratione, rex Haraldus, pro se et Hakone verba faciens, his respondit: ne quis exspectet, inquit, me solis verbis motum iri, nisi insuper videam aliqua certa signa[1], quibus pateat, huic religioni, quam annuntiatis, majorem inesse vim, quam ei, qua hucusque usi sumus. Hujus sententiæ, quam verbis protulerat rex, auctor Hakon re vera fuit, qui quidvis potius quam novæ religioni adsentiendum putaret. Ad hæc episcopus ita respondit: haud parcam, inquit, quin tentamen fiat, quo vis hujus religionis probetur: sumetur candens ferrum, ubi missam cantavero, sacraque Deo omnipotenti fecero, per quod candens ferrum, novem pedes longum, sancta trinitate fretus incedam; et si me Deus ita servaverit, ut membra

[1]) membrana h. l. habet *jargtegnir.*

mea illæsa et ab ardore intacta sint, vos omnes veram religionem profiteminor. Hic rex Haraldus et Hakon dynasta suique promittunt, si per ferrum candens ita incessisset, ut ab igne non violaretur, se religionem accepturos. Peragitur itaque res: episcopus missam cantat, peractaque missa huic tentamini se subjicit, cum se antea carne et sangvine omnipotentis Dei confirmasset, interea, dum calcaret ferrum, pleno indutus ornatu episcopali. Deus vero eum adeo protexit, ut nulla pars corporis ejus adusta, nulla vestium pars igni afflata esset. Cujus rei novitate motus Danorum rex cum omnibus suis extemplo religionem baptismumque admittit, admiratione hujus miraculi captus; eodemque tempore totus Danorum exercitus actu non interrupto baptizatus est. Hakon dynasta, etsi perquam invitus religioni adsentiebatur, tamen, cum e contraria parte se iniquis premi conditionibus videret, id tandem cepit consilii, ut se baptismo submitteret; quo facto, properandi domum cupidus, veniam abeundi depoposcit; quam ita demum impetravit, ut polliceri imperatori cogeretur, se, si fieri posset, effecturum, ut Norvegia christiana redderetur, sin minus, e regno aufugiturum. His actis Hakon dynasta abscessit, seque eo contulit, quo loco naves suæ erant, indeque iter ingressus in Norvegiam contendit. Rex Haraldus et Otto imperator, qui ab hoc tempore intima amicitia jungebantur, ambo ad convivium ab rege instructum profecti sunt, comite quoque Olavo. Et antequam imperator Otto et rex Haraldus digrederentur, rex Danorum promisit, effecturum se, ut sui omnes, qui quidem adhortationibus locum dedissent, novam religionem acciperent; quod et effectum dedit. Imperator Otto in Saxoniam in regnum suum discedens, Olavum, ut

se domum comitaretur, invitavit; hic vero se cupidum ostendit, regiones orientales (mari Baltico adjacentes) invisendi; quod et fecit. Itaque imperator Otto et Olavus in Dania digressi sunt, atque ab eo tempore intimam inter se constantemque amicitiam coluerunt.

12. Jam narrandæ sunt res, quæ in itinere Hakonis dynastæ, in Norvegiam redeuntis, acciderunt. Hic, ut Gothiam attigit, appulsis ad terram navibus, protinus excursiones populationesque facere cœpit, remissis omnibus sacerdotibus et doctoribus, quos ei itineris socios dederat imperator, ut Norvegos baptizarent; noluit enim Hakon horum societate diutius uti. Cum terram prædando obiret, famam accipit de fano quodam, regni Gothici maximo, dum ea terra pagana erat; in quo fano centum et viginti dii erant ....[1] fanum. Hakon omnem pecuniam hic conservatam abstulit; custodes fani et loci sacrificalis partim aufugerunt, partim interemti sunt. Hakon pecuniam ad naves deportandam curavit, omnia sibi obvia incendiis vastavit, ingentique præda potitus ad naves devenit. Eo tempore, quo Hakon in Gothia grassabatur, fama hujus rei ad Ottarem dynastam, qui magnæ Gothiæ parti præfuit, delata est. Qui, summa celeritate usus, universos provinciæ milites contrahit, magnumque exercitum adversus Hakonem ducit. Committitur prœlium, in quo Hakon, adfluentium incolarum multitudine superatus, tandem cum suis aufugit et in Norvegiam contendit. Post hæc Ottar dynasta, indictis comitiis, publice declaravit, Hakonem *loci sacrosancti lupum* (i. e. hostem religionis) esse appellandum, eo quod nullus homo scelestius facinus patravisset, quam Hakon, qui augustissimum Gothiæ fanum demolitus esset, mul-

[1]) h. l. duo triave verba in membrana deleta sunt.

taque alia nefanda, quorum exempla nulla servaret memoria, admisisset; quod nomen, quaeunque iret, quocunque veniret, ei adhæreret. Quæ dum gerebantur, dynastæ supra memorati, Urgothrjotus et Brimiskjar, de itinere Hakonis dynastæ, quæque agere instituisset, fama edocti, cum hostili modo insolentius grassantem exspectare domi nollent, relicta terra aufugiunt, omnesque naves suas, viris onustas, abducunt, congressum Hakonis fugientes. Dynasta vero, cum ab oriente profectus in Vikam appulisset, extemplo cognovit, quæ interea ab dynastis effecta fuissent, nempe totam Vikam usque ad Lidandisnesum ad christianismum perductam esse. Quare, vehementi ira inflammatus, misso per totam Vikam edicto vetuit, nequis hac in religione perseveraret, graves pœnas comminatus. Quo audito, quicunque religioni christianæ adhærere vellent fuga salutem quæsiverunt, quidam, severitate dynastæ perterriti, ad paganismum pristinosque errores relapsi sunt. Hakon vero dynasta, religione et baptismo repudiatis, acerrimus Dei contemtor (apostata) et sacrificiorum cultor extitit, deosque paganos, quantum antea nunquam, ab hoc tempore coluit. Posthac Hakon domi se quietus continuit, universamque Norvegiam imperio tenuit, neque ab eo tempore unquam regi Haraldo Gormi filio tributa pependit, unde factum est, ut amicitia, quæ inter eos fuerat, admodum frigescere inciperet.

13. Itaque rex Haraldus, copiis ad expeditionem necessariis toti Daniæ imperatis, immensum exercitum in Norvegiam trajicit, Hakonem dynastam aggressurus. Cumque, septemtrionem versus profectus, Lidandisnesum prætervectus esset, provincias, quæ ei tributa pendere jam desierant, ingressus, populationes facere cœpit,

quacunque iret, igne ferroque grassatus, Sognum Norvegiæ provinciam, omnesque inde tractus maritimos boream versus ad Stadum usque, exceptis quinque villis in Læradalo, incolis vastavit. Dein audiens contrahi Norvegorum copias, Nomdalenses, Romdalenses, Halogos, et unumquemque virum, armis ferendis parem, ad patriam defendendam in unum locum ad Hakonem dynastam convenisse, huncque tantum habere numerum copiarum, ut peregrinum militem adversum dimicare nullo modo posse judicaret: viros sapientes in consilium adhibuit. Cum rex classe ad Solundas staret, se in Islandiam trajecturum minatus est, ut carmen probrosum ulcisceretur, quod hujus terræ incolæ in regem Haraldum composuerant rapinæ vindicandæ causa, quod Byrger, rei frumentariæ præfectus regius, merces Islandorum contra jus rapuisset, rexque oratus rapta restituere noluisset. Quod carmen famosum tali tenore fluebat:

Quando Haraldus ille Danicus,
cædibus notus, in equi forma
navem conscendit (occisor Vendorum
haud sane tum cera totus factus est),
ignobilis vero ille montanus gigas,
Byrger, a terræ diis tutelaribus
ejiciendus, præcessit in forma
equæ; id quod homines viderunt[1].

---

[1]) Extat hæc stropha in Hk., Ol. Tr. cap. 36, cujus lectiones h. l. afferam et examinabo. Constructio nostri loci talis est: *þá er morðkunn a) Haraldr α) sunnan β) sparnama b) mörnar c) í ham fara d) (Vinda myrði e) varðara f) var g) eitt), en γ) Byrgir berstufa h), rekri i) böndum k) í landi, fyrir í öldu l) likið*); *öld sá þat [um ill ríki m)*.

a) id. q. *morðkunnr*, omisso *r*, nota masculina, cujus aliquot exempla sunt. Codd. Hk. membr. *E* habet h. l. *morgkunnr*, quod non tam existimandum est positum esse pro *margkunnr* (multi-

Eyolvus Valgerdæ filius, fama de ira regis Haraldi in nostram terram (Islandiam) perlata, cum

scius, magiæ peritus), quam idem esse ac *morðkunnr*, *g* pro *þ* usurpato, ut in Codicillis templi Reykholtensis *fjorgongr* est pro *fjorþongr* (F. Johannæi Hist. Eccl. Isl. Tom. I. p. 206. not. lin. 7), quod peculiari veterum pronuntiationi deberi censendum est; vide quæ de pronuntiatione Færoensium huc facientia annotavit b. Raskius (*Færeyingasaga*, ed. C. C. Rafn, Havn. 1832, præfat. pag. 26. lin. 5—15, coll. cum Hist. Eccl. Isl. Tom. 4. pag. 137. not. lin. 9—15). *b*) legendum: *sparn a ma*; Hk. *E* habet *morn*, quod non tam pro repetitione vocis sequ. *mörnir* haberi debet, quam vitio librarii profectum, *m* pro *sp* pingentis, ut in autographo fuerit *sporn* v. *spǫrn*, i. e. *spârn*; pro *ma* Hk. habet *mo*, quæ vox, larum nomenque equi designans, una eademque haud dubie fuit, ɔ: *mor*=*mar* (*mår*). *c*) Hk. *E* habet *mörnir*, puto ob scripturæ compendium minus recte intellectum, pro *mörnar*; sed ab hac lectione (*mörnir*) iterum defluxit lect. Hk. *A*, *mörnis*. *d*) h. l. haud dubie inferior apex literæ (*x*) in *A* (aut ejus autographo) detritus fuit, quo deleto litera *r* emergit; nam Codd. Hk. habent h. l. *faxa* (præter *E*, qui habet *faxi*), et in seqq. *vax* pro *var*. *e*) Codd. Hk. *myrðir*, quod usitatissimum est. *f*) membr. Hk. *E*, *varðat*, verissima lectio; Hk. *A*, *varð þá*, videtur ex *varþ-a* depravatum; et lectio *varðara* ex duplici lectione (*varðat*=*varða*) conflata esse videtur. *g*) vide supra sub *d*). *h*) Codd. Hk, *bergsalar*, palatii montani, i. e. antri, quæ lectio metro melius convenit, quanquam altera (*berstufa*) sensu cassa non est, vide *y*). *i*) *rækr*, id., Hk. *E*, cet. *k*) *bondom*, id., Hk. *E*. *l*) sic et Hk. *E*, ceteri Codd. Hk. *jöldu*; forte *jalda* idem sit cum *alda*, præfixo *j*; ceterum voces, *í öldu* et *í jöldu*, cum pæne ejusdem soni sint, confundi facile potuerunt. *m*) i. e. per mala regna; sed hæ tres voces, pro quibus Hk. habet *urikr*, non solum ad metrum ingratissimæ sunt, sed etiam, nisi contorte, cum ceteris conciliari nequeunt.

α) *sunnan*, adv., ab austro, loco adjectivi arcte sum subjecto jungendum, qs. Haraldus australis i. e. Daniens; sic *arfi Gunnhildar sunnan, Sveinn konungr sunnan*, F. 1, 46, 1; 3, 15. *β*) *mörn* v. *morn*, f., quæ inter fluvios recensetur in Ed. Sn., et aliquoties occurrit in navium et auri circumscriptionibus, nihil est nisi Galliæ fluvius Matrona, hod. *Marne*; hinc *mörnar mar*, larus fluvii, navis, aut *mörnar mor*, equus fluvii, id.; *sparn mörnar ma*, calca-

operarius ejus domesticus securim suam vendidisset, vicissimque vestem cani coloris recepisset, hos versus composuit:

Ne quis arma pretio vendat!

---

vit navem, i. e. navem conscendit. Interpretes Hk., lectionem *mörnis* secuti, *mörnis mor* de solu gladii i. e. clypeo intelligunt. Sed lectionem *mörnis* minus certam esse autumo, vide supra var. l. c.). γ) Potest *Byrgir* esse nomen propr., et *B. bergsalar*, Byrger antri, i. e. Byrger antricola, gigas, contemtus causa; possit quoque *byrgir* pro appellativo sumi, et verti per defensorem, custodem, a verbo *byrgja=bjarga*, opem ferre, eadem eodem sensu manente gigantis appellatione. Interpr. Hk. jungunt *bergsalar bönd*, dii antricolæ. *Berstufa*, quod membr. h. l. habet, derivo a *bera*, ursa, et *stufa*=hod. *stofa*, cœnaculum, ædes; ædes ursæ, lustrum ursæ, forent saltus vel montana. δ) mentem poetæ talem informo: imaginatur poeta, Byrgerem et Haraldum, merces direpturos, fractam navem mercatoriam Islandorum (de qua Hkr. Ol. Tr. c. 36) conscendere; sic sententia intercalaris, *Vinda—eitt*, ironice capienda, ɔ: atque tum quidem, cum fracta navis erat spolianda, strenuitas animusque regi non defuit. Tum tota hæc stropha connexa fuit cum stropha præcedente deperditi carminis, hujusque apodosin effecit. Interpr. Hk. timiditatem regis describi putant, tropo petito ab gigante Rungnere, qui clypeum præ metu pedibus subjecit; confer β.

Rem haud ingratam facturus mihi videor, si cum lectoribus communicavero hujus strophæ constructionem et versionem, a viro doctissimo et poeta politissimo Eggerto Olavio († 1768) concinnatam, qualem in schedulis notatam reperi: *þá er morðkunnr Haraldr sparn (að) sunnan mó mörnis, þá varð Vinda myrðir eitr*[1]*-vax í faxa ham. þar sá enn öld í jöldu, (að) úrikr borgsalar*[2] *Byrgir, baundum rækr í landi, var fyrir ríki*[3]: i. e. quando clandestinis homicidiis infamis Haraldus iste calcabat ex austro mare, tunc fiebat improbus percussor Vandalorum venenata cera in pelle (exuviis) angvis (cristati). Adhuc videbant eadem tempore homines, in fluctuum æstu agentes, quod impotens (ignobilis) ille Birgir (custos) urbis (publicæ) latrinæ præ regno esset (ditionem administraret), a numinibus e terra (merito) ejiciendus.

[1]) editio Peringskjoldiana, in Hk. citata, habet lectionem *citri*, pro *eitt*. [2]) sic eadem. [3]) sic eadem.

existat ensium strepitus, si fas est!
Carmen moderate proferendum, (nam)
arma nobis cruentanda sunt.
Nos ex antiqua caliginosa
Gandvikæ terra Gormi filium
manebimus. Credibile est
atrocem fore armorum impetum[1].

Rex Haraldus, cum multi prudentes viri auctoritatem suam interponerent, id quod exspectari poterat, rationem, quæ maxime expediebat, iniit; nam austrum versus in Daniam reversus est. Post hæc ille imperium ad mortem usque magno honore et gloria tenuit, Hakone dynasta Norvegiam vectigalibus immunem retinente.

Particula posterior[2].

14. Tokius nomen erat viro, habitanti in provincia Daniæ, Fionia dicta. Uxori ejus nomen erat Thorvaræ. Procreati ex his tres filii in hac historia commemorantur: maximo natu filio nomen erat Akio, huic natu proximo Palneri,

[1]) Constructio: *selit maðr vápu við verði! verdi dyur sverða, ef má! Verðum at herða hljóð hæft: eigum rjóða slög. Ver skolom bíða Gorms sonar af gömlo þoko laudi Gandvíkr a); ván er, at vápnhrið verði hörð.*

a) i. e. ex Islandia; videtur per Gandvikam h. l. intelligi mare glaciale septemtrionale. Lato quoque sensu sumi potest in Symbolis ad geographiam medii ævi (ed. E. C. Werlauff, Havn. 1821) p. 12: *Noregr er kallaðr norðan frá Vægistaf* (*þar er Finnmörk, þat er hjá Gandvik*) *ok suðr til Gautelfar; þessa ríkis ero endimörk Gand* (legendum *Gandvik*) *fyrir norðan, en Gautelfr fyrir sunnan, Eiðaskógr fyrir austan, en Aungulseyjarsund fyrir vestan*; vide ibid. p. 34 not. 13. et quæ ad eum locum annotata sunt. Iidem Norvegiæ termini constituuntur in *Fms.* 5, 238—239, ubi pro *Gand* legitur *Gandvik.*

[2]) *A hunc titulum habet:* Nunc incipit posterior historiæ particula, quæ agit de iis rebus, quæ, antequam illa evenissent, acciderunt; quæ omnia uno simul ore narrari nequeunt; *omitt. B.* Incipit historia de piratis Jomensibus, *ceteri.*

minimo Fjölneri[1]. Horum pater Tokius, cum hæ res acciderunt, ætate provectus fuit; et autumno aliquo sub initium hiemis morbum nactus decessit. Neque post ita multo Thorvara, uxore Tokii, morbo mortua, omnes facultates ad Akium et Palnerem, patris matrisque justos hæredes, redierunt. Quem in locum cum venisset res, Fjölner ex fratribus quæsivit, quantum bonorum ipsi destinassent. Respondent, se tertiam bonorum mobilium partem, nihil vero fundorum, ei concessuros, bene cum eo agi existimantes, cum ille contra omnium bonorum trientem postularet[2]. Dicitur autem Fjölner vir callidus consiliique plenus fuisse, at malevolus. Cum fratres se plus bonorum ei concessuros negarent, ille rem sibi displicere declarans, hac accepta pecuniarum parte, regem Haraldum[3] adiit, ejusque aulicus et consiliarius factus est[4]. Ferunt, ex Danis, qui quidem titulo dignitatis carerent, eo tempore parem Akio Tokii filio existimatum neminem fuisse. Idem quavis æstate piraticæ operam navavit, pæneque semper, cum quocunque ei res esset, victoriam obtinuit. Hinc Fjölner regi Haraldo persvadere conatus est, ipsum, superstite fatre Akio Tokii filio, solum Daniæ regem non existimatum iri; persvadendoque tandem effecit, ut res inter Haraldum et Akium in hostile odium verteret. Akius vero tutum perfugium apud Ottarem, Gothiæ dynastam, quo amicissimo usus est, habuit. Huc aliquando profectus est, ab Ottare dynasta invitatus, duas habens naves, alteram draconem eximium et magnum, alteram

[1]) ex concubina natu, *add. B et ceteri.* [2]) ut si justus hæres esset, *add. cet.* [3]) Gormi filium, *add. B, F.* [4]) ille quidem versutus et malevolus fuit, rex vero sagacitate minus subtili; dicitur Fjölner, in aulam regis Haraldi receptus, fratres suos calumniatus esse, *add. B.*

faselum; quæ naves viros centum et viginti, omnes vestibus et armis bene instructos, vexerunt; de quorum itinere nil memorabile traditum est. Akius, quem digredientem eximiis muneribus dynasta prosecutus est, domum in Daniam revertitur. Sed jam de rege Haraldo narrandum, qui interea fama cognoverat, Akium ad convivium profectum esse. Eam vero ob causam Akius tanti ab civibus æstimatus erat, quod nullum inter cives apparatum convivium est, quin Akius, haud secus ac ipse rex, invitaretur, et in unoquoque convivio amplis muneribus ornaretur; tantumque apud omnes gratia valuit, ut ferme haud minus a populo æstimaretur, quam rex, quæque optasset munera ab omnibus possidentibus consequeretur. Verum Akius, qui iter in Gothiam eo potissimum consilio susceperat, ut filiam dynastæ in matrimonium peteret, liberalia responsa tulerat, jamque res eo venerat, ut duabus cum navibus domum profectus esset, uti antea dictum est. Quibus rebus animadversis, rex decem[1]) naves deducendas curat, his quadringentos et octoginta viros[2]) imponit, quibus imperat, ut irent, Akioque ab convivio redeunti insidiarentur, ipsumque cum omnibus comitibus, si ferret occasio, interficerent. Inde profecti adventum Akii, nihil periculi animo præcipientis, facile speculantur. Dicitur Akius ac comites, cum ad Selandiam[3]) in Dania appulissent, nullas insidias timentes, tentoria sua in terra habuisse. Quos regii cum magna militum multitudine, cujus antea mentio facto, improviso adorti, confestim tela in eos ingesserunt, tentoriaque super imparatos deturbaverunt, eo tandem exitu, ut Akius cum suis omnibus occumberet. Post hæc reversi re-

[1]) *omitt F.* [2]) trecentos et nonaginta, *B*; sexcentos, *F, R.*
[3]) Jotiam, *B.*

gem Haraldum conveniunt, eique, quid gessissent, renuntiant, Akium suosque omnes interfectos. Qua re delectatus rex ostendit, sperare se, per Akium non staturum, quominus Daniam singulari imperio regeret. Regii, qui Akium suosque interfecerant, capta omnia eorum arma et pecunias, tanquam prædam, abstulerant, hasque res omnes regi Haraldo tradiderant, insuperque naves, quæ Akio fuerant, draconem et faselum; quæ omnia rex suo fisco addixit. Cujus negotii exitu Fjölner, frater Akii, vehementer lætatus esse dicitur, jam sibi rependisse visus, quod ipse bona, quæ patre mortuo tanquam jure sua esse contenderat, adeptus non esset.

15. Has res in Fioniam fama perlatas cum Palner, frater ejus, accepisset, tanta affectus est animi ægritudine, ut lecto decumberet, idque in primis eam ob causam, quod in ipsum regem, in quem vindicta re vera cadebat, obtineri ultionem posse desperabat. Memoratur vir quidam, huic historiæ parti implicitus, nomine Sigurdus, qui unacum fratribus educatus fuerat, insigni prudentia et dives opibus. Hunc Palner in consilium adhibet, quo modo rem instituat. Sigurdus significat, se id potissimum consilii dare, ut ipse ei uxorem petat, quæ, si conciliari possit, magno ei ornamento sit futura. Interroganti Palneri, ubi talis femina inveniretur, Sigurdus: in Gothiam profectus, inquit, Ingibjargam, Ottaris dynastæ filiam, uxorem tibi petam. Non quidem dubito, inquit Palner, si hac conditione potiar, quin ea res plurimum sit ad levandum dolorem collatura, sed vereor, ut potiri hac femina queam. Finito sic colloquio Sigurdus iter comparat, unam habens navem, sexaginta viris instructam, delatusque in Gothiam ab Ottare dynasta benigne excipitur, protinusque, causa adventus sui expo-

sita, Ingibjargam, dynastæ filiam, Palneri Tokii filio uxorem petit: testatus, hunc fratri Akio nulla re cedere, domum ejus in Fionia opibus abundare: ni ipse hanc profectionem suscepisset, periculum fuisse, ne Palner mœrore periret: hoc potissimum fore doloris levamen, si hac conditione potiretur. Dynasta, etsi hanc rem benigne exciperet, tamen ostendit, tales res diligenter pensitandas esse, ut ratione, non temere, agerentur; neque tamen dubitare, ratione habita Akii, amici sui, ejusque fratris, quin eximia conditione dignus esset. Quamdiu hanc rem colloquio versarint, dicere quidem non habemus, is vero fuisse negotii exitus dicitur, ut Ottar dynasta Ingibjargam, filiam suam, Palneri desponderit. Hic Sigurdus: ita comparata res est, domine, ut Palnerem credam langvore ac mœrore impediri, quominus proficiscatur huc ad epulas nuptiales; at ei tantæ sunt divitiæ, eaque magnificentia, ut epulas domi in Fionia instruere possit; quam ob rem oramus, ut harum difficultatum habita ratione eo proficisci velis ad celebrandas epulas, quanto ipse velis numero tuorum comitatus. Quod facturum se dynasta pollicitus est. Post hæc Sigurdus, domum revectus, has res Palneri nuntiat. Quibus auditis cum multum dolore levaretur, epulas in adventum dynastæ plenissime apparant, nulli rei parcentes, ut esset omni nomine quam splendidissimum. Cumque adesset dies constituta, qua convenirent convivæ, adfuit dynasta et magnus cum eo hominum numerus. Tum splendidæ epulæ nuptiales celebratæ: Palner et Ingibjarga in unum lectum ambo deducti. Dicitur nupta, postquam conscenderat lectum, brevi obdormivisse, dormiens somniasse, experrectaque Palneri retulisse somnium. Imaginata sum, inquit, hac ipsa villa, ubi nunc sum, me versari,

visaque mihi sum telam suspensam habere, stamine linco cani coloris; tela suspensis stabat lapidibus, ipsaquc adstabam telam texens, neque multum processerat operis, ut mihi visum. Cum vero percutiebam (spatha) telam, unus cx lapidibus stamine suspensis de telæ aversæ media parte forte decidit; quem cum sustulissem, animum adverti, hos lapides nihil esse nisi capita humana. Cumque hoc caput, quod a stamine abruptum crat, sustulissem, manu tenui, animumque advertens agnovi. Sciscitanti, cujus caput fuisset, respondet, regis Haraldi Gormi filii fuisse, Palnere somnium boni ominis esse declarante, illaque omen accipiente. Deinde cum quantum ipsis commodum esset visum temporis celebraudo convivio insumsissent, Ottar dynasta domum in Gothiam revertitur, lectis et splendidis muneribus donatus. Novi conjuges, bona placidaque consvetudine intimoque amore juncti, non diu convixerant, cum filium procrearunt, cui nomen Palnatokii inditum est. Is domi patris iu Fionia adolevit, primaque jam ætate prudentia et gratia floruit; toto vitæ tenore neminem magis, quam Akium, patruum suum, referebat. Cumque breve tempus abierat, ex quo Palnatokius ex pueris excesserat, Palner, pater ejus, morbum nactus est, quo morbo mortem obiit, curam totius rei familiaris Palnatokio sub tutela matris recipiente. Hic, ut primum per ætatem licuit, æstatibus operam piraticæ navasse, multasque terras prædando obiisse dicitur.

16. Dicitur aliqua æstate, more solito piraticam exercens, duodecim naves bene instructas habuisse. Id temporis dynasta quidam, nomine Stefner (Stephanus), Britanniæ præfuit; huic filia fuit, nomine Olava, non minus prudentia, quam gratia, florens; quæ conditio adeo excelle-

bat, ut in primis poneretur. Huc classem appulisse dicitur Palnatokius, regnum Stefneris dynastæ populationibus infestaturus. Quo cognito, Olava, adhibito Björne Britanno, coalumno[1]) suo[2]), qui eam consiliis plurimum adjuvare solebat, id cepit consilii, ut Palnatokium domum invitaret ad splendidissimum convivium, eique conditionem ferret, ut in ea terra potius tutum perfugium quæreret, quam ibi populationes faceret. Palnatokius ac sui, hac accepta conditione, ad convivium profecti sunt; in eodemque convivio Palnatokius filiam dynastæ uxorem petiit facileque impetravit: primo enim ei pacta, deinque desponsa est; neque desponsa diu nuptias exspectavit; nam horum nuptiæ in eodem sunt convivio celebratæ, simulque decretum, ut Palnatokio titulus dynastæ, dimidiaque pars regni Stefneris dynastæ, modo ibi manere vellet, concederetur; nam socero mortuo totum ei jure competebat, Olava enim hæres ex asse erat. Reliquum æstatis hiememque insequentem Palnatokius dynasta in Britannia commoratus proximo vere declarat, se in Daniam reversurum; et insequenti æstate, antequam abiret, Björnem Brittannum his alloquitur: Velim, Björn, inquit, hic apud Stefnerem, socerum meum, remaneas, eumque in administratione regni meo nomine adjuves; is enim jam cœpit senectute admodum debilitari, neque vero absimile me haud cito reversurum. Quod si meus huc reditus differatur, dynastaque interea decedat, totum imperium in tua custodia usque ad reditum meum esse volo. His actis Palnatokius inde profectus est cum uxore Olava, felicique navigatione functus domum in Fioniam Daniæ pervenit, domique sese aliquantum temporis continuit; jamque auctoritate, potentia et intelligentia

1) consiliario, *R.* 2) dynastæ (ɔ: *Stefneris*), *F.*

ceteros omnes, ipso excepto rege, præstare vulgo existimatus est.

17. Jam perhibent, regem per regni provincias iter facientem conviviis ab amicis suis exceptum esse. Quem et excepturus Palnatokius eximium apparat convivium, dein regem adit, eumque invitat. Ille, accepta invitatione, magno comitatus hominum numero ad convivium proficiscitur. Sed turbida ingruente tempestate, sub vesperam devertunt ad rusticum quendam, nomine Atlium, cognomine Nigrum. Qui, etsi tenui in re, regem libentissime excepit. Filia ejus Æsa, dicta Sömæsa, magnæ staturæ femina ingenioque liberali, ea vespera cibum potumque ministrabat. Rex, cui spectata virgo bene placeret, patri loquitur: non quidem dissimulandum est, hospitalitatis officia vix posse liberalius præstari, quam nobis, colone, hoc loco præstitisti, verum unam nobis invides rem, nempe filiam tuam ejusque delicias. Colonus reponere, non convenire regi, feminæ, qualis filia sua esset, concubitum quærere. Sed cum ostenderet rex, eum, si voluntati suæ hac in re obsecutus esset, intima sua amicitia vicissim potiturum, is colloquii exitus fuit, ut rex Haraldus sequenti nocte cum filia coloni concumberet. Sequentis diei mane, cum tempestas desæviisset, rex domo Atlii iter paravit, digrediensque patri eximia dona dedit, filia non sine munusculo relicta. Dein, quo intenderat, perrexit, donec ad convivium, cujus antea mentio facta, pervenit. Huic convivio, quod summa magnificentia Palnatokius instruxerat, diu interfuit rex. Quem a convivio discedentem Palnatokius eximiis ac splendidis muneribus donavit, quæ rex grato animo accipere dignatus est. Provecta insequenti hieme, animadversum est a quibusdam, Sömæsam, coloni

supra memorati filiam, corpus ventremque facere, gravidam scilicet. Patri secreto eam alloquenti, quærentique de auctore graviditatis, respondet, neminem, præter regem Haraldum, consvetudine secum implicitum: neque tamen, te solo excepto, ausa sum dicere cuiquam. Hic ille: euge, inquit, eo te pluris usquequaque faciam, quo amplior est is, quocum corpus miscueris. Interea procedit tempus, donec partu levatur mulier, puerum enixa, cui, præter inditum nomen Svenis, ex matre cognomen Sömæsæ-Svenis adhæsit. Tertia post hæc æstate accidit, ut rex Haraldus a Palnatokio in Fionia convivio excipiendus esset. Quo cum venisset, Palnatokius Æsam allocutus (eo enim venerat, adducto filio, quem ex se procreatum ab rege Haraldo asseruit): jam regem audaciter adito, inquit, quo tempore poculis adsidet, eumque multa cum libertate compellato de iis rebus, quas tua interesse judicas. Puerum quoque tecum adducito, regemque his compellato: hunc adduco puerum huncce, quem qui ex me procrearit, præter te, rex Haralde, consvetudine mecum implicitum ajo neminem. Verum quæcunque tibi responsa dederit rex, multa cum libertate verba facere memento; ego vero prope adsistam, teque responsis meis sublevabo, causæque tuæ patrocinabor. Sic facit, uti ille svaserat: accedit ad regem Haraldum, puerum secum adducens, iisdemque utitur verbis, quæ ei suggesserat Palnatokius. Quæ verba cum elocuta fuerat, rex protinus excipiens, quærit, quæ hæcce femina sit tantæ in regem impudentiæ, ut ista proloqui audeat, eamque de nomine percontatur. Illa, vocari Æsam, filiam esse rustici alicujus Dani. Rex: tu vero mirum in modum impudens et stulta es, inquit; verum, si incolumis esse cupis, cave sæpius ista loquare. Hic Pal-

natokius: ideo hæc loquitur, puto, domine, inquit, quod haud dubie sua magnopere interesse judicat; nam neque mulier est vaga[1], neque meretrix, sed honesta et proba; quæ etsi ignobili genere sit aut loco nata, tamen eam proferre vera putamus. Cui rex: haud me speraveram, Palnatoki, a te huic negotio ita implicatum iri, uti nunc res est. Sic quoque esto, inquit Palnatokius, nam ego hujus rei culpam in te non derivabo; sed hunc puerum omnibus in rebus ita tractabo, ut si tuus unicus filius sit; ceterum hunc sermonem hac vice deponemus. Regi se brevi post ad abitum comparanti Palnatokius munera obtulit[2], quæ ille nec accipere, nec admittere voluit. Fjölner, patruus Palnatokii, de quo supra in hac historia mentio facta est, regem Haraldum tunc comitabatur; is regem hortatus est, ut ampla illa munera acciperet, nev indignationem suam tam aperte proderet, ut summum principem, intima sibi olim amicitia junctum, res ipsi honorificentissimas ab eo oblatas repudiando, contumelia afficeret. Quibus hortationibus effectum est, ut rex dona quidem admitteret acciperetque, sed absque ulla grati animi testificatione; et animadverti facile potuit, regi valde displicuisse, quod Palnatokius puerum ab eo procreatum confirmasset; atque sic frigescente amicitia digrediuntur, ut integra inter eos familiaritas ab eo tempore nunquam coaluerit. Rex cum suis domum rediit. Palnatokius Svenèm Haraldi filium matremque Æsam domum suam recepit, eo quod Atlius Niger, pater Æsæ, jam decesserat, omnibus pæne facultatibus consumtis. Inde Sven in Fionia adolevit apud Palnatokium,

[1]) circulatrix, *B.* [2]) *gefr konunginum gjafir*] *gjafir* est correctio editorum, cum membr. habeat *gjöfum;* forte restituendum: *gefr konunginn gjöfum,* regem muneribus placare studuit.

qui eum tam liberaliter habuit, ut si ipsius esset gnatus, honori ejus omnibus in rebus inserviit, cumque magnopere dilexit. Dicitur Palnatokius ex uxore Olava filium procreasse, qui paulo post, quam rex ab convivio discesserat, natus est; hic Akius est nominatus. Is domi apud patrem educatus est, idemque ac Sven Haraldi filius coalumni fuerunt; eoque loco Sven educatus est, donec annum ætatis [decimum quintum[1]) complevisset.

18. Quo ætatis cum pervenisset princeps juvenis, Palnatokius, nutritor ejus, eum ad patrem, regem Haraldum, mittendum statuit, delectisque viginti comitibus eximiæ conditionis, hortatur, ut aulam ad patrem ingressus, se filium ejus, gratum ingratum, profiteatur, postuletque, ut se pro filio agnoscat. Ille imperata facit. De cujus itinere nihil memorabile proditum est. Pervenit in aulam regis Haraldi, patris sui, omniaque verba, quæ ei suggesta fuerant, proloquitur. Quo facto, rex respondit: sentire ex verbis tuis et intelligere mihi videor, inquit, falsa non esse, quæ de genere tuo materno vulgo feruntur; etenim, quantum videre est, haud dubie homo es stupidissimus et quasi ab geniis suppositus (communis sensus et intellectus expers), neque Sömæsæ, matri tuæ, absimilis. Cui Sven: si me pro filio agnoscere non vis, peto abs te, ut mihi tres naves copiis instructas des in expeditionem; quod in me beneficium haudquaquam nimium est, cum certo sciam, te patrem esse meum; Palnatokius vero, nutritor meus, mihi certe tantundem militum dabit, navesque tuis haudquaquam minores. Rex contra: præclare agi puto, si hac pacta mercede induci queas, ut abscedas, nec unquam ab hoc tempore meum in conspectum venias. Dici-

[1]) vigesimum, F.

tur rex Haraldus Sveni tres naves dedisse, centum et viginti viris instruetas, quorum utrumque, tam naves, quam copiæ, minori cura erat apparatum. Post hæc Sven inde se aufert, delatusque ad nutritorem Palnatokium omnia ordine exponit quæ eum patre verba commutasset. Palnatokius: talia ab eo, neque meliora, inquit, exspectari potuerunt. Dein Sveni tres naves et centum viginti milites lectissimos dedit, eumque, qua ratione rem gereret, consilio adjuvit; et ante quam digrederentur, eum his alloeutus est: jam instanti æstate periculum facies piraticæ cum his copiis, quas naetus es. Sed hoc tibi consilii do, ne primum longius abscedas, quam ut provincias regni Danici a patre tuo remotiores populationibus infestes, hisque quantum poteris mali inferas. Armata manu grassare, ferro et incendiis omnia, quantum maxime poteris, devasta, sic per totam æstatem facere perge; sub hiemem ad me revertere, ut hic cum copiis tuis hospitio et certa mansione utaris. His dictis nutritor et alumnus digrediuntur. Sven, postquam cum copiis discesserat, omnia sibi a nutritore præcepta diligentissime exsecutus est, summaque intra fines regni paterni maleficia patravit. Et cum non parceret, quin ferro et igne in colonos sæviret, illius turbis et grassationibus oppressi graviter fremere cœperunt. Quæ cum fama brevi divulgata ad aures regis pervenissent, hunc pœnitere cœpit, quod illum copiis adjuvisset ad tantas ciendas turbas et tumultus, et significavit putare se, ad hæc quæ agere occepisset inaudita facinora eum contagione quadam materni generis trahi. Interea labitur æstas, appetenteque hieme Sven domum revertitur, in Fioniamque ad nutritorem Palnatokium pervenit, magna præda hac æstate ditatus. Ante vero quam pervenissent domum,

ingruente vehementi et immodica tempestate marisque æstu omnes naves, ei a patre datæ, fractæ sunt, omnesque harum navium vectores periere. Sven vero in Fioniam, ut præceptum erat, navigavit, ibique cum reliquiis copiarum hiemem magno habitus honore transegit.

19. Principio veris Palnatokius alumnum suum iterum colloquio adiens hortatus est, ut regem Haraldum, patrem suum, denuo adiret, et ab eo peteret, ut sex naves sibi daret, quanto satis esset militum numero instructas: tu vero diligenter memento, inquit, ut omnia, quæ roges, cum impudentia flagites, et in colloquendo sis quam audacissimus. Sven discedit, patrem convenit, sex naves propugnatoribus instructas petit, singula, hortatu Palnatokii, impudenter postulat. Cui rex Haraldus: copiis, quas tibi superiori æstate dedi, ad sola maleficia usus mihi videris; quare mira in te impudentia inest, qui, cum tantam malitiam ostenderis, iterum a me petere copias audeas. Sven contra: non ego hinc prius discedam, quam mihi ea dederis, quæ postulo; quæ si non impetrem, Palnatokius, nutritor meus, copias mihi dabit, quibuscum contra tui ipsius aulicas cohortes arma feram, neque parcam, quin illis quicquid potero mali inferam. Hic rex: habeas, licet, sex naves et viros ducentos et quadraginta, inquit, nev in conspectum meum unquam posthac venias. Re sic gesta Sven ad nutritorem Palnatokium reversus omnia quæ egerat cum patre retulit. Palnatokius ei iterum totidem viros, atque pater, dedit, cumque consiliis denuo juvit. Sic Sven duodecim navium classem et quadringentos octoginta milites habuit. Ante vero quam nutritor et alumnus digrederentur, Palnatokius infit: nunc piraticæ faciendæ causa excurrito non quidem eo-

dem, quo æstate superiori, sed tamen nunc quoque Danos infestato, eoque atrocius nunc, quam superiori æstate, grassator, quo majores nunc et instructiores, quam tunc, copias habes, nev totam per æstatem ab illis lacessendis abstineto, sub hiemem vero huc in Fioniam concedito mecum hiematurus. His dictis nutritor et alumnus ea vice digrediuntur. Sven cum suis multa regni loca armis infestat, prædas agit in Selandia et Hallandia, tantoqve fervore rem gerit hac æstate, ut dici potuerit noctem diei populando conseruisse, eaque æstate pedem ex imperio Danorum regis nunquam effert. Multos homines occidit, multos ea æstate pagos inflammavit. Cujus tumultus fama cum longe lateque percrebuisset, rex, quanquam admonitus, tamen rem tacite tulit, fortunæque arbitrio permisit. Autumno vergente Sven in Fioniam ad nutritorem Palnatokium revertitur, nullisque jam copiis, ut superiori æstate, in reditu amissis, ipse cum omnibus militibus apud nutritorem suum hiemat.

20. Vere proxime insequenti Palnatokius in colloquium alumni sui veniens sic verba fecit: jam omnes naves tuas instruito, et cum omnibus copiis tuis plene instructis patrem convenito. Adito ad eum, et postulato, ut duodecim naves viris insructas tibi attribuat. Quod si ab eo non impetretur, extemplo eum provocato ad certamen cum his copiis, quas tunc habeas; verbisque ferocioribus, quam unquam antea, eum compellato. Sven præcepta a Palnatokio facit, regem Haraldum, patrem suum, cum omnibus copiis adit, postulatque ea, quæ nutritor ei præceperat. Quo facto, rex his respondit: tu adeo es impudens, ut tui similem haud facile quenquam noverim, qui meum in congressum venire audeas: nam et prædo es et fur, atque

existimo, te omnibus rebus, quæ ad liberam agendi rationem pertineant, pessimum esse hominem; neque est, quod me putes agniturum te pro filio, quem certo sciam meo genere ortum non esse. Reponit Sven: ego vero tuus gnatus sum, inquit, tibique mecum intercedit necessitudinis conjunctio, neque tamen ego tibi ulla in re parcam: nam si hæc, quæ postulo, concedere nolis, rem nunc decernemus, armisque confestim decertabimus, neque patiar, ut ullo pacto detrectare certamen queas. Ad hæc rex: tu homo es periculosus, atque eo fere ingenio, ut si aliquorum haud tenuis sortis hominum genere prognatus sis; quare, quod postulas, tibi concedendum videtur, tu vero, hoc impetrato, e regno meo excede, atque in alias terras demigra, neque huc unquam ab hoc tempore, quoad vivam, redi. Deinde Sven cum navibus [quatuor et viginti[1] discedit, cursum continuat, donec in Fioniam pervenit ad nutritorem Palnatokium, naves jam habens bene a militibus instructas. Palnatokius, alumnum suum benigne excipiens: tu mihi videris consiliis tibi datis diligenter uti, inquit, nunc ambo communiter deliberabimus, quid optimum factu nobis videatur. Instanti æstate in piraticam excurrito, totaque jam Dania tuis populationibus patebit, excepta Fionia, qua pacata uti soleo, nam tibi quoque ea terra tutum perfugium præstabit. Hæc cum gerebantur, Sven duodeviginti annos compleverat. Palnatokius palam facit, se eadem æstate in Britanniam trajecturum, ad socerum, Stefnerem dynastam, conveniendum, navesque duodecim[2] se ducturum ostendit: tu vero, Sven, inquit, ita te in omnibus gerito, uti præcipio; procedente vero æstate magnis[3] cum copiis ad te veniam: suspicor enim

[1]) triginta, *R.* [2]) quindecim, *B*; novem, *R.* [3]) meis, *F.*

fore, ut hac æstate ingens contra te numerus copiarum mittatur, rex enim te non diutius regnum suum iuvadere patietur; quare tibi auxilio venire statui; tu vero diligenter cave, ne coactis adversus te copiis aufugias, sed prælium cum eis conserere, etsi aliquantum numero inferior, memento. Post hæc Palnatokius ac Sven digrediuntur, unoque tempore in diversa proficiscuntur: Palnatokius in Britanniam contendit; Sven vero, rationem ei suggestam ingressus, regnum patris denuo populationibus infestat, noctem diei conserens, variaque terræ loca populabundus obit. Incolæ ab insequenti hoste fugati, seque satis suplicii tulisse arbitrati, ad regem concurrunt, coram eo de rerum suarum iniquitate conqueruntur, petunt, ut aliquod celere consilium capiat Rex, rem eo loco non ferendam ratus, putansque, Svenem jam diu impune tulisse, quod alii haud impune laturi fussent, quinquaginta[1] naves armandas instruendasque curat, ipseque hanc classem educit, Svenem suosque omnes interfecturus. Provecto autumno rex Haraldus ac Sven sero vespere ad insulam Borgundiam convenere, ita, ut alteri alteros conspicarentur. Sed quod dies adeo in vesperam declinaverat, ut iniri prælium ob crepusculum non posset, ambo naves in stationem constituerunt. Postero die, cum a prima luce ad noctis tenebras conflixissent, decem regis Haraldi navibus, duodecim Svenianis milite nudatis, utrique loco manserunt; Sven vespere naves suas in intimum sinus recessum reduxit, rex suas a parte exteriore per transversum sinum, proris puppibusque copulatis, statuit, eo consilio, ut Sven in sinu intercluderetur, navesque inde educere frustra conaretur: insequentis diei mane eos adoriri,

[1]) quadraginta, *F.*

homines ad unum omnes interficere, Svenemque vita privare constituerunt.

21. Eadem vespera, quæ eventum tam memorabilem spondere videbatur, ab occidente ex Britannia advenit Palnatokius cum navibus viginti quatuor, quam classem eadem ipsa vespera ad Daniam appulit, ab altera parte promontorii, eoque loco naves tentoriis velat; quo facto solus in terram egreditur, pharetram tergo gestans. Forte evenit eodem temporis spatio, ut rex Haraldus aliquot[1] viris comitatus in terram escenderet. Progressi in silvam, excitato igne, corpora calfecerunt, omnesque trunco caducæ arboris insederunt. Cum hæc acciderunt, tenebræ noctis erant obortæ. Palnatokius, in silvam progressus, cum venisset e regione ejus loci, ubi se rex ad ignem calfaciebat, paulisper substitit. Interea rex ab altera parte se ad ignem calefaciens, substratis vestimentis, cubitis et genibus innixus, pectus adversum igni obvertebat, corpore, dum calefieret, admodum in solum devexo; eidem vero axillas quoque calfacienti nates altius erigebantur. Palnatokius sermonem loquentium clare audivit, vocemque Fjolneris, patrui, in his distincte agnovit. Mox sagittam nervo applicatam in regem emisit, quæ, ut plerique rerum periti memoriæ prodiderunt, in ipsas nates regis incussa per longitudinem corporis penetravit et ex ore evolavit, ut rex in terram exanimus, quod naturale erat, collaberetur. Omnes ejus comites, quid accidisset conspicati, rem pro summo prodigio habere. Hic Fjolner sermonem orsus, hominem, qui hoc facinus patrasset et animo prædestinasset, pessimis furiis agitatum fuisse ostendit, hancque rem, quæ tali modo evenisset, rarissimi exempli esse. Quærentes inter se, quid

[1]) undecim, *B, F, R.*

capiendum consilii esset, omnes rem arbitrio Fjolneris, quippe maximæ inter eos auctoritatis et prudentiæ, permiserunt. Dicitur Fjolner ad prostratum regis corpus accessisse sagittamque infixam extraxisse, eamque, ut erat, servasse: erat autem sagitta cognitu facilis, nam auro revincta erat. Quo facto Fjolner circumstantes allocutus: hoc potissimum consilii in medium profero, ut nos omnes in narrando hoc evento inter nos consentiamus; neque aliter mihi res referenda videtur, quam telo percussum regem in prœlio proxime præcedenti die commisso fuisse, quæ ratio nobis erit honorificentissima; hanc vero rem, quæ tam prodigiose accidit, palam vulgo facere, nobis, qui præsentes adfuimus, dedecori erit. Deinde rem inter se firmis pactis confirmant, quamque sanxerant relationem omnes constantem servarunt. Palnatokius ab recenti facto ad naves regressus viginti viros advocat, seque velle Svenem alumnum suum convenire ostendit. Itaque ab navibus profecti per transversum promontorium iter fecerunt, eademque nocte congressi, quænam ineunda ratio esset, inter se colloquuntur. Palnatokius se hoc de consiliis regis Haraldi rescivisse ait, quod sequentis diei mane, ut primum iniri prælium ob crepusculum posset, ipsos adoriri statuisset: verum tamen, cum huc advenerim, ea, quæ pollicitus tibi sum, præstabo, omnemque quam potero operam tibi navabo, eundem tecum casum subiturus. Nemo ex militibus Svenis aut Palnatokii, regem vita spoliatum esse novit, ipso excepto Palnatokio, qui novi quidquam accidisse dissimulavit, necdum ulli rem aperit. Sven, nutritorem suum allocutus: oro te, nutritor, inquit, ut aliquam rationem excogites, quæ hoc rerum statu salutem nobis afferre possit. Cui Palnatokius: haud cunctanter consi-

lium capiemus; naves tecum, quæ hoc loco sunt, conscendemus, has deinde copulis resolutis disjungemus, singularum navium proris ancoras præligabimus, laternasque sub tentoriis habebimus, nunc enim nocturnæ tenebræ omnia tenent; dein quam citatissimo remigio in classem regis feremur, nam invitus patior nos ab rege Haraldo in imo hujus sinus recessu mane cras interclusos occidi. Omnibus rebus Palnatokii consilio præparatis, in transversam classem remigio quam vehementissimo feruntur, quo factum est, ut irruentibus navibus tres faseli demergerentur, eis solis, qui nandi periti erant, in terram evadentibus. Palnatokius vero ac Sven omnes naves suas hac porta remigando traduxerunt, usque eo donec ad classem, quæ Palnatokio erat, quamque eo adduxerat, pervenerunt. Sequentis diei mane, ut primum pugna committi obscura luce posset, regios navibus adoriuntur, tumque cognoscunt, regem obiisse. Hic Palnatokius: itaque duas vobis proponimus conditiones, quarum utramvis eligatis, unam, ut in pugnam adversus nos procedatis prælioque decertetis, victoria fortunæ arbitrio permissa; alteram, ut omnes milites, qui regem Haraldum secuti sunt, regi Sveni, alumno meo, dicto jurejurando regni civiumque imperium adjudicent, eumque pro totius Daniæ rege agnoscant. Regii de hac re conferunt consilia, omnesque in eo consentiunt, ut Svenem regem agnoscerent, pugna abstinerent. Dein adeunt Palnatokium, quidque decreverint ostendunt; itaque factum est, ut omnes, quotquot aderant, Sveni regnum civesque jurejurando adsererent. His confectis rebus Palnatokius ac Sven totam Daniam una peragrant; et quocunque venissent, conventu a Palnatokio indicto, Sven non solum per totam Daniam, sed etiam per universum Dano-

rum regis imperium, antequam desisterent, rex creatus est. Funus regis Haraldi Roiskeldam deportatum, ibique humatum. Tum Daniæ imperaverat annos quadraginta et septem post obitum regis Gormi, patris sui. Sven, jam rex factus, qui sui officii duceret, more ceterorum regum omnium, ante [tertiæ hiemis initium[1] parentalia patris celebrare, nunc statim tale convivium agere, neque in aliud tempus differre statuit. Itaque primum Palnatokium, nutritorem, amicosque ac cognatos Fionienses ad convivium invitat. Palnatokius vero sic respondet, sese impediri causatur, quo minus ante proximæ hiemis initium convivio interesse possit: nam res gravissimi, ut mihi quidem videtur, momenti ad aures meas pervenit, inquit, obiisse Stefnerem, socerum meum, dynastam Britanniæ, quod regnum cum ejus morte ad me redeat, eodem mihi necessario proficiscendum est. Qui cum justis impediri causis existimaretur, quo minus invitatus adesset, rex consilium strnendi convivii distulit, nutritorem enim convivio ante omnia interesse voluit.

22. Jam Palnatokius eodem autumno ex regno proficiscitur cum classe sua, filio Akio ante discessum suum in Fionia relicto, ut prædia omniaque, quæ ibi possidebat, curaret; digrediens filium præsidio ac tutelæ regis Svenis commisit, rexque Palnatokio pollicitus optimam Akii curam habiturum, promissis stetit. Inde profectus Palnatokius cum in Britanniam venisset, regnum, quod Stefner socer ejus et Bjorn Britannus possederant, administrandum suscepit. Sic proximum semestre præteriit. Æstate proxime insequenti rex Sven in Britanniam misit, ut Palnatokius ad se ad convivium veniret, quot

[1]) ante tertium festum jolense, *B.*

liberet viris comitatus; nunc enim regem celebrare parentalia statuisse. Duodecim erant legati ab rege missi; sed cum prope aderat tempus, quod Palnatokius iter domo pararet, legatis significat, actis regi pro invitatione gratiis: nunc res ita comparata est, ut langvore aliquo tenear, quare ad hoc iter suscipiendum impar mihi videor; quo accedit, quod multo major mihi incumbat negotiorum multitudo, quam ut re sic comparata semestri proxime insequenti proficisci domo liceat. Qui cum omni modo profectionem excusaret, redeunt legati, regique hæc renuntiant. Quibus reversis omnis morbi langvor a Palnatokio recessit. Rex struendi eo autumno epuli funebris consilium deponit, sicque proxima hiems insequensque æstas præteriit. Sed cum jam in eum locum venisset res, ut Sven pro gnavo rege haberi non posset, si epulas in honorem mortui patris ante initum tertiæ hiemis non celebrasset, rem non diutius omittendam ratus, eosdem quos antea duodecim legatos in Britanniam ad nutritorem Palnatokium misit, qui eum nunc, uti antea, ad convivium invitarent, ni venisset, graves iras denuntians. Palnatokius legatis regiis respondet, eosque redire domum jubet, regique renuntiare, ut convivium ex omni parte quam fieri possit splendidissime apparet, se enim insequenti autumno adfuturum. Redeunt legati, regique exitum negotii referunt, Palnatokii adventum exspectari posse. Quare rex convivium præparavit, curavitque, ut omnia tam lectissimo apparatu, quam numero convivarum, essent quam magnificentissima. Cum jam omnia ad convivium præparata essent, invitatique convenissent, nondum Palnatokius aderat. Vergente vero in vesperam admodum die, tandem ad compotationem convivæ se contulerunt, et per sedi-

lia per aulam dispositi sunt. Hic rex dicitur vacuam sedem primariam in scamno ignobiliori, indeque ad exteriorem partem viginti et centum hominibus vacua sedilia reliquisse, quas sedes nutritori Palnatokio comitibusque suis destinabat. Cujus adventus cum tardari videretur, potari cœptum est. Sed nunc ad Palnatokium redeamus; is domo iter paravit unacum Bjorne Britanno, tribus cum navibus, centum viginti viros habens, quorum dimidiam partem Dani, dimidiam Britones effecerunt. Cursu in Daniam continuato, hac eadem vespera appellunt ad locum, ubi rex Sven sedem habebat, naves in stationem, qua altius mare litus adluere visum, advertunt, satis bono hac vespere cœli statu. Naves ita constituerunt, ut proras pelago obverterent, omnes remos scalmis impositos haberent, ut ad manum essent, si celeriter usus postularet. Dein egrediuntur in terram et ire perseverant, donec ad regem perveniunt. Quo cum venissent, convivæ poculis adsidebant; hæc erat prima convivii vespera. Palnatokius aulam ingreditur, suique omnes eum secuti. Per aulam transgressus ad regem se convertit, qui salutantem benigne excipiens ipsi suisque omnibus sedes adsignat. Jamque poculis adsidentes magnam exhibent lætitiam. Cum aliquantisper potatum erat, dicitur Fjolner ad regem conversus aliquantum temporis cum eo submissa voce verba fecisse; ad quæ rex, mutato faciei colore, vultum rubentem et tumidum assumsit. Viro, cui nomen erat Arnoddo, regi a candelis et ante mensam ejus adstanti, Fjolner sagittam aliquam tradit, jubens omnibus, qui intra aulam essent, ostendere, in eum finem donec aliquis sese ejusdem teli possessorem profiteretur. Arnoddus præcepta a Fjolnere mox exsequitur; primum a solio regio orsus introrsum per aulam

progreditur, ad unumquemque accedens sagittam ostendit, neque se quisquam possessorem professus est. Tandem, extrorsum per aulam secundum sedilia ignobiliora progressus, cum ad Palnatokium venisset, interrogat, an sagittam cognoscat. Cui Palnatokius: quidni telum meum agnoscam? cedo mihi, inquit, meum enim est. Extemplo altum in aula silentium, hominibus aures advertentibus, simulatque inventus est, qui sagittam sibi vindicaret. Mox infit rex: tu Palnatoki, inquit, ubi hocce telum proxime reliquisti? Palnatokius: tuis ego dictis, alumne, sæpe sum obsecutus, qua re, si hac re in celebritate hominum enuntianda augeri honorem tuum putas, id tibi dabo: reliqui illam, rex, in nervo arcus, inquit, quando eam in nates patris tui misi, et per longitudinem corporis ejus trajeci, ut per os evolaret. Surgite, omnes, inquit rex, Palnatokio ac suis manus injicite, et ad unum interficite; nunc enim omnis inter me ac Palnatokium amicitia et olim intercedens familiaritas abjecta est. Mox universi, qui intra aulam erant, exsiliunt; fit ingens strepitus. Palnatokius, qui commodum gladium destrinxerat, nihil sibi prius agendum existimavit, quam ut Fjolnerem cognatum suum ferro humerorum tenus transverberaret. Tot vero amicos in aulicis habuit Palnatokius, ut ei nemo ferrum intentare vellet; itaque omnes ex aula evaserunt, uno excepto homine Britanno de militibus Bjornis. Cum egressi essent, aliquisque indicaret, desiderari unum de militibus Bjornis, Palnatokius ostendens, minus damni non potuisse exspectari: nunc relinquitur, inquit, ut quam celerrime ad naves nostras descendamus. Bjorn contra: haudquaquam tu tuum militem sic desereres, si in mea causa esses; neque ego deseram, inquiens, confestim intro in aulam regreditur.

Quo cum veniret, hominem Britannum super capita in sublime jactatum pæne discerpserant. Quo Bjorn animadverso, homine correpto et in humeros sublato excurrit, et cum ceteris ad naves perrexit. Quam rem Bjorn gloriæ parandæ causa maxime exsecutus est, hominem enim mortuum esse haud dubitavit, atque sic quoque res erat, nam homo (interea) moriebatur. Quem cum Bjorn secum ad mare portavisset, in naves excurrerunt, statim remis incubuerunt, beneficioque densissimarum noctis tenebrarum et malaciæ usi effugerunt, neque prius cursum stiterunt, quam in Britanniam pervenerunt. Rex vero cum omni multidudine domum ad aulam rediit, ægerrime ferens, quod propositum exsequi non potuisset. Itaque integrato convivio, epulas funebres celebrant, quo confecto suam quisque domum inde repetiit.

23. Ferunt, Olavam, uxorem Palnatokii, [æstate proxime insequenti[1] morbum sibi letalem nactam esse[2]. Qua mortua Palnatokius mansionis in Britannia pertæsus, Bjorne Britanno ad custodiam regni relicto, triginta naves apparat, piraticæ et populationis exercendæ causa excursurus. Comparato itinere e regno proficiscitur, eaque æstate Scotiam et Hiberniam populabundus accedit, magnas piratica opes, magnam gloriam consequitur. Quo vitæ genere cum per continuas duodecim æstates uteretur, ampla se obtulit et rei faciendæ et gloriæ comparandæ occasio. Interea vero dum in his expeditionibus tempus consumebat, aliqua æstate in Vindlandiam proficiscitur, eo loco prædas acturus; quadraginta tum naves ducens, cum decem superioribus adjecisset. Eo tempore huic terræ impera-

[1]) post hæc cadem æstate, *F.* [2]) a [cum maritus in Britanniam rediisset, mortuam fuisse, *B.*

vit rex, nomine Burizlavus, qui, hostilem incursionem præmetuens, quod fama acceperat, Palnatokium, ubicunque piraticam faceret, ferme semper victoriam reportare, piratarum ejus temporis celeberrimum esse, omnes prudentia et consilio superare, ideoque admodum paucos ei resistere posse: haud multo post quam eo classem appulerat, adventu et consilio ejus cognito, suos ad eum mittit, eum ad se invitat, se pacis cum eo faciundæ amicitiæque jungendæ cupidum ostendit. Præter hanc invitationem pollicitus est, daturum ei unam provinciam sive præfecturam regni sui, Jomium appellatam, ut ibi sedem figeret; daturum vero ea præsertim conditione, ut terræ regnique defendendi socius regi esse hac lege teneretur. Accepisse hanc conditonem Palnatokius suique omnes dicuntur; ipseque statim ingentem et firmam arcem maritimam, castellum Jomense ab eo tempore appellatam, in provincia sua extruendam curat. In superiori castello portum curat faciendum, in quo [trecentæ sexaginta[1] longæ naves uno tempore stare possent, ita ut omnes castello inclusæ essent. Aditus in portum magno artificio erat præmunitus, portæ speciem habens, ingenti superstructo fornice lapideo; porta januas habuit ferreas, ab interiori portu occlusas. Fornici lapideo superstructa erat ingens arx, ballistas habens. Pars castelli in mari jacta erat (castella sic facta maritima vocantur), ideoque portus a castello includebatur.

24. His confectis rebus Palnatokius, ut civitati plus, quam adhuc acceperat, roboris accederet, ex auctoritate prudentium virorum leges in arce Jomensi posuit. Nemo in societatem Palnatokii reciperetur quinquagenario major, nemo duodeviginti annis minor; omnes media inter

[1]) *sic F, R*; amplius 50 et 200, *B*; tres, *A*.

utramque ætate essent. Nullus omnino vir ibidem versaretur, qui alteri pari fortitudinis specie armisque æque instructo cederet. Quicunque se eorum cœtui adsociasset, firmiter sponderet, se necem alterius, tanquam convictoris[1] aut fratris, in vicem ulturum. Nemo dissidiorum semina inter cives spargeret. Si quæ res novæ eo allatæ essent, nemo ea temeritate esset, ut eas nuntiaret; Palnatokius enim ibi primus res novas referret. Si quis horum, quæ jam enumerata sunt, convinceeretur, hasque leges violasset, is extemplo ejiceretur et ex societate eorum expelleretur. Item, si quis receptus esset, qui fratrem aut patrem antea cooptati aliumve propinqua necessitudine eidem junctum interemisset, eaque res homine demum recepto innotesceret, tum Palnatokius ea de re sententiam diceret. Nemo omnino mulierem secum in arce haberet. Nemo tribus noctibus amplius, nisi concedente ac permittente Palnatokio, ex arce abesset. Omnis præda, major minorve, quæ in piratica capta esset, omniaque, quæ alicujus pretii essent, hastæ subjecta dividerentur; si quis ita non fecisse convictus esset, ex arce excederet, sive majoris sive minoris dignitatis esset. Nemo timorem voce proderet, nec ullam rem metueret, quantocunque discrimine res eorum versarentur. Nulla res inter ipsos in arce intercederet, quin Palnatokius ea omnia proprio arbitrio componeret ac decerneret. Si quis antea non cooptatus in hanc societatem recipi cuperet, neque cognationis neque amicitiæ ulla ratio haberetur; et si quis ex antea cooptatis pro aliquo, qui ex legum præscripto minus esset idoneus, deprecaretur, frustra esset. His rebus ita constitutis in arce se continent, legesque suas diligenter servant.

[1]) filii, *F*; patris, *B*.

Quavis æstate, ex arce profecti, in varias terras prædandi causa excurrunt, magnam sibi gloriam pariunt, et pro excellentissimis piratis habentur, neque fere quisquam eo tempore erat, qui se cum eis comparare posse existimaretur; atque ab eo tempore perpetuo sunt piratæ Jomenses adpellati.

25. Jam de rege Sveine narrandum. Is Akium, filium Palnatokii, summis in deliciis habuit, ut si patri semper amicissimus fuisset. Quorum amicitia etsi nonnihil friguerat, nihil tamen offensæ rex in Akium derivavit, sed necessitudinem, quæ inter eos ut coalumnos intercedebat, religiose coluit. Itaque Akius in Fionia se continebat, prædiisque, quibus eum præfecerat pater, uti supra dictum est, præfuit.

26. Adtingit hanc historiam vir, nomine Vesetius, provinciæ, quæ Borgundarholmus dicitur, præfectus; ejus uxori nomen fuit Hildigunna. His tres liberi erant, qui in hac historia memorantur; uni filiorum nomen erat Buio, Crasso dicto, alteri Sigurdo, Kapæ cognominato. Eorundem filia, nomine Thorunna, paucis annis, ante quam hæ res acciderunt, nupserat. Hanc rex Svein Akio, filio Palnatokii, petierat uxorem, eaque ei collocata fuerat, neque post multo, quam juncti matrimonio erant, filium nomine Vagnem ex Akio pepererat. Interim dum hæc gerebantur, Selandiæ præfuit dynasta, nomine Haraldus, cognomine Strutharaldus (Haraldus Tutulatus); cognominis ea causa, quod pileum gestabat, insignem ingenti tutulo, qui ex cocto auro factus erat, tantæque magnitudinis, ut decem auri selibras penderet; inde id cognominis adeptus est, ut Strutharaldus (Tutulatus) adpellaretur. Uxori dynastæ nomen Ingigerda. Nati ex his tres liberi, quorum in hac historia mentio fit: filiorum uni

Sigvaldio nomen, alteri Thorkeli, qui Procerus dictus est; filiæ Tova nomen. Akius Palnatokii filius magna cum gloria et honore in Fionia habitavit; ibidemque Vagn domi apud patrem suum educatus est, donec aliquot annos compleverat. Hunc, ut primum cognosci indoles ejus potuit, ingenio, quam ceteros omnes, qui ibi educati fuerant, difficiliori fuisse dicunt; mores totaque agendi ratio talis, ut pæne intractabilis existimaretur. Et ferunt, Vagnem interdum domi, ut ad id tempus, educatum esse, interdum in Borgundarholmo apud Vesetium, avum suum, versatum; idque ea causa, quod uterque horum se consilio eum regere, aut vi coercere posse desperabat, adeo tractatu difficilis habitus est. Ex omnibus cognatis facillimum se Buio præbuit, ejusque admonitis maxime fere obsecutus est, eo quod hunc carissimum habuit; ceterorum autem cognatorum monita, quibuscunque in rebus, si ipsi secus videretur, nihili fecit. Erat omnium æqualium formosissimus et aspectu pulcherrimus, artium peritia excellentissimus, florenti jam ætate ad omnia maturus. Buius, avunculus ejus, erat verborum parcus, sæpissime majorem in modum taciturnus, ingenio vehementi; tam robustus, ut vires ejus vulgo parum innotuerint. Idem, quanquam formositate non conspicuus, vegetæ erat strenuitatis, animi vehementiam specie præferens, fortitudine ad omnia excellens. Sigurdus Kapa, frater ejus, erat formosus, experrectus ac strenuus, sed admodum difficilis tractatu et majorem in modum pauciloquus. De Sigvaldio, filio Strutharaldi, hoc dicere est, quod erat turpi naso, ore pallido, oculis pulcherrimis, magna statura et vegetissimus. Hujus frater Thorkel æquales staturæ magnitudine superabat; insigni robore, prudentia excellenti, quæ ei cum fratre communia erant.

27. Sigvaldius ac frater (sic memoriæ proditum est) duas naves compararunt, e regno ad arcem Jomensem profecturi, tentaturi, an recipiantur; sententiam patris sui, Haraldi dynastæ, exquirentibus, an consultum existimaret, se globo piratarum Jomensium adsociari, ille respondit, dicens, consultum sibi videri, ut eo se conferrent atque gloriam et honorem sibi parerent: tempus enim est experiendi, fratres, quid virtute valeatis. Petentibus ab eo, ut pecunias et cibaria ad profectionem daret, respondit, jubens alterutrum facere, ita e regno facere profectionem, ut ipsi sibi cibaria aliaque, quorum opus esset, compararent, aut pedem nusquam proferre domique sedere quietos. Illi nihilo secius proficiscuntur, etsi Haraldus dynasta, pater, eis nihil suppeditare vellet. Habebant duas naves et centum viginti homines, quam manum diligentissime instruxerant et ornarant. Inde pergunt ire, donec ad Borgundarholmum pervenerunt. Hic opus sibi esse existimantes, ut aliquo pacto cibaria sibi et pecunias compararent, id capiunt consilii, ut eo loco escensione facta prædas agerent; itaque opulentissimum, quod Vesetio erat, prædium diripuerunt, omnibus quæ ibi erant bonis eum spoliarunt, prædaque ad naves deportata cursum continuarunt, nullaque re memorabili incidente ad arcem Jomensem pervenerunt. Adplicant naves ad portam arcis exteriorem. Ea perpetua consvetudo Palnatokio fuit, ut in eam arcis partem, quæ ostio portus superstructa erat, magno cum numero militum procederet, unde colloqui cum eis, qui ad arcem accessissent, consvevit. Jamque cognito adventu Sigvaldii ac fratris, idem quod consverat facit, adscendit in arcem multis stipatus, indeque, quis copiis ac navibus eo delatis præesset, percontatur. Cui Sigvaldius: his

imperant, inquit, duo fratres, filii dynastæ Strutharaldi; mihi Sigvaldio, fratri Thorkeli, nomen. Ea vero de causa hic adsumus, quod in vestram societatem una cum his, quos alicui usui ex nostris esse judicaveritis, recipi cupimus. Palnatokius liberaliter respondit; sententias tamen piratarum Jomensium, sociorum suorum, exquirit, significans, sibi genus eorum notum esse, amploque loco natos demonstrat. Piratæ Jomenses rem arbitrio Palnatokii permiserunt, quæque ipsi placuissent suam esse voluntatem declararunt. His actis, portæ arcis Jomensis aperiuntur; Sigvaldius ac frater in arcem remigio ingrediuntur. Quo cum venissent, ex præscripto legum piratarum Jomensium rudimenta ponere dedebant milites eorum; et factum est, ut copiæ eorum explorarentur, an ea fortitudine et virtute æstimari possent, ut digni essent, qui cœtui piratarum Jomensium adscriberentur, omnibusque legibus, quæ eo loco valebant, satisfacere possent. Quod experimentum ita cecidit, ut pars dimidia militum eorum a piratis Jomensibus in societatem cooptaretur, pars dimidia remitteretur. Recepti Sigvaldius hujusque frater, Thorkel, cum sexaginta viris, et in communionem societatis cum piratis Jomensibus cooptati; neque quisquam majori in honore, quam hi fratres, apud Palnatokium fuit; resque hoc loco aliquantum temporis manebat.

28. Nunc ad Vesetium redeat narratio, quem opulentissimo, quod ei erat, prædio spoliatum fuisse demonstravimus. Cujus rei fama ut ad aures ejus pervenit, id primo consilii cepit, ut filios suos ab omni impetu ac violentia refrænaret; ipse regem Sveinem adit; demonstrat, quid filii Haraldi facere instituerint, ut se spoliaverint, prædiumque suum, quod unum erat in opu-

lentissimis, diripuerint. Cui rex: id tibi consilii do, inquit, rem ut in præsentiarum quiescere sinas; ego vero mittam ad Strutharaldum, si forte velit pro filiis suis pecunia satisfacere ita, ut indemnis sis, in qua satisfactione tibi acquiescendum erit. His actis domum redit Vesetius; rex vero Svein extemplo ad Haraldum dynastam mittit, ut ad se veniat. Dynasta profectionem non intermittendam ratus, ire pergit, donec ad regem pervenit. Excipitur liberaliter; rex ab Haraldo dynasta quærit, an sciat quo damno filii sui Vesetium adfecerint; ille se haud satis scire ostendit. Rex ei indicat, eos prædium ejus, quod maximum esset, diripuisse; orat, ut pro eis pecunia satisfaciat; ita rem placide componi posse. Dynasta reponens negat se adhuc conciliasse eam pecuniam, qua satisfacturus sit pro adolescentibus, si boves aut oves ad vescendum rapuissent. Rex: itaque nunc re sic comparata domum redito, inquit; meam tibi jam voluntatem aperui; restat ut admoneam te, ut tibi rebusque tuis a filiis Vesetii caveas; ipse me posthac haudquaquam interponam, siquidem consilio, quod tibi dedi, uti non vis, idque solum sequeris, quod tibi placeat, quod inconsulte factum opinor. Haraldus dynasta respondet, id suo periculo fore, neque se hanc rem ejus curæ mandaturum: etenim longe absum, ut a Vesetio ejusque filiis metuam. His actis Haraldus dynasta domum redit, in cujus itinere memorabile quidquam accidisse memoriæ non est proditum.

29. Ab his proxime referendum, quod Vesetius filiique fama cognoscunt, quid Haraldus dynasta et rex Svein inter se collocuti essent, quem exitum colloquium eorum habuisset, quæque verba dynasta ab rege digrediens fecisset. Itaque filii Vesetii, quid faciendum sit, deliberare

instituunt. Eam ineunt rationem, ut tres[1] naves, ingentis magnitudinis omnes, comparent, has viris [ducentis et quadraginta[2] instruant, eamque manum quam exquitissime ornent. Dein ire pergunt, donec in Selandiam pervenissent. Hic tria opulentissima, quæ Haraldo dynastæ erant, prædia diripiunt. Quo facto, filii Vesetii cum hac ingenti præda, quam nunc acquisiverant, domum revertuntur. Hæ res celeriter ad Strutharaldum dynastam perlatæ, spoliatum esse, tria prædia ejus opulentissima direpta, quæ prædicta ei ab rege fuissent, in memoriam revocant. Itaque mittit ad regem, si forte velit se interponere ad gratiam inter eos reconciliandam; se nunc libenter velle rem ex ejus arbitrio transigi. At rex respondet: jam Haraldus dynasta bonis illis consiliis suis utatur; ego nunc hanc rem a me alienam putabo, neque enim, cum de ea colloquebamur, quando res minoris momenti agebatur, meis uti consiliis voluit; itaque nunc suum solius arbitrium ipse sequatur, ego vero nullus me interponam. Redeunt ad dynastam legati, eique responsa regis renuntiant. Itaque nostro consilio res peragenda, inquit dynasta, quandoquidem rex quietus huic causæ adsidere cupit. Jam Haraldus dynasta decem naves comparat, virisque et armis diligentissime instruit; cum hac classe profectus ire pergit, donec ad Borgundarholmum veniunt. Hic exscendunt in terram, tria prædia, quæ Vesetio erant, direptis antea a filiis Vesetii non deteriora, diripiunt. Qua parta præda Haraldus dynasta in Selandiam revertitur, condignam ultionem se hac profectione obtinuisse existimans. Haud longum inde tempus transiisse dicitur, cum Vesetius ista cognoscit, omnem hanc, quæ facta erat, bonorum jacturam; quare id

[1]) quatuor, (verius, puto), *B*, *F*. [2]) trecentis et sexaginta, *B*.

consilii capit, ut confestim regem Sveinem adeat, a quo benigne exceptus est. Dein Vesetius causam suam coram rege exponit, hunc in modum verba faciens: audivisti profecto, domine, me inter ac Strutharaldum dynastam inimicitias aliquamdiu intercessisse, et vereor, ne hæc dissidia in bellum internum erumpant, nisi te medium interponas, quod postea difficilius, quam quem in locum nunc deducta res est, fore arbitror; nam pars utraque tui, domine, subditi sunt. Rex hunc in modum respondit: haud diu erit, cum ad comitia, Isorana[1] dicta, profecturus sum; huc venire jussus Haraldus dynasta autoritate primorum civitatis meque arbitro tecum in gratiam redibit; quam rationem dynastæ utilissimam fore reor, hanc rem ut meo arbitrio decidam, in primis cum tu causam tuam prudenter tractare videaris. His actis Vesetius domum revertitur; interea procedit tempus, donec rex Svein cum suo comitatu se ad comitia comparat. Rex Svein quinquaginta[2] naves habuit, tantam classem ea de causa, quod solus inter eos controversam rem decernere statuerat. Haraldus dynasta, qui breve iter ad comitia habebat, viginti tantum naves adduxit. Venit et in comitia Vesetius, tres solum naves habens; in cujus comitatu filii sui, Buius Crassus et Sigurdus Kapa, non fuisse dicuntur. Ubi rex et dynasta et Vesetius in comitia venerant, Vesetius infra ad mare juxta fretum, quod adluit locum comitiorum, tentoria sua posuit, Strutharaldus dynasta superius aliquanto tetendit, rex medius inter utrumque posuit castra. Die in vesperam inclinata ex comitiis conspicantur decem naves ab domicilio Haraldi dynastæ advehi. Qui ut adpropinquarunt, naves in stationem adpellunt, e navibus in terram cum copiis

[1]) Isoana, *B*; Sorana, *F*. [2]) sexaginta, *F*, quod forte verius.

egrediuntur, et in comitia se rapiunt illico. Iidem mox agniti: aderant filii Vesetii, Buius ac Sigurdus. Tum Buius admodum splendidis vestibus indutus erat; gerebat enim vestitum, qui Haraldi dynastæ erat; qui ornatus tam erat sumtuosus, ut [viginti auri selibræ[1] in eum impensæ essent. Iidem Haraldum dynastam duabus arcis spoliarant, auro tam refertis, ut in arca utravis mille ducentæ auri selibræ inessent. Pileum dynastæ, in quem decem auri selibræ fuerant impensæ, capite Buius gestabat. Jam fratres plena instructi armatura in comitia progrediuntur, stipati militibus ordinatis et ad speciem impigerrimis. Cum eo venissent, Buius, postulato factoque silentio, dynastam Strutharaldum allocutus, sermonem orditur: nunc e ratione fuerit, dynasta, inquit, si quam notitiam habes harum pretiosarum rerum, quas in nobis splendere nunc haud dubie animum advertis, has nunc intrepide repetitum ire, si modo audeas, sique tibi ulla inest virtus; diu enim gloriosa in me cognatosque dicta jecisti; atque equidem nunc omnino paratus sum tecum decertare, si quid virile in te habes. Rex Svein, Buii verbis auditis, cum intelligeret, fieri cum detrimento majestatis suæ, si eos ibi in comitiis inter se dimicare pateretur, neque interventu suo prohiberet, ne concurrerent, qui tam firmiter statuisset, ut ibi in comitiis inter se reconciliarentur, id consilii cepit, ut interventu suo prohiberet, ne congrederentur, cujus intercessione et auctoritate res in eum locum est deducta, ut pars utraque concedere regi arbitrium cogeretur, rem inter eos pro lubitu decernendi. Sed Buius in pactione constituit, se arcas, quibus dynastam spoliarat, in quibus aurum servabatur, nunquam redditurum, neque

[1]) decem auri pondo, *B.*

quidquam ex rebus ejus pretiosis; cætera pro arbitrio constituendi regi fecit potestatem. Cui rex: tu, Bui, inquit, te supra nos insolentius effers; verum tamen tu, quæ de arcis postulasti, habeas licet, dynasta vero tantum alius pecuniæ recipiat, quantum pro justa satisfactione æstimari possit; at res pretiosas dynastæ, quas cepisti, reddere, Bui Crasse, teneris, ne eum illa contumelia aut ignominia adficias, ut ornatu suo principali spolietur. Is exitus rei fuit, ut auctoritas regis valeret; Buiusque se vestibus exuit. Rex autem eam ob causam hoc maxime urguebat, ut res pretiosæ dynastæ redderentur, quod dynasta summa se affectum ignominia æstimavit, si res suas pretiosas sibi habere non licuisset. Itaque convenit inter eos, ut rex rem ita decerneret, uti modo de rebus pretiosis constituisset, ceteraque controversa ex æquo bonoque decideret. Dein rex sententiam pronuntiat, a præjudicio antea facto ordiens, secundum quod Buius res pretiosas dynastæ continuo redderet, ipse utrasque arcas, quibus aurum inerat, integræ gratiæ cum dynasta reconciliandæ causa, sibi haberet; illi etiam prædia Strutharaldi dynastæ, quæ diripuissent, pecuniis restituerent: hic vero vicissim honoris vestri causa faciat, ut Tovam filiam suam Sigurdo Kapæ in matrimonium det, cui istæ pecuniæ dotales sunto; itaque direpta prædia non aliter restituerentur, quam ut pecunias solvendas ipsi (dotis nomine) retinerent. Ea vero de causa rex decisionem sic fecit, quod ita facillime sperabat integram inter eos amicitiam coalituram, gratiamque reconciliatam maxime diuturnam fore, si affinitate inter se jungerentur. Illi, pater ac filii, hanc conditionem læti accipiunt; Vesetius Sigurdo tertiam partem omnium bonorum suorum addicit; Sigurdus conditione uxoria,

quæ destinata ei erat, maximo opere delectatur. Hoc igitur pacto gratia invicem reconciliata statim ex comitiis ad dynastam Strutharaldum se conferunt, nuptiæ enim Tovæ ac Sigurdi continuo celebrarentur. Eodem rex, item Vesetius ac filii, ut vero erat simile, hoc convivium celebraturi præcedunt; moxque nuptiæ Sigurdi ac Tovæ summa magnificentia et honore celebrantur. Peracto convivio rex muneribus donatus ceterique convivæ domum redierunt. Vesetius quoque cum filiis in Borgundarholmum revehitur, comitante Tova, dynastæ filia. Inde res aliquantum temporis quietæ, bonaque concordia inter omnes cives viguit.

30. Ubi fratres paulum temporis domi fuerant apud patrem versati, Buius Crassus, quid in animo haberet, aperuit, se ad arcem Jomensem proficisci ad quærendam gloriam et honorem statuisse. Huic se socium itineris frater Sigurdus, etsi nuper uxorem duxerat, adjungere cupivit. Comparant itaque domo profectionem fratres, duas habentes naves et centum viginti viros, exemplum a filiis Strutharaldi, Sigvaldio ac Torkele, antea institutum secuturi. Dein ire pergunt, donec ad arcem Jomensem venerunt; naves extra ad fornicem lapideum et aditum portus constituunt. Quorum adventu animadverso præfecti arcis, Palnatokius, Sigvaldius[1], Thorkel Procerus, in fornicem lapideum progressi sunt; Sigvaldius ac frater præfectos navium agnoscunt. Buius sermonem exorsus, significat, se ac fratrem una cum omnibus copiis, societatem cum piratis Jomensibus, si cum Palnatokii voluntate fieri licuisset, inire cupere. Excepit Sigvaldius: quo pacto tu et pater meus Strutharaldus, antequam e regno profectus sis, negotium vos inter-

[1]) in Textu est *Sigurðr*, quod mendum esse puto.

cedens transegistis? Buius: de rebus inter nos intercedentibus referre, inquit, longum foret, is autem exitus fuit, ut rex Svein omnes res inter nos controversas deciderit; neque ea brevi sermone possum explicare, quæ inter nos intercesserint, nunc vero reconciliati sumus. Hic Palnatokius socios suos, piratas Jomenses, alloquitur: fortunæne committendum putatis, inquit, vera dicant isti, an non? nam equidem eos perlibenter reciperem, inquit, propterea quod paucos esse in nostro cœtu tales, quales hi sunt, arbitror. Respondent piratæ Jomenses: placet, si tibi ita visum erit, hos homines in tuam nostramque societatem recipi; sin vero postea aliquid, nobis nunc incognitum, de eorum conditione innotescet, hoc, ut cetera omnia, tuo arbitratu decidendum erit. His dictis porta arcis Jomensis aperitur; Buius ac fratres navibus in portum ingrediuntur; exploratis dein copiis eorum, adsciscuntur viri octoginta; quadraginta in Daniam revertuntur. Porro memorandum est, hos omnes viros principes, tum eos, qui antea nominati sunt, tum qui modo advenerant, una in arce se continuisse, arcta amicitia junctos. Hi unam ex altera æstatem in piratica varias per terras facienda comsumserunt, opesque et insignem gloriam sibi pepererunt. Et si res ab eis præclare gestæ hac in historia non commemorentur, constat tamen inter omnes, dubium esse, ullos extitisse heroas aut fortes viros piratis Jomensibus excellentiores; quorum similes vix repertos esse autumamus. Illi quamque hiemem in arce Jomensi quieti transegerunt.

31. Sed redeamus ad Vagnem Akii filium. Is domi in Fionia apud patrem adolevit, interdum apud Vesetium avum suum versatus est. Idem in pueritia adeo erat indomitæ indolis, ut

ad significandum ingenium ejus hoc potissimum memoriæ proditum sit, quod, cum novem[1] annos natus esset, tres homines jam interfecisset. Is igitur domi versabatur, donec duodecim annorum esset, tumque eo processerat res, ut ingenium ejus atque vehementia vix ferenda videretur; atque adeo se facinorosum præbuit, ut nulli rei parcere vellet. Quæ difficultas quomodo expedienda esset, cum cognati ejus se nescire faterentur, id captum consilii est, ut Akius, pater ejus, ei sexaginta milites unamque navem longam, Vesetius, avus ejus, tantundem militum alteramque navem longam darent, cum nemo ex comitibus ejus major esset annis viginti, nemo duodeviginti junior, excepto ipso Vagne, qui duodecim annorum erat. Illic non plura, quam quorum facta mentio est centum viginti militum duarumque navium longarum, postulavit, sibi nihil amplius opus esse significans, cum se ipsum cibaria aliaque, quorum usus esset, comparaturum diceret.

32. Itaque Vagn domo proficiscitur cum hisce lectissimis copiis. Quibus cum opus esset primo quoque tempore cibaria comparare, Vagn, licet ætate puer, se inopia consilii minime laborare ostendebat. Nimirum litora Daniæ, quantum in longitudinem patent, armata manu obiens pecorum abigit affatim, quantum usus postulet; vestes et arma rapit, ut, cum tandem e Dania navigaret, ei neque telorum aut armaturæ, neque cibariorum copia deesset, quarum rerum copiam Danos sibi suppeditare cogit. Sic omnibus rebus abunde instructus, quæ ad has duas naves opus erant, cursum continuat, donec primo mane diei, oriente sole, ad arcem Jomensem pervenit, navesque extemplo ad fornicem lapideum dirigit. Princi-

[1]) decem, *B.*

pes, qui in arce erant, Palnatokius et Sigvaldius, Thorkel, Buius et Sigurdus, simul animadversa classe, in castellum, uti consveverant, adscendunt, quique advenissent, percontantur. Vagn contra interrogavit, an Palnatokius in castello esset. Ille respondit, dicens, adesse in colloquium ejus hominem, qui sic nominetur: aut quinam sunt hi, inquit, qui se tam magnifice gerunt? Vagn: haud celabo te nomen meum, Vagn appellor, inquit, sum filius Akii Fioniensis, tibique propinqua cognatione junctus; ea vero de causa huc adsum, quod volui in vestram recipi societatem, eo quod domi haud nimis facilis esse videbar, quo inde digrediente, cognati satis se tulisse arbitrati sint. Palnatokius: putasne, cognate, inquit, si domi vix aut ne vix quidem ferendus eras, fore, ut hoc loco idoneus habearis, quocum quis quid negotii habeat? Vagn: falso mihi laudatus es, cognate, si non poteris meo ingenio ita moderari, ut in consortio fortium virorum esse mihi liceat; quin honori meo servire voles, quandoquidem in congressum tuum venimus. Tum Palnatokius piratas Jomenses compellans: placetne vobis, inquit, recipi Vagnem cognatum meum suosque, an non? Tum Buius Crassus: mea sententia est, inquit, etsi soleo Vagne præ ceteris cognatis facillimo uti, ut eum recipiamus nunquam, neque ille unquam hanc in arcem pedem inferat. Adversantur tibi, cognate, qui intra arcem sunt, inquit (Palnat.), quin etiam consanguinei tui, qui te exacte norunt. Vagn: num id palam profitentur hi, qui tibi adstant, inquit, quod me recipi nolint? neque tamen speraverim, hoc palam pronuntiare Buium, cognatum meum. Atqui verum est, inquit Buius, me non hortari, ut recipiamini, sed dehortari, et tamen arbitratu Palnatokii fieri volo. Quid vero in medium pro-

ferunt filii dynastæ Strutharaldi, inquit Vagn, id scire gestio. Libere profitebimur, inquit Sigvaldius, nolle nos te unquam nostro gregi adsociatum. Jam Palnatokius interrogavit et dixit: quot annorum es, cognate? inquit. Ille: haud mentiar, inquit, duodecim annorum sum. Itane? inquit Palnatokius, postulas adeo ea, quæ legibus nostris repugnant, cognate, qui ætate multo sis junior, quam quos huc in arcem Jomensem lege receperimus nostro cœtui adsociandos; hæc legitima excludendi ratio est, quapropter tibi nobiscum versari non licet. Vagn contra: haud contendam, cognate, ut violes leges tuas; hæ vero tum minime violabuntur, si aliquem duodeviginti annorum aut majorem æquiparavero. Obsecro te, cognate, inquit Palnatokius, ne isthoc diutius contendas; ego te potius occidentem versus in Britanniam mittam ad Bjornem Britannicum, et consangvinitatis nostræ gratia dimidiam partem regni, quod in Britannia est, tibi possidendam et administrandam concedam. Vagn: liberalem esse hanc fateor conditionem, cognate, neque tamen id, quod nunc offers, accipere volo. Quid igitur optas, cognate, inquit, si tales res, quales nunc offero tibi, rejicis; nam mihi videor honestam tibi conditionem obtulisse. Vagn: attamen eam nolo, inquit, quamvis eximiam et cognato dignam. Palnatokius: quorsum, quæso, spectat tua, cognate, insolentia et importunitas, inquit, si quidem tales res rejicis? Jam audietis (inquit Vagn), piratæ Jomenses, quid animo meo insit: eam conditionem offero Sigvaldio, Strutharaldi dynastæ filio, ut inter nos certemus et cum æquo copiarum numero manum conseramus; ille duas naves et centum viginti milites castellanos habeat, deinque experiamur, uter utri cessurus et uter superior ex tali certamine disces-

surus sit. Cujus certaminis ea lex esto: si forte accidat, ut illi gradum referant et refugiant, nos recipere manendique in arce Jomensi potestatem nobis facere teneminor; sin vero ea sors, quam modo Sigvaldianis adtribueram, nos ipsos maneat, abscedemus, vosque his postulatis soluti estis. Sed ego vos non minori contentione provoco, quam ut decertet nobiscum Sigvaldius dynastæ filius, si audeat, si intrepidus vir sit, si potius hominis, quam bestiæ feminæ, cor in pectore gerat. Hic Palnatokius: pro rem inauditam, quam iste juvenis vir inceptat! Tu, Sigvaldi, audire potes, qua te dynastæ filium verecundia provocet; et vero nullus dubito, quin te hic cognatus meus, antequam digrediamini, in plenum contentionis discrimen adducturus sit. Sed cum hæc provocatio tam vehementer atque immaniter urgueatur, vix idoneus vir existimaberis, si periculum adversus eos pugnandi non feceris; nam verbis multo indignioribus es lacessitus, quam ut subterfugere possis. Igitur reliquum est, ut adversus eos procedatis, tamque acrem in eos impetum primo statim tempore faciatis, ut statuere sibi modum discant. Ceterum, si forte acciderit, ut Vagn cognatus noster iniquiori, quam pro magniloquentia sua, fortuna usus, victoria excidat, impensissime moneo, ne quis ei arma intentet; quod qui fecerit, ei male erit; nam, etsi vix cujuslibet pueri ludibrium esse (i. e. etsi se justo ferociorem præbere) videatur, tamen ægre laturus sum, si eum male mulcatum aut aliquo damno affectum videam. Verum tamen rem nunc in discrimen commissam esse puto, Sigvaldi, qua virtute in prælium procedas, etsi cognatus meus puer ætate sit. Post hæc Sigvaldius ac sui cum duabus navibus ex arce adversus Vagnem contendunt; ut primum inter se occurrunt, clypeos

conserunt, prœliumque committunt; et dicunt, Vagnem ac suos vehementissimum saxorum nimbum tam subito in Sigvaldianos effudisse, ut nihil nisi clypeos sibi prætendere ictusque excipere potuerint, tamque vehementes erant juvenes illi, ut hostes satis occupatos tenerent. Ut copia saxorum deficere cœpit, tela, quibus cæsim pugnarent, protinus expediebant; rem cominus gerunt, et gladiis magna virtute dimicant. Eo tandem res cessit, ut Sigvaldius gradum referret et ad terram ad saxa petenda refugeret. Insequentibus Vagnianis, in terra congrediuntur; hic Sigvaldius volens nolens ad resistendum cogitur; concurrunt iterum; fit pugna multo quam antea vehementior et acrior; in quo impetu Sigvaldiani etiam ægre se sustinebant. Palnatokius ac sui in castello arcis constituti, inde prospiciebant, qua fortuna Sigvaldiani in hoc certamine utebantur. Interea Vagniani tam acrem impetum fecerunt, ut Sigvaldius suique gradum referrent, usque eo, donec ad arcem venirent; quæ cum clausa et obserata esset, aditu in arcem prohibiti, aut conversi resistere, aut se dedere coacti sunt. Jam Palnatokius et piratæ Jomenses intelligunt, rem ad duplicem exitum spectare: aut Sigvaldium suosque a Vagne superatum iri, aut ipsos, ut vivus effugere posset, arcem aperire coactum iri; jam enim neque habebat, quo confugeret, neque, qua virtute erat, fugiturus fuisset. Tandem eo venit res, ut Palnatokius portas aperiri juberet; qui Sigvaldio: haud sane tibi, Sigvaldi, cum hoc meo cognato prœlianti, res cum æquali tuo fuit; jam tempus est, certamini isti finem facere: etenim satis jam exploratum est, quantum utervis vestrum valeat; jam perspectum nobis, qualis uterque sit. Quam ob rem mea sententia est, inquit Palnatokius, si vobis ita placet, ut hunc

juvenem, quamvis aliquanto juniorem, quam leges nostræ jubent, recipiamus; neque sine voluptate animus mihi præsagit, inquit, fore neminem unum e nostris pari ætate[1], qui eum in certando superet; et quod attinet ad tales homines, magna spes est, fore ut ætate maturi quamlibet rem ineluctabilem haud existiment. Itaque, sicut præceperat Palnatokius, factum est: portæ arcis Jomensis reclusæ, prœliantes diremti, Vagn omnesque sui in societatem recepti. In prœlio inter Vagnem et Sigvaldium ex Sigvaldianis triginta homines, ex Vagnianis totidem[2] cecidisse dicuntur; solus tamen Vagn gloriam ex hoc congressu reportavit. Multi etiam in prœlio utrinque vulnerati. Jam Vagn cum voluntate et consensu omnium principum in arce Jomensi commoratur; nam legibus eorum sancitum erat, ut omnes, cum eo venissent, concordes essent, etsi antea mutuam amicitiam aliqua dissidia turbavissent. Vagn, postquam in arcem Jomensem receptus est, adeo se mansvetum et bene moratum præbuisse dicitur, ut nemo eo mansvetior aut urbanior eo quidem locò esset, nemo omnium artium militarium peritior. Quavis æstate ad exteras terras profectus est, navemque ducebat et piraticæ operam dedit; neque quisquam ex piratis Jomensibus majori se virtute in prœliis præbuit. Piratæ Jomenses per tres continuas æstates, ex quo ille in societatem eorum cooptatus fuit, quavis æstate in navibus bellicis excubarunt semperque victoriam reportaverunt, per hiemes domi in arce Jomensi se continuerunt. Quorum fama multa orbis terrarum loca pervagabatur.

[1]) *jafngamlan*, hoc repùgnare videtur eis, quæ supra dicta sunt de legitima ætate piratarum Jomensium; nisi intelligendum sit de natu minimis, quos se saltem fortitudine æquaturum Vagn confirmarat. [2]) viginti, *B*; pauci, *R*.

33. Memoriæ proditum est, Palnatokium tertia æstate, procedente jam autumno, in morbum incidisse. Cum hoc accidebat, Vagn quindecim annorum erat. Rex Burizlavus ad arcem illico arcessitus; eam enim de habitu morbi opinionem conceperat Palnatokius, hunc morbum mortem sibi allaturum. Cumque rex ad Palnatokium venisset, hic ita locutus est: præsagit mihi animus, domine, inquit, me pluribus morbis non implicitum iri, quod etiam ætatis habita ratione vero haud est absimile. Censeo autem svadeoque, ut aliquis in locum meum subrogetur, qui arcis præfectus sit, negotiaque, quæ hactenus procuravi, administret, piratæ vero Jomenses in arce se contineant, finesque regni tui, ut ad hoc tempus fecimus, tueri pergant; ex his autem, quorum facultas est, Sigvaldio paucissima deesse existimo, ut in consiliis dandis et caussis hoc loco dijudicandis, prudentiæ sagacitatisque habita ratione, proxime ad me accedere possit; quanquam haud dubito fore, ut quæ jam tibi dicturus sum aliquid habere temeritatis videantur: nimirum opinor, haud certo scio, omnibus aliquantum deesse, ut me æquiparent. Cui rex: cum tua consilia, inquit, sæpius nobis salutaria fuerint, hoc quoque, quod das, consilio utendum est, quod nobis omnibus maxime expediet; sed verendum est, ut te tuisque consiliis diu posthac frui nobis liceat; quo magis convenit nobis, supremo tuo uti consilio. Quam ob rem omnes leges, quas auctoritate prudentium virorum Palnatokius civitati Jomensi imperavit, ratas esse jubeo. Haud invitus conditionem Sigvaldius dicitur accepisse; adeoque provinciam, auctoritate regis Burizlavi et Palnatokii sibi demandatam, suscipit. His actis Palnatokius Vagni, cognato suo, dimidiam regni Britannici partem possiden-

dam et cum Bjorne Britannico administrandam donavit; eundemque Vagnem cognatum suum curæ et tutelæ piratarum Jomensium, atque in primis regis, multis disertisque verbis multifariam commendavit; qua re ostendebat, quanto amore Vagnem cognatum suum prosequeretur, et quanti sua interesse existimaret, Vagnem liberaliter ab eis tractari. Post hæc paulo Palnatokius mortuus est, in quo maximum factum esse damnum existimarunt; itaque narratio de hoc viro spectatæ fidei ac virtutis concluditur.

34. Mortuo Palnatokio Sigvaldius civitatem piratarum Jomensium administrare cœpit. Quam cum per breve tempus rexisset, præcepta legum, uti ferunt, mutari aliquantum cœpta, legesque non eadem, qua imperante Palnatokio, religione observatæ; nam brevi evenit, ut mulieres per duas aut tres continuas noctes in arce morarentur, civesque diutus, quam permitterent leges, ab arce abessent, ibidemque interdum mutua vulnera infligerentur, quin et homicidia subinde fierent.

35. Interea Sigvaldius, ab arce profectus, regem Burizlavum adiit. Huic tres erant filiæ, quæ quidem hac in historia nominantur; natu maxima, nomine Astrida, faciei venustate et prudentia notabilis: ætate proximæ nomen erat Gunnildæ: Geiram, natu minimam, Olavus Tryggvii filius duxit uxorem. Sigvaldius, ut regem convenerat, duas ei obfert conditiones, aut ut sibi filiam Astridam in matrimonium daret, aut se civitati Jomensi non amplius præfuturum. Cui rex sic respondit: etsi statueram animo, inquit, eam viro nominis dignitate, quam tu es, nobiliori nuptum dare, tamen, cum mea necessitas svadeat, ne ex arce excedas, nos omnes una inter nos communicabimus, quid potissimum faciendum esse videatur. Dein rex filiam Astridam convenit;

interrogat, quomodo ei placeat hæc conditio, Sigvaldio nubere: et volo, inquit, rem quam prudentissime instituamus, ne Sigvaldius ceterive piratæ Jomenses, quorum ad regnum defendendum mihi magnopere est opus, ex arce excedant. Astrida patri: ut verum tibi fatear, pater, Sigvaldio nubere nulla unquam cupio; neque tamen repulsam a te ferat, sed ad has, quas recensebo, conditiones descendat. Ut hanc mereatur conditionem, antequam in meos amplexus eat, regnum liberato omnibus tributis illis, quæ ad hoc tempus regi Danorum pependimus; altera conditio est, ut Sveinem Danorum regem huc ita transducat, ut in tua potestate sit. Post hæc rex Sigvaldio hanc rem, quam postularunt, exponit; negotium firmis pactis confirmant; res ante tertium festum Jolense perfecta esset; si Sigvaldius ea, quæ pacta erant, non perfecisset, omnia inter eos inita negotia irrita essent.

36. Quibus confectis rebus Sigvaldius domum in arcem Jomensem revertitur. Inde eodem vere cum tribus navibus et [trecentis sexaginta[1] viris proficiscitur. Ire pergit, donec in Selandiam pervenit; homines quibuscum colloquatur nactus comperit, regem Sveinem brevi inde spatio convivia obire. Quo se loco rex contineret, cum se accurate comperisse intellexisset, naves adpellit ad lingulam aliquam, quo loco nullæ naves in vicinia erant, haud procul ab ea villa, ubi rex convivio exceptus cum viris [viginti et septingentis[2] potabat. Sigvaldiani, conversis navibus, proras pelago obverterunt, unam ab alterius prora religarunt, omnes remos scalmis impositos habuerunt. Dein Sigvaldius viginti viros certæ fidei ad regem Sveinem mittit, regique nuntiare jubet, se necessariorum

[1]) centum viginti, *F.* [2]) non paucioribus nongentis sexaginta, *F.*

negotiorum ergo convenire eum velle; item, se adeo gravi morbo laborare, ut morti pæne vicinus sit: hoc etiam regi dicite (inquit), omnes res suas vitamque in eo sita esse. Missi ad villam profecti, domum, in qua rex erat, ingrediuntur, regem adeunt; princeps legationis hæc omnia mandata, quæ perferre jussi erant, pronuntiat. Quibus rebus cognitis rex confestim cum viris illis viginti et septingentis, qui eo loco convivabantur, ad mare descendit, Sigvaldium conventurus. Ubi vero Sigvaldius regem adventare animadvertit, in navi a litore remotissima versatus, lectoque affixus magna dicitur infirmitate laboravisse. Hic suis: cum triginta viri navem terræ proximam conscenderint, pontes ab litore in navem retrahite, excusatione usi, ne naves, hominibus se immoderatius ingerentibus, unacum ipsis vectoribus deprimantur; regem autem inter primos conscensurum arbitror. Ubi viginti homines in navem, quæ media est, venerunt, pons, qui hanc cum ceteris jungit, retrahendus est. Jam regem cum copiis eo advenisse dicitur; quærit, ubi sit Sigvaldius; audit, morbo languere, et in navi extrema cubare; dein navem litori proximam conscendit, inde aliam ex alia, donec in navem Sigvaldii pervenit. Suis eum subsequentibus, Sigvaldiani omnia, uti præceptum erat, exsecuti sunt. Rex, ut in navem, in qua Sigvaldius cubuit, cum decem viris devenerat, quærit, an Sigvaldius usu linguæ gaudeat; audit, gaudere quidem, sed summa laborare virium infirmitate. Deinde rex eo accedit, quo loco Sigvaldius cubuit, pronoque corpore procumbens quærit, an percipere verba sua possit, quasque res referre habeat ejus momenti, ut, sicuti per nuntios declarasset, eum convenire sua tanti intersit. Paululum ad me inclines, domine, inquit Sigvaldius,

tum verba mea melius percipere poteris, nam voce submissiori loquor. Inclinantem ad se regem Sigvaldius complectitur, altera manu humeros ejus altera latera comprehendens, tum sane viribus non omnino destitutus, regemque arcto lacertorum nexu continet. Hoc ipso momento Sigvaldius suos inclamans, omnibus remis quam contentissime incumbere jussit. Illi dicto audientes quantum potuerunt remigantes navem abripuerunt, his septingentis viginti viris in litore consistentibus atque intuentibus. Hic rex sermonem orsus: quid, Sigvaldi, inquit, mene prodere vis? quidve agitas? Videre mihi videor, inquit, rem aliquam magnam agitari, quanquam nescio, quo cœpta ista spectent. Sigvaldius regi his verbis respondit: haud te prodere in animo est, domine! sed necesse tibi erit, nobiscum una in arcem Jomensem proficisci; tibi omnia, quæ honori tuo possint inservire, quantum in nostra erit potestate, præstabimus, omnesque tui, qui te nunc comitantur, exoptati nobis præsto erunt. Verum, quorsum horum singula spectent, tum perspectum habebis, cum eo veneris ad convivium, quod tibi adparavimus; ibidem omnium rerum arbitrium penes te solum erit, nos vero omnes, uti par est, te venerabimur, omnemque, quem possumus, honorem exhibebimus. Cum consilii ratio in tali discrimine versetur, utendum hac oblata conditione est, inquit rex. Jam navigare pergunt, donec in arcem Jomensem veniunt; Sigvaldius debitum regi honorem præstat, piratæque Jomenses advenientem lautissimis epulis excipiunt, seque omnes ejus subditos esse fatentur. Jam Sigvaldius regi aperit, quid causæ fuerit, cur eum e reguo transportavisset, quod ejus nomine uxorem petiisset, filiam regis Burizlavi: virginem, quam ego farmosissimam et

præstantissimam esse novi; id quod amicitiæ erga te causa domine, quantum video, suscepi, qui te optima conditone uxoria carere nollem. Consilio Sigvaldii factum est, ut omnes piratæ Jomenses, quæ dixisset, vera esse adfirmarent. Regi, quod virgini nomen, quærenti Sigvaldius: virgini, inquit, quam tibi petii, Gunnilda nomen; mihi vero altera filia ejus, cui Astrida nomen, desponsa est, qua, uti par est, in omnibus præstantior est Gunnilda. Interea tu, rex, hic in arce Jomensi convivium celebrato, ego vero ad regem Burizlavum proficiscar, ut nostrum amborum nomine cum eo de negotio agam, cujus totius negotii curationem meæ fidei permittere tibi jam necesse fuerit, quod officium meum me tibi probaturum confido. Post hæc Sigvaldius centum viginti comitatus ad regem Burizlavum proficiscitur; adveniens eximio ac magnifico convivio excipitur. Ubi cum rege colloqui cœpit, se jam nuptias cum Astrida jure posse contrahere significat, quod, quæ postulata fuissent, effecisset, ut Svein Danorum rex in arcem Jomensem pervenerit, de quo, quicquid libuerit, statuendi potestatem, sua opera et consilio, penes ipsos jam esse; hortatur regem et Astridam, ut facerent, quod consultissimum et prudentissimum esse judicassent. Itaque rex et Astrida filia inter se communicant de hac re, consiliaque a Sigvaldio petunt, quid ei de hoc negotio, quantum adtinebat ad regem Sveinem, factu optimum videretur. Quibus Sigvaldius: excogitavi consilium aliquod, hoc negotium quod adtinet, inquit; autor sum, ut regi Sveini Gunnildam filiam tuam nuptum des, ejusque huc adventum honorificum reddas, ille vero conditionem uxoriam eo mereatur, ut omnia tributa, quæ antehac ei pendere debuisti, tibi remittat. Hujus ego conditionis interpretem inter

vos agam, atque sic agam, ut confiat res, de qua nunc coram te egi. Hoc habito colloquio, Sigvaldius cum suis, viginti illis et centum viris, reversus, regem Sveinem convenit. Protinus ab rege interrogatus, ut ei negotium cessisset: hoc jam in tua, domine, potestate situm est, inquit. Rex: quomodo istoc? Ita scilicet, inquit Sigvaldius, si eo descendere velis, ut tributa regi Burizlavo remittas, antequam tibi filiam tuam in matrimonium det; et eo tibi, domine, merito respiciendum est, quod eo mortuo omnia ejus bona tibi cedent, et majori tibi honori erit, socerum habere nemini vectigalem; minoris enim æstimantur reges, qui tributa pendent, quam qui non. Ita Sigvaldius, cui nec prudentia nec verborum copia deesset, multis modis regi Sveini hæc probare conatus est, eo tandem rei exitu, ut quod dederat Sigvaldius consilium regi probaretur, rexque confieri nuptias magno opere cuperet. Itaque decretum est, constituto tempore nuptiarum, ut utræque nuptiæ uno tempore celebrarentur. Cum dicta dies adesset, omnes piratæ Jomenses ad convivium nuptiale proficiscuntur, comitante rege Sveine. Agebatur convivium omni nomine magnificentissimum, ut id temporis homines non meminissent, splendidius quam hoc convivium fuisse in Viudlandia celebratum. Ferunt, primo vespere, quo epulis nuptialibus adcubitum est, sponsas demisso velamine capita obnupsisse, ut vultus earum haud exacte perspici possent. Postero mane eædem perquam hilares erant, neque capita velarant. Tum rex Svein vultum harum sororum diligenter contemplatus est: neutram enim prius quam in hoc convivio conspexerat, neque ei de forma earum quidquam constabat, præter quod Sigvaldius ei de pulcritudine ac venustate harum sororum retulerat; atque jam

dicunt regi Sveini longe optime placuisse eam mulierem, quæ Sigvaldio, isti veteratori, erat, visamque sua uxore formosiorem ac venustiorem; itaque existimat rex, Sigvaldium sibi non constanter verum de hac re dixisse, intelligitque amicitiam in se Sigvaldii admodum vacillare; perspicit, a viris prudentioribus admonitus, totam rationem consilii ejus, et tamen apud vulgus hominum se scire dissimulat; quem vero in locum deducta tum res erat, omnes quæ offerebantur conditiones in suum decus et honorem convertebat, nam mortuo rege Burizlavo tertia Vindlandiæ pars ad eum redire debebat. Finito post hæc convivio rex Svein discedit, uxorem Gunnildam, triginta naves magnumque hominum numerum et multas res pretiosas inde abducens; Sigvaldius cum uxore sua Astrida ad arcem Jomensem revertitur. Hujus civitatis legum, quatenus principio fuerant a Palnatokio aliisque prudentibus viris constitutæ, magna fieri cœpit commutatio; quod etsi ne ipsos quidem piratas Jomenses fugiebat, tamen omnes una aliquantum temporis in arce Jomensi se continebant, magnamque nominis celebritatem assecuti sunt.

37. Non ita multo post, quam modo commemorata acciderunt, fama ingentium rerum ex Dania pervulgata est, obiisse dynastam Strutharaldum, patrem Sigvaldii ac Thorkelis. Horum frater Hemingus cum hoc tempore, quo ista acciderunt, ætate puer esset, rex Svein sui officii esse duxit, si filii natu majores non advenissent, epulas funebres in honorem Strutharaldi facere; Hemingus enim administrando convivio nondum maturus existimabatur. Itaque in arcem Jomensem ad fratres mittit, ut Sigvaldius ac Thorkel ad epulas funebres venirent, eoque loco præsto essent, ut omnes una convivium pararent, appa-

ratumque ita instituerent, ut quam splendidissimum esset, talique principe, qualis erat pater eorum, dynasta Strutharaldus, dignissimum. Fratres vicissim ad regem miserunt, sese venturos, petentes a rege, ut omnia, quæ opus essent ad convivium, paranda curaret; se ipsos sumtum suppeditaturos, ille omnia necessaria ex bonis a Strutharaldo relictis sumeret. Hic plurimis hominibus minus tutum videri, eo proficisci, cum suspicarentur, amicitiam, quæ inter regem Sveinem Sigvaldiumque et ceteros piratas Jomenses intercedebat, majorem in modum laborare, conjecturam facientes ex rebus antea inter eos intercedentibus, quanquam tum temporis utrique mutua officia ad speciem observarent. Cum vero Sigvaldius et Thorkel Procerus nihil prius faciendum putarent, quam ut proficiscerentur, uti polliciti fuissent, ceteri piratæ Jomenses remanere nolebant, omnesque Sigvaldium ac fratrem comitari ad convivium cupiebant. Cumque tempus adesset, ex arce Jomensi proficiscuntur magno cum numero militum, naves centum nonaginta[1] ducentes. Ire pergunt, donec in Selandiam, cui Haraldus dynasta præpositus fuerat, perveniunt. Præsto erat rex Svein, qui eo loco epulas funebres apparandas curarat, ut omni apparatu instructissimæ essent. Accidere hæc circa initium hiemis. Advenerat maxima hominum multitudo; lautissimum agitatur convivium, cujus primo vespere piratæ Jomenses immoderatius bibunt et potu vehementer inebriantur. Quod cum aliquamdiu tenuisset, rex Svein animum advertit, eos pæne omnes mero sepultos esse, ita ut admodum loquaces essent ac lætitia gestirent neque multa loqui dubitarent, quæ alias haud dubie omissuri fuissent. Quo animum adverso rex

[1]) sic *F*; literæ h. l. in *A* obscuriores; octoginta, *R*.

sermonem exorsus: magna jam hoc loco lætitia est, inquit, magnaque convivarum frequentia; itaque hortari velim, ut aliquam novam oblectationem, cujus diu memoria superfutura sit, quæque magni vulgo æstimari possit, ad exhilarandos convivas auspicemini. Sigvaldius regi respondit: id primarium existimamus, optimeque omnium voluptati satisfactum iri credimus, si tu, domine, princeps auspicatus fueris: te enim omnes suspicere debemus, ideoque uno ore id genus delectationis, quod tibi placuerit quodque deligendum existimaveris, adprobabimus. Rex: in splendidis conviviis et cœtibus, iisque locis, ubi lectorum virorum frequentia convenerit, hanc observatam consvetudinem novi, ut aliorum delectandorum causa honorisque augendi gratia vota nuncupata fuerint. Cujus oblectationis tentandæ cupidus sum, persvasum enim habeo, quanto vos piratæ Jomenses ceteros omnes homines totius orbis septemtrionalis præstetis, tanto haud dubie excellentius votum fore, quod hac instituta oblectatione suscepturi sitis, et hac ex re, ut ex aliis, appariturum, vos ceteris hominibus antecellere, veroque simile esse, harum rerum memoriam apud homines fore diuturnam. Neque vero equidem hanc ordiri oblectationem detrectabo. Voveo, inquit rex, me regem Adalradum, antequam tertiæ abhinc hiemis initium transierit, aut regno suo expulsurum, aut prostraturum, imperioque potiturum. Jam age, Sigvaldi, pergit rex, quod tuum est, neque leviora, quam ego, tuo voto comprehende. Ille: faciam, domine, inquit, ut meam qualemcunque sententiam declarem. Voveo, inquit Sigvaldius, me ante tertiæ hiemis initium copias, quas nactus ero, in Norvegiam trajecturum, et Hakonem dynastam aut e regno expulsurum, aut interfecturum, aut denique me

ipsum in ea terra occubiturum. Hic rex Svein locutus est: macte virtute, inquit, en præclarum votum, si hæc præstiteris; ista minime sunt viri parva molientis; ter ego te beatum prædico, qui hæc locutus sis; age, quæ jam pronuntiasti, strenue et viriliter exsequere! Nunc ego me ad te converto, Thorkel Procere, inquit rex, de voto faciendo, quod magno viro ut conveniens sit inprimis spectandum est. Cui Thorkel: excogitavi, cui me voto obstringam, domine. Voveo, inquit, me fratri Sigvaldio comitem adhæsurum, neque prius fugiturum, quam puppim navis ejus videam (quam ipsum prœlio excedere videam); sin vero prœlium in terra committet, me voveo non fugiturum, quoad ille in acie versabitur, signumque ejus ante me videre potero. Rex Svein: laudo te, inquit, tu, qua es virtute, hoc votum certo exsequeris. Jam tuæ sunt partes, Bui Crasse, inquit rex, quem votum magno viro dignum facturum esse, persvasum nobis est. Buius: voveo, inquit, me, quamdiu virtus fidesque suppetat, comitem hujus expeditionis Sigvaldio fore, neque ante fugiturum, quam pauciores in acie stent, quam qui occubuerint, et tamen, quoad voluerit Sigvaldius, constiturum. Cecidit res, ut exspectaram, inquit rex, votum heroe dignum a te nuncupatum fore; jam vero tibi, Sigurde Kapa, nuncupandum est votum aliquod ad exemplum Buii fratris tui. Sigurdus: meum votum haud cunctanter, domine, proferam; voveo, me Buium fratrem comitaturum, neque, si dederit fortuna, ante fugiturum, quam interfectus sit. Hoc sane exspectari a te poterat, inquit rex, te fratris exemplum esse secuturum. Jam tuæ sunt partes, Vagn Akii fili, inquit rex, et vehementer scire avemus, quale facturus votum sis; tui enim majores fortitudine et contendendi studio

clarissimi evaserunt Vagn contra: votum voveo, inquit, me Sigvaldio Buioque cognato meo hujus profectionis comitem fore, atque, quoad Buius volet, si vivat, constiturum; atque hoc, inquit, meo voto accedat, me, si in Norvegiam venero, lectum Ingibjargæ, Thorkelis Leiræ Vikensis filiæ, ipso cognatisque invitis, antequàm revertar in Daniam, conscensurum. Nunc res ex opinione cecidit, ait rex, nam tu plerosque homines, quos quidem noverimus, strenuitate in omnibus rebus et urbanitate (virtute) superas. Dicitur Bjorn Britannicus in comitatu piratarum Jomensium fuisse, qui in primis sodalis erat Vagnis Akii filii, nam hi ambo una Britanniam possederunt, ex quo mortuus erat Palnatokius. Huic rex: quod votum facis, Bjorn Britannice? Bjorn: voveo, inquit, me, pro captu meo et virtute, Vagnem nutritium meum comitaturum. Post hæc finito colloquio convivæ mox cubitum iverunt. Sigvaldius, cum lectum apud uxorem Astridam conscenderat, brevi alto sopore oppressus est. Qui cum admodum diu dormivisset, Astrida uxor ejus, quæ interea vigilaverat, eum somno excitat, et quærit, an votum pridie vespere ab ipso factum reminiscatur. Ille se negat meminisse, ullo se voto pridie vesperi obstrinxisse. Ea loquitur: haud rem ita esse deprehendes, opinor, atque opus tibi esse credo et prudentia et consilio. Quid igitur capiendium consilii est? inquit Sigvaldius; tu semper prudentia vales, ideoque poteris aliqua bona consilia dare. Ea: etsi nesciam nunc quidem, quod consilium bonum sit, tamen aliquod in medium proferam: cum proximo mane veneris ad compotationem, lætus esto et hilaris, nam rex Svein recordabitur, credo, vota a vobis nuncupata; quorum mentionem cum rex te allocutus injecerit, hoc ei responsum dato: alius

ebrius, alius sobrius (inquito), nam ego, si sobrius fuissem, aliquantum fuissem voto temperaturus. Dein regem interrogato, quas opes tibi adtribuere velit, ut votum a te factum exsequi possis; mox regem verbis blandis alloquere, teque in eo solo omnem habere fiduciam repositam simula, nunc enim sibi videtur te dolo admodum circumvenisse hoc in negotio: atque interroga, quot naves tibi ad expeditionem dare velit, si difficilem istam profectionem suscipere adnitaris. Qui si tibi liberaliter responderit, neque tamen quidquam decreverit, ei enixe insta, ut statim decernat, quantum daturus sit, multarum enim tibi opus esse, eo quod Hakon dynasta opibus multum valeat. Ideo autem eum tam cito hac de re blandis verbis compellato enixiusque instato, quod eum nunc, dum nondum pro certo sciat, suscipiatur profectio, an non, facillime puto adductum iri, ut copias promittat navesque tibi adtribuat; nam ubi decreta fuerit profectio, parum te copiarum ab eo impetraturum auguror, si antea non fuerit pollicitus; neque enim tibi, neque Hakoni dynastæ parcet, quin alteruter vestrum rem male gerat, si uterque gesserit, triumphaturus.

38. Sigvaldius consiliis ab Astrida datis usus esse dicitur; cumque postero die potari cœptum esset se hilarissimum præbet, multaque oblectandi gratia proponit. Rex jam mentionem injicit de votis pridie vesperi ab eis nuncupatis, in sinu cummaxime gaudens, quod nocendi Sigvaldio universisque piratis Jomensibus occasionem se nactum existimabat. Sigvaldius autem regem allocutus, eisdem omnibus verbis, quæ suggesta ab Astrida fuerant, usus est, quæritque, quibus se copiis adjuvare rex velit. Tandem rex ita verba facit, ut se dicat Sigvaldio, ubi ad hanc profectionem paratus sit, viginti naves da-

turum. Cui Sigvaldius: hoc adjumentum potente aliquo colono dignum esset, inquit, sed regium non est, neque, quantus tu es, principe dignum. Hic rex Svein, superciliis nonnihil adductis, Sigvaldium interrogat: quanto auxilio tibi opus esse putas, si, quantum optares, impetraturus esses? Sigvaldius: celeriter expediam, omnino sexaginta[1], inquit, quarum singulæ ingentes et satis instructæ sint; ego vero tibi in vicem non pauciores naves, aut etiam plures, etsi minores reddam, neque enim sciri potest, an omnes tuæ naves sint reversuræ, quod eo est vero similius, quod ita fere solet usu venire. Tum rex: faciam, ut naves paratæ sint, Sigvaldi, ut primum te ad profectionem accinxeris, inquit; age, compara te, ego, quantum postulasti, tradam. Pulcre, atque, ut exspectari par erat, egregie meæ necessitati, domine, subvenisti, inquit Sigvaldius, atque fac, quæ, pollicitus es, fideliter præstes; etenim simul atque hoc convivium, cui nunc intersumus, finitum erit, iter ingrediendum est; tu vero nunc omnes naves tradas, ne mora interponatur, ego nosque ambo una milites comparabimus. Rex primo obmutescere et hæsitare, paulo vero interjecto intervallo infit: faciam, Sigvaldi, inquit, quod postulas; sed hæc celerius quam putaram acciderunt, neque opinatus eram, fore, ut tam subito ingruerent. Tum Astrida, uxor Sigvaldii: non est quod exspectetis, inquit, vos insignem aliquam ex Hakone dynasta victoriam reportaturos, si ita proficisci tardetis, ut nuntium accipiat et diu se comparare possit, si nunc rem male gesturi estis; quare hoc unum e ratione fuerit, inquit, ut maxima usi celeritate omnem famam antevertatis, et dynastam necopinato opprimatis. Itaque, ut primum finis convivio im-

[1]) quadraginta, *B*, *F*.

positus esset, proficisci decrevisse dicuntur, atque in ipso convivio omnem itineris apparatum curasse, rationemque expeditionis instituisse. Ferunt, Tovam, Strutharaldi dynastæ filiam, maritum Sigurdum allocutam, his verbis usam esse: tu nunc, inquit, uti statuisti, proficisceris; id autem abs te peto, inquit, ut Buio fratri tuo quam strenuissime operam naves et quam optimam tui memoriam relinquas; ego vero reditum tuum exspectabo, ita ut nullus vir meum lectum conscendat, dum te salvum ac superstitem esse cognoscam. En duo viros, Bui, quos tibi ad hanc expeditionem dare volo, omni enim tempore in me amicissimus fuisti; horum alteri nomen est Havardus, dictus Hoggvandius, alter vocatur Aslakus, dictus Holmskallius. Quos viros tibi ideo dedi, quod te diligo; neque dicere vereor, me multo tibi malle nupsisse, quam quocum nunc nupta sum, quanquam hæc res, uti est, ferenda videtur. Buius homines ab eo accepit, gratiisque de munere actis statim Aslakum Vagni cognato suo comitem dedit, ipse Havardum sibi retinuit. Digressis convivis piratæ Jomenses statim a convivio copias ad profectionem comparant, paratique e regno solvunt, centum viginti naves majores ducentes, [cum ex arce Jomensi centum nonaginta, in quo numero multæ erant naves minores, ad convivium adduxissent.[1]

39. Itaque iter ingressi, cum commodis ventis uterentur, Vikam Norvegiæ tenuerunt. Cum terram sero vespere attigissent, continuo proxima nocte ad oppidum Tunsbergum contenderunt, eoque cum universa classe circa mediam noctem pervenerunt Adtingit hanc historiam vir quidam nomine Ogmundus[2], Albus cognominatus, præ-

[1]) omitt. *R;* in universum vero habuerunt naves centum octoginta quinque. *F.* [2]) Geirmundus, *B, ubique.*

fectus Hakonis dynastæ, ætate juvenis, magnique ab Hakone dynasta æstimatus; is, cum hæ res acciderunt, summam habuit oppidi Tunsbergensis præfecturam. Milites, ubi in oppidum irruperant, totum fere oppidum occuparunt, magnum hominum numerum interfecerunt, dein omnes quas potuerunt res diripuerunt, nulla usi clementia. Oppidanos præsens periculum somno excitavit, quorum complures statim ab recenti sopore gladiorum ictus telorumque conjectus oppressit. Idem tumultus, qui alios, Ogmundum quoque Album et eos, qui juxta eum in cubiculo quiescebant, excitavit. Is cum ceteris id consilii cepit, ut in cœnaculum quoddam in superiore parte ædium, quo loco se diutissime tueri posse existimabant, confugerent; nulla enim erat in silvam elabendi facultas. Quo animum adverso, piratæ Jomenses ad cœnaculum confluunt, idque quam vehementissime ictibus lacerant; atque mox intelligunt Ogmundiani, exercitum istum, qui advenisset, multo esse strenuiorem ac ferociorem, quam ut se defendere posse sperarent. Dicitur Ogmundus Albus id cepisse consilii, ut e cœnaculo in plateam desiliret. Qui cum pedibus se excepisset, Vagn Akii filius prope ab eo loco constitutus, quo desilierat, extemplo eum gladio percussit, manumque supra carpum præcidit; sic Vagn manum abscissam retinuit, Ogmundus in silvam evasit. Annulum aureum, quo circumdata manus erat, Vagn excepit et servavit. Ogmundus, ut in silvam venit, eo loco constitit, unde sermonem eorum animadvertere posset, si forte ex verbis eorum, quinam advenissent, quiret intelligere, id quod antea ignoraverat, incuriosi crimen veritus, si, cum tantam corpore læsionem accepisset, incidens in alios homines nihil de auctore mutilationis referre haberet. Ex verbis et inclamatio-

nibus eorum animadvertit, adesse piratas Jomenses; etiam comperit, quis ipsi plagam intulerit. Post hæc iter institutum persequitur, in saltus et silvas se subducens; atque ferunt, cum senos dies noctesque in silvis peregisse, antequam in tractus habitatos devenisset. Ubi autem Ogmundus in loca habitata delatus homines convenerat, a multis cognitus, quod erat liberaliter educatus et apud homines gratiosus, omnibus, quæ opus erant, hospitalitatis officiis sublevatus est. Sic ire pergit, donec audivit, quibus locis dynasta convivia obiret, in cujus congressum venire festinat. Id temporis dynasta convivium in villa Skuggio dicta instauratum adierat; quod convivium qui apparaverat Erlingus dictus est, vir præfecti dignitate. Huic convivio dynasta intererat unacum viris centum et viginti; aderat ibidem cum eo filius Eirikus. Huc Ogmundus Albus sero vespere diei venisse dicitur; triclinium ingressus illico dynastam adit, eumque decenter salutat. Resalutatus ab dynasta de novis pervulgatis interrogatur. Ille respondet: parvæ quidem res profectioni meæ ansam dederunt, inquit, sed fieri potest, ut res haud parvæ inde existant. Quid, quæso? inquit dynasta. Id scilicet, inquit Ogmundus, quod nuntium tibi de hostium adventu referre habeo, magnam multitudinem in regnum irrupisse, in Vikiam, partem regni orientalem, et quidem summa cum perturbatione ac tumultu bellico; et puto eos cum animo statutum habere, in eodem perseverare. Ad hæc dynasta: nunquamne cives falsis rumoribus ante desistent, quam aliquis pœnam suspendio luerit? Eirikus excepit et locutus est: haud res ita, pater, accipienda est; hic enim, qui nunc nuntium affert, mendacia dicere non solitus est. Dynasta: an adeo probe nosti, fili, quis hic sit? quanquam

est vero simile, quando ejus patrocinium suscepisti. Eirikus: hoc aliquatenus me scire opinor, inquit, non minus quam tu, pater, ex tua opinione; opinor, adesse Ogmundum Album, præfectum tuum, qui sæpius nos benignius excepit, quam eum nunc excipimus. Ego vero illum haud noram, ait dynasta; quin iterum huc accedat, ut mecum colloquatur! Fecit Ogmundus extemplo, cum jussa dynastæ audiverat, ut iterum ad eum accederet. Dein dynasta: qui Ogmundus es? inquit. Ille, quis sit, accurate describit, ut non agnoscere non posset. Tum dynasta: scio, si talis vir es, te nonnisi vera referre; dic vero, inquit, quis magno illi exercitui præsit. Ogmundus: Sigvaldius nomen est ei, qui copiis præest, sed appellatos in exercitu audivi et Buium et Vagnem, atque in me ipso aliqua vestigia habeo, quæ doceant, me ista non mentiri: elataque manu dynastæ truncatum brachium ostendit. Hic dynasta: indigne, inquit, atque acerbe tractatus es; nostin' autem, quis te hac mutilatione affecerit? Probabili ratione collegi, inquit, dynasta, ex iis, quæ locuti sunt, cum ille ipse annulum, quo circumdata manus erat, tolleret: macte lucello, Vagn Akii fili! dixerunt; unde concludebam, hunc mihi plagam inflixisse; et comperi, inquit, hunc exercitum appellari piratas Jomenses. Dynasta: hoc quidem vere collegisti ex nominibus eorum hominum, quos in exercitu nominatos audisti; verum dissimulandum non est, etsi omnium copiarum hostilium optio mihi data esset, has me minime optaturum; mihique animus præsagit, et prudentia et strenuitate opus fore.

40. Jam dynasta extemplo aliquot homines Ladas misit ad Sveinem filium suum, qui ei nuntium de incursione hostium perferrent; præcipit, ut copias per totum Thrandheimum con-

trahat, omnesque viros ad militiam evocet, tam eos, qui magno in honore essent, quam eos, qui inferioris essent conditionis, omnesque naves, quæ alicujus magnitudinis essent, armet. Gudbrandus Albus, quem dynasta maxime diligebat, tum apud dynastam versabatur. Dynasta confestim ab convivio cum copiis, quas eo loco nancisci poterat, profectus, ire perrexit, donec in Romsdalum venit, inde milites per Nordmæriam congregat; Erlingum meridiem versus in Rogalandum mittit, ut nuntium perferat copiasque iis locis colligat; hunc dynasta eodem, quo dixi, meridiem versus misit, antequam a convivio discederet; misit ad omnes sibi subjectos, qui in regno erant, quique alicujus momenti esse viderentur, ut omnes ad se venirent cum eis copiis, quas nancisci possent. Quinetiam dynasta ad eos misit, quibuscum inimicitias habebat, ut ad se venirent, pollicitus, in gratiam cum quolibet rediturum, qui eo tempore ad se venisset et suppetias sibi ferret. Eirikus, Hakonis dynastæ filius, per partes boreales profectus Nomodalum obiit, e regione Sveinis fratris sui; copiasque, quantas potest, undique ex insulis aperto mari adjacentibus contrahit. Memoriæ proditum est, cum Eirikus meridiem versus Hamrasunda (freta Hamarensia) pernavigaret, occurrisse ei naves piraticas, cui classi præerat Torkel quidam, dictus Midlangus, qui immanissimus pirata erat Hakonique dynastæ inimicus. Piratæ, qui tres naves habebant, arma extemplo expediverunt, eosque adoriri statuerunt. Quo viso Eirikus, Thorkelem Midlangum alloeutus: si nobiscum, inquit, confligere cupis, parati quidem erimus, sed meliorem in hoc casu rationem video. Quamnam? inquit Thorkel. Eirikus: nefas esse existimo, nos, qui Norvegi sumus, inter nos pugnare; nam fieri potest, ut alia melior conditio

se obferat, si patrem meum adire cum tuis velis, eique omnem quam poteris operam navare; tunc enim inter vos redibitis in gratiam, quæ res tum a patre meo facile impetrabitur. Cui Thorkel: accipio conditionem, si te, Eirike, obsidem fore spondes, hæc, quæ promittis, me non frustratura, cum patrem tuum convenero. Curabo id quidem, inquit Eirikus; quo dicto, Thorkel Midlangus cum sua cohorte Eiriki copiis sese adjungit. Brevi post fratres, Eirikus ac Svein, congressi, contendunt in eum locum, quem Hakon et Eirikus, ante quam erant digressi, inter se condixerant; dein pater amboque filii, Hakon, Eirikus ac Svein in præstitutum locum, quo ipsi convenirent, universusque exercitus occurreret inter se et congregaretur, adfuerunt. Hic locus erat in Sunnmæria ad insulam, quæ Hada[1] dicitur; eodem magnus præfectorum numerus confluebat. Pater filiique classem habuerunt navium in universum trecentarum sexaginta, quarum multæ haud admodum magnæ erant. Stabant in sinu, dicto Hjorungensi; hic consilia inter se contulerunt, classemque universam in sinu in ancoris tenuerunt.

41. Nunc ad piratas Jomenses redeat narratio. Hi meridianum terræ latus prætervecti, hostiliter grassantur: quocunque appellunt, rapinas et populationes faciunt; magnam pecorum vim compulsam ad litus mactant, complures homines interficiunt, multis locis oppida villasque incensas in cineres vertunt. Meridianas partes prælegentes omnia igne ferroque vastant, omnibus, qui adventum hostium cognoverant, quibusque effugiendi potestas oblata, aufugientibus. Cursum continuant, donec venerunt ad aditum freti, Ulvasundi dicti, tumque ad Stadum usque pene-

[1]) Hadda, *F.*

trarant; neutrique certam alteri de alteris famam accepisse dicuntur, neque Hakon dynasta neque piratæ Jomenses. Post hæc piratæ Jomenses a meridie profecti Stadum prænavigarunt, viginti milliaria maritima emensi, et usque eo contendunt, donec venerunt in portum, Hereyas dictum, in quo portu omnem classem suam constituerunt. Quo cum venissent, commeatuque sibi denuo opus esse intelligerent, Vagn Akii filius, celoce sua vectus, ad insulam, Hadam dictam, accessisse dicitur, ignarus, dynastam ibidem in sinu prope ab insula stare. Vagniani, appulsa ad insulam navi, escensionem faciunt, pecora, si fors ita ferat, abacturi. Sic evenit, ut in virum aliquem, quocum colloqui possent, inciderent; is tres vaccas et duodecim capras præ se agebat. Vagni, quod ei nomen esset, quærenti respondet, Ulvum vocari. Tum Vagn suis: vaccas et capras istas capite, et mactatas in navem nostram deportate, itemque, si in plura pecora incidatis. Tum Ulvus: quis iste vir est, qui hujus navis vectoribus præest? Huic Vagni nomen, Akii filio. Ulvus: ita mihi videtur, inquit, nunc offerri occasionem majoris lanienæ, vobis, piratæ Jomenses, nunc admodum propinquæ, quæ instituto, quod vobis nunc est, magis conveniat, quam vaccas meas aut capras mactare. Vagn: dic nobis, inquit, ecquid referre habeas de itineribus Hakonis dynastæ; atque si verum aliquem nuntium adferre potes, ut sciamus, quo se loco contineat, vaccas et capras tuas tibi intactas reservabis; quid novarum rerum nobis referre habes, quid de Hakone dynasta nosti? Ulvus contra: heri vesperi sero hic stetit, unam habens navim, intra insulam Hadam in sinu Hjorungensi. Quem suos hoc loco exspectantem, si vobis libuerit, interficere poteritis. Vagn: ita tu incolumitatem

conciliabis omnibus pecoribus tuis; age, navem nostram conscende, viamque nobis, quæ ad dynastam ferat, commonstra. Haud ita oportet, inquit Ulvus, haudquaquam adversus dynastam arma ferre volo, neque enim decet; viam autem vobis si velitis, monstrabo, eo usque donec introitum sinus adsequamini; si navem vestram conscendam, paciscor, ut incolumis dimittar, cum prospexeritis, aditum sinus posse a vobis inveniri. His dictis Ulvus navem cum eis conscendit; hæc primo mane diei acciderunt. Vagniani confestim cursu quam citatissimo in Hereyas revertuntur, et Sigvaldio omnibusque piratis Jomensibus has res, quas Ulvus nuntiarat, aperuerunt.

42. Jam piratæ Jomenses se ad omnia comparare cœperunt, ut si ad acerrimum prœlium profecturi essent; nimirum parati ad omnes casus esse voluerunt, etsi Ulvus rem parvi negotii esse dixisset. Cumque omnino parati essent, ostio sinus adremigant. Hic Ulvus, suspicatus, fore ut numerus navium in sinu stantium illis major videretur, quam ipsis dixerat, ut primum naves in conspectum venire animadvertit, e navi se præcipitavit, seque extemplo in altum dejecit, ad terram nataturus; neque enim exspectare volebat, ut illi sibi mercedem pro labore solverent. Quo viso Vagn, merito cum præmio remuneraturus, correptam hastam in eum conjecit, qua in medium corpus illapsa ille eo loco exspiravit. Mox Sigvaldius omnesque piratæ Jomenses sinum remigio ingressi, totum sinum, qua conspectus erat, navibus bellicis contectum esse animadvertunt[1]. Extemplo aciem instruunt. Altera

[1]) *B sequentia addit*: eoque loco, quem quæsitum iverant, Hakonem dynastam, invenerunt, non unica cum nave, neque cum duabus, sed amplius trecentis sexaginta navibus stipatum, scilicet faselis, celocibus, mercatoriis, omnibusque navigiis æquori idoneis, quæ

vero ex parte dynastæ, Hakon ac filii, piratas Jomenses adesse conspicati, confestim naves satis magna laterum altitudine essent, quæ dynasta comparare potuerat; quæ omnes naves viris, armis, saxis erant onustæ. Præter Hakonem dynastam viri primarii erant Eirikus filius ejus, item filii Svein, Sigurdus et Erlingus, qui omnes navium ductores erant. Sic Thordus Kolbeinis filius in carmine, quod de Eiriko composuit:

Bellator valde multos faselos,
nec non mercatorias et celoces,
in mare æstuosum ruere fecit.
Carmen poetæ laudatorium crescit.
Multi ante litus clypei erant,
cum magnus ille prœliator
provincias patris sui a parte
exteriori scutis cingere cœpit *α*.

Idem sequentia addit:

Pugnæ peritus dynasta, qui
naves in altum mare
provexit, altas proras
adversus Sigvaldium direxit.
Multa quidem remorum manubria
tremuerunt; milites vero, qui
mare remorum palmulis rupere,
mortem minime metuebant *β*.

α) hæc et sequens stropha ordinatæ et translatæ sunt in Hkr. Tom. 1 (hist. Ol Trygg. cap. 40—1) et Tom. 6 pag. 51, nec non in Scr. hist Isl. Vol. I. pag. 188. 192. Nunc lectiones Fagrskinnæ, quæ utramque stropham habet, adducam. Constructio: *skjalldhlynr a) lèt mjök b) margar snekkjur, sem knörru c) ok skeiđar d), dynja [á brim e); mærðar-örr f) óđrg) skjallz h) vex i). Mörg lind k) var fyrir landi, þá er ólitill l) oddherðir m) fat n) gerđa o) utan [lönd sinsp) föđur r) röndu s).*

a) *skialldlinur*, Fagrsk., et ex variante *skjöldúngr*, quorum prius sequitur hodiernam pronuntiandi rationem, seculo 10 et 11, quo tempore Thordus Kolb. f. vixit, in talibus vix usurpatam; posterius legi metricæ repugnat. *b*) *mioc* id., Fagrsk.; *mjög*, *B*, ex pronunt. vulgari. *c*) sic *Hk.*; *knarru*, Fagrsk., priori vocali non mutata; *knöru*, *B*. *d*) *scœiđar*, id., Fagrsk. *e*) sic *Hk.*, Fagrsk., cet.; *aljum*, mendose, *B*. *f*) sic *Hk.* recte; *ör*, *B*; *or*, Fagrsk.

suas copulis exsolvunt, qui quibus opponerentur in prœlio, constituunt. Hoc loco observandum

---

g) sic ceteri; *áðr, B.* *h*) *i. e. skjalds; skalds*, id., Hk., Fms.; *scals* et var. *scalz*, Fagrsk., exelnso *d*, sec. pronunt. *i*) *væx*, id., Fagrsk. *k*) in Scr. hist. Isl. Vol. I. p. 188. *lind* de nave accepi, forte Hk. Tom. 6. p. 51 et mantissam ad *Nord. g. Digtekonst*, sub hac voce, secutus; nunc dubito, an *lind* navem usquam apud poetas significet. *l*) sic Fagrsk., at ex var. *ólitil*, quod referri posset ad *lönd*; *ólitin*, Hk., quod forte prava lectio est vocis *ólitill*, nam debuerat esse *ólitinn*, quod habet *B, Fms.* *m*) sic *B*, Fagrsk.; *elherðir*, Hk, Fms., quod correctionem sapit, nam in priori loco librarius conjunxit *gerða elherðir*, in posteriori *randa elherðir*, quod utrumque bellatoris circumscriptionem dat. *n*) Fagrsk.; *þar, B*, forte depravatum ex *fat*; *fór*, Hk., forsitan ex correctione; *styr*, pugnam, Fms, handdubie ex corect., ut respondeat *ólitinn*. *o*) Hk. et Fagrsk., quæ ex var. habet *gerðar*, unde *gjörðar*, *B*; *gerði*, Fms., ex correctione librarii, qui junxit *gerði ólitinn styr*, magnum prœlium fecit. *p*) *landzins*, Fagrsk., prave pro *land sins*, at ex var. *lönd sins*, ut Hk.; *lund, B*, quod eodem spectat (*u*=*o*, *ö*). *r*) *faðr*, id., Fagrsk., conf. *c.* *s*) *random*, plur., eod. sensu, Fagrsk., sed ex var. *röndu*, ut *B*, *H*; *randa*, Fms., vide *m*.

β) Constructio: *ógnfróðr a*) *jarl b*), *sá er atti hrefnis c*) *stóði d*) *hot e*) *á lög f*), *settig*) *háfa h*) *stafna i*) *á k*) *móti Sigvalda. Margr hlumr l*) *skalf m*), *en huggendr n*) *sárgamms o*), *þeir er gátu slíta sjó p*) *ára blöðum r*), *ugðu hvergi s*) *bana.*

a) *alfræðr*, Fagrsk., puto Norvegica scriptione pro *alfróðr* (*allfróðr*), sed ex var. *ógnfróðr.* *b*) *jarls* Fagrsk., mendose, ambigua pronuntatione ob sequentem literam *s.* *c*) *hræfnis*, Fagrsk., et ex var. *ræfnis*, id.; *her finnz*, vitio librarii, *B.* *d*) *stæði*, Fagrsk., conf. *a.* *e*) sic et Fagrsk., sed ex var. *hotz*; *hátt*, eod. sensu, *B*; acceptionem et constructionem hujus vocalæ, tam in Scr. hist. Isl. Vol. I. p. 192, quam in Hk., nunc minus rectam esse puto; nam *hor, ho, hot* et *hott*, sec. pronuntationem Veterum, est id. qu. *hár, há, hátt.* *f*) *log*, id., Fagrsk. *g*) *Hætti*, Fagrsk., perperam, sed ex var. *sætti*, id. *h*) *B*, Hk, Fagrsk.; *hárra*, Fms. haud dubie mendose ex *haua.* *i*) *rafna*, lectio Codicis Frisiani, in Hk. allata, quam puto verissimam h. l. lectionem esse, etsi sensus idem maneat; nam *háfa rafn*, corvus scalmorum, est navis, et potest *stafna* correctio esse librarii, non animadvertentis præce-

est, intimum recessum sinus Hjorungensis in plagam orientalem, ostium in occidentem versum esse; in medio sinu exteriori tria saxa stant, Hjorungi dicta, quorum unum ceteris aliquanto graudius est, ex quibus saxis sinus nomen traxit. In medio autem sinu interiori scopulus est, pari undique intervallo, tam a recessu sinus interiori, quam utrinque a lateribus oppositis, a terra disjunctus. Ab regione sinus in septemtrionem versa insula jacet, Primsigda[1] appellata, ab regione sinus meridiana Harunda, intra quam sinus Harundæus extenditur. Jam referendum, quod piratæ Jomenses aciem navium ita instruxerunt, uti hoc loco demonstrabitur: Sigvaldius navem suam in media acie constituit, Thorkel Procerus, frater ejus, proxime eum suam constituit navem; Buius Crassus et Sigurdus Kapa, frater ejus, suas naves in altero aciei cornu contituerunt, Vagn Akii filius et Bjorn Britannicus alterum cornu occuparunt. Ex altera parte Hakon dynasta ac filii constituerunt, quinam ex suis adversus tam fortes viros pugnarent, et plurimis aciei locis naves ita disposuerunt, ut terni singulis hostium opponerentur. Primum igitur dicere ordiemur de ea dispositione, quod Svein Hakonis filius Sigvaldio est oppositus. Tres viri oppositi Thorkeli Procero, fratri Sigvaldii: unus Skeggius Yriensis, alter Sigurdus Steiklingus ex Halogia, tertius Thorer, di-

---

deos *háfa* substaotivum esse, noo adjectivum. *k*) *at*, id., var. Fagrsk. *l*) *hlynr*, id. q. *hlunnr*, *B*; *hilmr*, Fagrsk., mendose ex *hlunr*, sed ex var. *lumr*; confunduntur haud raro *hlumr* et *hlunr*, forte ob scripturam compeodiosam *hl̄ūr*, quæ utrumque dare potest. *m*) Fagrsk. ex var. *skap*, prave. *n*) *hugendr*, *B*. *o*) *sárgams*, *B*. *p*) *sjá*, id., Hk.; *seá*, id., Fms. *r*) *blaðum*, Fagrsk., id.; *blóðgum*, *B*, cujus librarius forte cogitavit de *blóðgum ara*, cruenta aquila. *s*) *hværgi*, id., Fagrsk.

[1]) Primsignda, *R*.

ctus Cervus. Præterea duo viri delecti, qui unacum Sveine Hakonis filio Sigvaldio resisterent, supra non commemorati, Gudbrandus ex Dalis et Styrkar ab Gimsis. Buio oppositus est Thorkel Midlangus, præfectus dynastæ, alter Halstein Kerlingabanius[1] de ......lis[2], tertius Thorkel Leira, dynastæ præfectus. Sigurdo Kapæ, fratri Buii, sese opponebant pater et [filius, Arnmodus ex Onundarfjordo et Arnius, filius ejus[3]. Vagni Akii filio oppositus est dynasta Eirikus Hakonis filius, alter Erlingus Skuggiensis, tertius Ogmundus Albus, qui idem ultionem ex Vagne ob abscissam manum expetendam habuit, uti antea dictum est. Adversus Bjornem Britannicum designati, Einar Parvus, vir præfectus, alter Havardus Opsia (suspectans, ore supino), tertius Halvardus ab Flydroneso, frater Havardi. Ipse Hakon, nulli uni separatim oppositus, extra aciem volitaret, omnes navium ordines sustentaret, classemque curaret. Dicuntur quatuor[4] Islandi cum Hakone et Eiriko, patre et filio, fuisse, quorum quidem nomina edita sint. Horum unus fuisse dicitur Einar, id temporis dictus Skjaldmeyar[5]-Einar; is poeta dynastæ erat, et tum temporis apud dynastam in minore, quam antea, honore erat. Einar sæpe jactavit, se ex cohorte dynastæ Hakonis ad Sigvaldium transfugiturum, et deinde hos versus pronuntavit:

> Mala fortuna composui
> de viris poemata; cui
> studio, dum ceteri quieverunt
> prœliatores, invigilavi.
> Istuc loci non veni,
> ubi pecunia potior

[1]) Kerlingus, *R.* [2]) Fjallis, *B*; Fljodis, *F*; vocem omittit *R.* [3]) filii, Arnmodus et Arnius et Finnus, *R.* [4]) quinque, *B.* [5]) *Skaldmeyjar*, id., *R*, i. e. poetriæ.

visa sit, poeta vero sequior.
Quis laudem auro postponat?[1]

[1]) Hæc stropha translata est in *Nordens gamle Digtekonst* p. 187. Constructio: *illrar tiðar gerða ek viðis a) veig b) of c) virða; ek vann þat, meðan aðrir örvafaðar d) svafu. [Komkaþ ek þess e), þar f) er fé þótti betra, en skáldit verra g). Hverr þingsættis h) meiðr sparir hödd vid hróðri? i).*

a) putavi hanc vocem (inter nomina Odinis alias non occurrentem) idem esse ac *viðrir*; vel h. l. reponendum *viðris*, quod et placuisse Olavio, apparet ex Mantissa ad *Nord. g. Digtek.* sub *viðir*; nam *viðris veig*, potus Odinis, est poesis, it. poema. *b*) *víg*, *F*, quod idem esse possit ac *veig*, variantibus *ei* et *í*. *c*) *um*, id., *F*. *d*) *örva veðrs*, sagittarum procellæ, i. e. prœlii, *F*, quod jungi posset cum *virða*, et *virðar örva veðrs*, æstimatores prœlii, de prœliatoribus (viris fortibus) sumi; *örva viðir*, arbores sagittarum, i. e. viri, Ol. l. c.; sed hæc utraque lectio metro minus accommodata est. *e*) a [*kátr er þrótz*, *F*, obscure; *kátr emk þrots*, Ol. l. cit, qui forte locum ita restituit, construens, *emk kátr þrots þingsætis, þar er*, i e. gaudeo, quod tale contubernium dissolutum est, in quo, etc. Sed vereor, ne illud *þrótz* v. *þrots* ortum sit ex altera hujus strophæ recensione, quæ mox sub *i* afferetur. *f*) hæc vocula in hoc contextu haud bene ferri potest; sed respicit ad duas lectiones, *þess er* et *þar er*, quæ ejusdem ferme sensus sunt. *g*) *vera*, Ol., i. e. *þar er hverr þótti vera fébetri, en skáldit*, in quo (contubernio) quilibet pluris quam poeta æstimetur, vide *e*. *h*) *þingsætis*, id., *F*; *þingsætti* (duplicato *t*), sedes in comitiis, *meiðr þingsættis* v. *þingsætis*, qui jus comitiorum celebrandorum habet, pro quovis justo cive, et in universum pro viro, homine, accipio; Ol. *meiðr* absol. pro homine, *þingsæti* de societate, contubernio sumit, vide *e*. *i*) *B* hanc stropham sic exhibet: *ek gjörða veit[1] vörð virða, þann er sitr á[2] jörðu, meðan aðrir [örvaðir menn[3] sváfu: ydrunst[4] þess. Komkat ek at finna þann þrenna[5] linz[6] þrótt, er þætti [skáld enn[7] verri; færi mik fere[8] firða mæri[9]*, i. e. feci carmen de virorum custode (principe), qui regno præest, dum alii dormiebant; ejus me pœnitet. Non usus venit, ut quemquam convenerim, qui poetam aliis postponeret; abducite me ab hoc civium exornatore (principe). Prior semistropha haud dubie est eadem quæ affertur et explicatur in *Nord. g. Digtek.* p. 187—8 et in Vita Egilis p. 694, nisi quod

Itaque transire in partes Sigvaldii certus sum, inquit; nam ille non minorem mihi, quam dynasta, honorem præstabit. His dictis, quam maximum abscedendi studium simulans, e navi Hakonis dynastæ in pontes excurrit, neque tamen cum firmo abeundi consilio discedit, sed quasi tentaturus, quo modo dynasta se discedente moveretur. Venienti in pontes excidunt versus sequentes, quibus Sigvaldium compellavit:

---

in *B* haud pauca loca depravata sint [1]) *um*, Egil. Vita, rectius; nam *gera* h. l., annotante G. Magnæo, est carmen facere; nisi *veit* h. l. depravatum sit ex *veig*, omissa præpositione *of* v. *um*, quando jungenda essent *örvafaðar veig*, potus Odinis, poesis, carmen. [2]) *at*, Vit. Eg., rectius, nam *sitja á jörðu* fere dicitur de rustico terram (fundum) incolente et colente, *sitja at jörðu*, de principe terram in ditione habente et administrante. [3]) i. e. homines, sagittis instructi, sagittarii, jaculatores; sed et metro adversatur et haud dubie ex *örvafaðar* depravatum. [4]) *iðrumst*, Vit. Egil., rectius. [5]) legendum puto *þremja*. [6]) i. e. *linns*; *þremja linnr*, hasta, *þróttr þremja linns*, Odin hastæ, vir. [7]) mallem *skaldin*. [8]) i. e. *ferre* i. e. *firri*, *fjarri*. [9]) posteriorem semistropham sic exhibet *Nord. gamle Digtekonst* p. 188: *heykk ek hodda stökkvi — hinnig sóttak gram þóttu — fýsinn fræknis visa — ferri skald en verri*, sic ordinandam ex mente J. Olavii: *fýsinn vísa fræknis sóttak gram hinnig, ek heykk ferri þóttu hodda stökkvi verri en skald*, i. e. cupidus (cognoscendæ) principis magnificentiæ huc acceseram, (sed) puto paucos visos esse munifico principi viliores, quam poetas. Vita Egilis p. 695 h. l. pro *heykk* habet *hykkat* (cum negatione) et pro *fræknis* (genitivo anomalo), *fræknum*; quam partem sic construit G. Magnæus: *hykkat gram hodda stökkva: hinnig sótta ek fýsinn: fræknum vísa þóttu ferri skaldin verri*, i. e. non puto dynastam esse annulorum projectorem (i. e. liberalem): huc cupidus accesseram: vegeto duci visi sunt pauci poetæ (me) deteriores. Quæ semistropba etiam sic ordinari posset: *fýsinn sótta ek gram hinnig: hykkat fræknum visa, hodda stökkva, þóttu ferri skaldin verri*, i. e. cupidus huc ad dynastam accesseram: haud puto paucos poetas (i. e. puto multos poetas) forti duci, annulorum projectori (liberali), visos esse (me) deteriores.

Adeamus dynastam, qui
stragem gladiis edere audet;
adplicemus clypeos, circulis
ornatos, lateribus navis Sigvaldii.
Hic (enim) bellator haudquaquam
me ab se repellet, ubi eum
convenerimus; age, clypeum
in Endilis asseres exportemus![1]

Hakon dynasta interea animum advertens, Skjaldmeyar-Einarem ad abeundum se parare, eum

[1]) Constructio: *sækjum jarl, þanns a) þorir auka úlfs b) verð c) sverðum; hlöðum d) baugskjöldum e) [við f) borð á g) barða Sigvalda. Säh) sárlinns sveigir drepr eigi hendi við mèr, er i) finnum gram k); berum rönd l) út á andra Endils m).* Exhibet hanc stropham Vita Egilis pag. 696, ed Havn. 1809.

a) þann er, id., Egl. *b) úlf, B. c)* sic *R, F, B,* Egl.; *verðr, A,* prave. *d) hlaupum B,* perp. pro *hlauþum* (i. e. *hlöþum*); *skipum,* instruamus, Egl. *e) baugmildum,* annulis liberali, *B,* haud dubie ex correctione librarii, vocem *baugskjöldum* non intelligentis, et *Sigvalda* pro dativo, præcedens *við* pro pronomine duali accipientis. Memorabilis est adnotatio G. Magnæi ad h. l. pag. 697. not. 5, in Edda Soorriana secundum Codicem Regium (vide Edd. Sn. ed. Raskii, pag. 160, lin. 8) legi: *ok er við þat baugskildir kendir,* sed secuodum Cod. Worm., *við þann baug skildir k.,* divisim. Consului hac de re Jonem Sigurdsonium, philologiæ Studiosum, Stipendiarium Arnaroagnæanom, harum rerum judicem peritissimum et accuratissimum, qui inspecto Codice Regio confirmavit, scriptum ibi esse: *oc er við* þ̄ (regularis abbreviatio vocis *þat*) *baug scilldir kendir,* et voces *baug* et *skildir* manifesto divisas esse. *f) vèr,* nos, *R. g)* a [*borðróinn,* a lateribus remigatum, remigio instructum, Egl., ad ungvem convenit Homerico *ἀμφιέλισσος. h) svá,* sic, *R*; potest et *sa* h. l. accipi pro *sá* (i. e. *so*), ita, sic, hoc ordine: *sárl. sv. dr. eigi sá hendi við mèr,* me ita (uti Hakon dynasta) minime rejiciet. Quanquam improbat formam *so* b. Raskius in *Oldnordisk Læsebog,* Havn. 1832. p. 30. not. 2, nescio quam recte. *i) af, B,* qui forte voluit *ef,* si. *k)* sic *R, F, B,* Egl.; *grams, A,* prave. *l) rand,* vocali non mutata, *F. m) endis, B,* prave, ut puto; asseres Endilis (piratæ) sunt naves.

ad se vocat, jubet eo accedere, ut secum colloquatur. Ille sic facit. Dein dynasta eximias, quæ ei erant, lances sumit, cocto argento factas, totas inauratas; his accesserunt duo pondera, alterum ex auro, alterum ex argento; utrumque pondus in formam simulacri[1] factum erat, quæ *hlotar* (momenta) apellata sunt, cum revera sortes essent, quibus uti homines vulgo solebant. Quibus cum insignis quædam virtus inesset, ad omnes res, quæ alicujus momenti esse viderentur, his sortibus dynasta usus est. Has sortes dynasta, cum, quid utraque ipsi significaret, constituisset, lancibus imponere consuevit; et quotiescunque sortes feliciter ceciderunt, eaque, quam optasset, exitura erat, tum ea sors, quæ quod fieri voluerat significavit, lanci imposita mobilitatem habebat et aliquantum succutiebatur, ut crepitus nescio quis inde existeret. Has pretiosas res dynasta Einari dedit, qui ea re lætus et hilaris factus, ab discessu revocatus est, neque ad Sigvaldium transiit. Hac ex re Einar cognomen sortitus, et ab eo tempore Lancicrepus est appellatus. Alteri Islando, qui ibi erat, nomen erat Vigfus, filius Glumi homicidæ; tertio Thordus, dictus Orvhanda (aristerochir): quarto Thorleivus, dictus Skuma, is filius erat Thorkelis Divitis[2] ex Dyrafjordo Islandiæ occidentalis [ab Alvidra[3]. Perhibent, Thorleivum clavam aliquam ingentem aut truncam aliquam arborem eradicatam in sylva sibi comparasse; dein eo accessisse, quo loco lixæ ignes accenderant cibumque coquebant; hic clavam circumquaque, quantum satis esset visum, ustulatam manu gestasse, et ad Eirikum Hakonis filium conveniendum properasse. Cui ad navem descendenti, comite Einare Lancicrepo, cum

[1]) humani, add. *R*, *F. B.* [2]) a Myris, *ad. B.* [3]) quintus erat Tindus Halkelis filius ab Alvidra, *B.*

se Thorleivus socium addidisset, Eirikus, conspecto homine: cui tibi, Thorleive, inquit, ingens illa clava, quam manu gestas? Cui Thorleivus tale responsum dedit:

Manu teneo
exitiabilem,
ossifragam Buii,
cladem Sigvaldii,
noxam piratarum,
tutelam Hakonis;
Hæc Danis erit,
si vivemus,
clava quernea
exitiabilis[1].

---

[1]) *F, B, R, addunt:* Tum Vigfus Vigaglumi filius hastam, quæ ei erat, sumtam acuit; et antequam prœlium committerent, hos versus pronuntiavit:

Jucundus præ manibus nobis
est ludus, ingruente
gladii procella. Sed feminæ
amicus desidet domi.
Dico homunculum, caloris
amantem, latebras quærere
tepido sub brachio feminæ.
Is alia sperat. Nos polimus spicula*)

Hæc egregie dicta sunt, inquit dynastes.

*) Constructio: *góðr a) leikr er b) oss fyrir handum c): þraungr d) at veðri e) viðris vandar f); en vinr g) lauka feimu liggr heima. [Ek kveð h) hlýssi i) bossa k) neyta hæla k) und l) vörmum m) bægi vifs n). Hann væntir o) sèr annars. Vèr skreytom p) spjörr r).* Habet hanc stropham Fagrskinna.

a) sic *F, B*, Fagrsk.; *góð*, *R*, omisso *r*. *b*) omitt. *B*. *c*) *F, B*, Fagrsk.; *havndum*, id., *B*. *d*) sic et *F*; *þryngr*, *R*, usitate; *þrængr*, Fagrsk., eod. sensu. *e*) *væðri*, id., Fagrsk. *f*) *varðar*, *B*, prave; *Viðris vöndr*, virga Odinis, gladius, *Viðris vandar veðr*, tempestas gladii, pugna. *g*) omitt. *B*. *h*) *cvæð*, omisso *ek*, Fagrsk; *kveðju, B*. *i*) *hlýs*, id., *B*, Fagrsk.; *loð*, contra metrum et obscure, *R*. *k*) sic *B*; *kæla bosa*, *R*; *hel ab ossa*, *F*; *hlæso*

Hi igitur quatuor[1] Islandi, Thorleivus Skuma, Einar Lancicrepus, Vigfus Vigaglumi filius et Thordus Orvhanda, navem Eiriki conscenderunt.

43. Post hæc acies, quo expositum ac demonstratum est ordine, concurrunt. Hakon dynasta in acie erat cum Sveine filio suo, ut huic adversus Sigvaldium opem ferret. Oritur inter acies pugna acerrima; neque erat, cur quis exprobraret utriscunque aut in oppugnando aut in procedendo ignaviam, et dicitur æquo marte pugnatum esse a Sigvaldio et patre filiisque, sic ut neutri naves suas recedere paterentur. Quo loco cum res esset, Hakon dynasta filiique animum advertunt, aciem, in cornu in borcam verso constitutam, quo loco Buius erat, valde esse illo oppugnante inclinatam: nam qui adversus eum pugnabant, se ab co subducere satius rati, naves suas retro cedere passi erant; at ille nihilo secius insecutus graves eis ictus infligit, adversarios male mulcat, et stragem hominum edere inter pugnandum incipit. Sed et animadvertit dynasta, Eirikum et Vagnem, qui in cornu aciei in meridiem verso erant, æquo fere certamine pugnare. Itaque fratres, hinc Eirikus cum una nave,

bælis, Fagrsk., invito metro et obscure; *bossi* idem esse puto atque *buss s. bussi*, homuncio, quæ vox fere blandientium est, et occurrit in voce composita *hvatabuss*, Fms. 4, 266, it. *hvatabussi*, in Fostbrædrasaga; hinc h. l. *hlýss bossi*, vir, caloris amans, i. e. mollis et delicatus, a *hlý*, n., calor. *Hæla*, gen. pl. ab *hæli*, n., perfugium, quanquam fateor rarius in plurali occurrere. *l*) sic *R*, Fagrsk.; *undir*, cet. *m*) *varmum*, Fagrsk., voeali non mutata. *n*) *vís*, *B*, perperam quidem, sed cum vox *vífs* metro non satisfaciat, forsitan legendum sit *vígs* et referendum ad *spjörr*, ut *vígs spjörr* de spiculis bellicis vel militaribus sumatur. o) *vættir*, id., *R*. *p*) *scöytum*, manubrio instruimus, Fagrsk., nisi h. l. idem sit ac *skreytum*; nam sic variant *skreytaz* et *skeytaz* Hk. in hist Magni Nudipedis c. 18. *r*) sic et *F*; *spjör*, *R*; *spjor*, id., Fagrsk.

[1]) omitt. *B*.

quam ipse possidebat, illinc Svein frater ejus cum altera, socia classe Buium adoriuntur, prœlium cum eo committunt, aciem inclinatam, nihil amplius, restituere possunt. Interea Hakon dynasta prœlium cum Sigvaldio conseruit. Ut vero Eirikus ad cornu aciei meridianum rediit, jam acies Eiriki, Vagne impetum faciente, admodum inclinata retro cesserat, navesque ejus inter se disjunctæ erant, adeo enim vehementer eos Vagniani oppugnarant, ut eo loco aciem perrupissent. Quo viso Eirikus, magna ira incensus, Barbonem Ferratum celoci, quam Vagn ducebat, acriter applicat; junctis proris, iterum prœlium committunt; neque pugna antea unquam vehementius, quam tunc, arserat. Vagn et Aslakus Holmskallius, uti perhibent, e celoce sua in Barbonem Ferratum, quo Eirikus vehebatur, transiliunt, deinque alter secundum dextrum latus navis, alter secundum sinistrum grassantur. Aslakus Holmskallius telum tam a dextra quam a sinistra vibravit, memorabili cum virtute, itemque Vagn, quorum uterque tanto impetu grassabatur, ut omnes milites gradum referrent. Animum advertit Eirikus, homines istos adeo nemini parcere tantoque esse furore incitatos, ut res, quo loco tum erat, haud bene cessura esset, opusque esse quantocissime ad auxilium dynastæ confugere. Aslakus, homo, ut ferunt, calvus, etsi nulla caput galea tegebat, tamen hoc die nudo cum calvitio proruebat. Erat tempestas serena, cœlum purum et calidum, compluresque militum vestes exuerant caloris causa, solaque armatura corpus tegebant. Eirikus igitur suos hortatur, ut impetum in adversarios faciant; illi adversus Aslakum Holmskallium vadunt, tela ei intentant, caputque ejus et gladiis et securibus cædunt; nihil enim ei tam nociturum existimabant, eo quod nudum

calvitium ictibus opposuit. Sed, quemadmodum proditum memoriæ est, sive gladios sive secures in caput ejus incussissent, tela a calvitio Aslaki repercussa sunt, quod, ferro inviolabile, ad ictus pulverem exhalabat. Quem cum viderent magno cum impetu, quicquid facere conarentur, proruentem, [nihiloque secius[1] per omnia grassantem, ictus crebros, acres, ingentes ab utroque latere inferentem, compluresque homines sternentem: id consilii cepisse dicitur Vigfus Vigaglumi filius, ut ingentem arriperet incudem rostratam, quæ in prora Barbonis Ferrati in constrato jacebat, ad quam ipse laxatum forte clavum capuli gladii sui antea accuderat. Hanc sublatam in caput Aslaki Holmskalli incussit, ut rostrum incudis continuo demergeretur; quod cum ille providere non posset, extemplo exanimus decidit. Interea Vagn secundum alterum navis latus vadens, vehementissimo cum impetu grassatur, gladium utrimque vibrans multis hominibus necem infert. Quod cum facere pergeret, Thorleivus Skuma adversus eum procurrit, clavaque percutit; qui ictus tam erat gravis, ut, cum summæ galeæ accideret, molliores capitis partes, quæ galea tegebantur, læderentur. Ad quem ictum Vagn inclinato corpore pæne ad Thorleivum lapsus est, labans vero, cum Thorleivum gladio appetiisset, e margine Barbonis Ferrati se dejecit, stansque in celoce sua se excepit pedibus; neque quisquam inter oppugnandum acriorem dederat impetum, quam ille suique omnes modo dederant. Adeo autem ille et Aslakus Holmskallius Barbonem Ferratum propugnatoribus nudarant, ut Eirikus necesse esse duceret, homines ex aliis navibus eo arcessere, donec milite plene instructa navis esset; quo facto ve-

[1]) eodemque tempore, *F.*

hementissimam pugnam cum Vagnianis redintegravit. Post autem paulo animum advertunt Eirikiani, Hakonem patrem ejus hujusque classem ad litus adpulisse; quo factum est, ut prœlium aliquamdiu intermitteretur.

44. Jam pater ac filii una omnes convenerunt et inter se collocuti sunt. Tum Hakon dynasta loquitur: perspicio, inquit, nos adversa fortuna prœlium facere; neque insperanti mihi accidit, nam et difficillimum fore putaram, cum his hominibus conserere manum, et rem ipsam eventus mihi declaravit; his enim adeo nulli sunt similes, ut hi omnium hominum sint ad oppugnandum importunissimi; et perspicere possum, nisi consilium alicunde petatur, rem quo nunc est loco nobis haud successuram. Vos igitur hic apud exercitum remaneatis, minus enim cautum est, omnes principes ab exercitu abscedere, si forte piratæ Jomenses impetum interea in nostros facient, de quo nunquam securi esse possumus. Ipse vero in terram cum aliquot viris egrediar, quo se modo res porro datura sit, visurus, inquit Hakon dynasta. Itaque dynasta paucis comitatus in terram exit, et in partem septemtrionalem insulæ Primsigdæ adscendit, quo loco ingens silva erat. Dein procedit in locum aliquem silvæ arboribus vacuum, hic in utrumque genu procumbit, preces fundit, vultu in plagam borealem converso, verba faciens, prouti ei ad salutem commodissimum videretur. Eo tandem in supplicando procedit, ut suam patronam (numen tutelare), Thorgerdam Hordatrollam (gigantem Hordicam)[1] invocet auxilii gratia; quæ cum preces ejus surdis auribus acciperet, ille

[1]) Hordabrudam (virginem Hordicam), *F*; Holgabrudam (virginem Halogicam), *R*; Holdabrudam (virginem, colonorum tutelam) sive Hordatrollam, nomen enim variat, *B*.

iratam esse intelligens, varias res, quas ab se sacrificii nomine accipiat, obfert; quorum cum nihil vellet accipere, rem sibi haud ex sententia cessuram intelligebat. Eo tandem venit res, ut ei humana sacrificia offerat; at illa nullos quos immolandos obtulit homines accipere dignata est. Jam dynasta, de re sua desperans, si eam placare non posset, sacrificia ei oblata amplificare incipit, ita ut omnes alios homines, se ipso filiisque Eiriko ac Sveine exceptis, immolandos offerret. Erat autem dynastæ filius, nomine Erlingus, annorum septem, optimæ spei puer. Factum tandem est, ut Thorgerda oblationem acciperet, Erlingum, filium dynastæ, sibi deligens. Ut vero dynasta exaudiri preces ac vota sua intellexit, rei exitu lætatus, puerum prehensum Skoptio Karco[1] in manus tradit, qui [ei necem intulit eo modo, quo Hakon consveverat, et quemadmodum ei præcepit[2]. His confectis rebus dynasta ad naves suas redit, suosque de integro cohortatur: nunc certo scio, inquit, nos victoriam ex piratis Jomensibus reportaturos; quare audacius in pugna procedatis, jam enim victoriæ ergo invocavi utrasque sorores, Thorgerdam et Irpam, quæ mihi nunc non magis quam antea deerunt. Interea dum aberat dynasta, a prœlio cessatum est, quo temporis intervallo utrique, quam visum est commodissime, se ad prœlium comparaverunt. Post hæc dynasta navem conscendit; iterum impetum in hostes faciunt; dynasta, Sigvaldium jam oppugnans, quam vehementissime se infert fretus auxilio Hordabrudæ et Irpæ. Interea tempestas in plaga septemtrionali æstuare cœpit, nigra et obscura nubes secundum oceanum se emoliri, summaque cele-

[1]) omitt. *F.* [2]) puerum abducit jugulumque ejus præcidit, ut Hakon dynasta præceperat, *B.*

ritate in cœlum adscendere. [Erat id tempus diei, cum trihorium[1] in eo esset, ut ad finem vergeret[2]. Nubes, cum se cœlo celeriter circumfudisset, procellam subito peperit, quam fulminibus et tonitribus mixtam esse animum adverterunt, eo quod omnibus piratis Jomensibus adversus procellam erat pugnandum. Hæc procella, accedensque tempestatis vis, tanti erat miraculi, ut nonnulli vix consistere pedibus possent, hominesque, qui antea eodem die propter calorem vestes exuerant, mutata jam in contrarium tempestate, præ frigore cohorrescere inciperent; et tamen ita pugnare contenderunt, ut hortatu opus non esset. Dicitur Havardus Hoggvandius, socius Buii, primus omnium conspexisse Hordabrudam in exercitu Hakonis dynastæ versantem, quam etiam multi lynceis oculis præditi, quin etiam ii, qui naturali visu gaudebant, conspexerunt. Remittente nonnihil procella, præterea viderunt, quantum animadvertere poterant, sagittas ex singulis digitis gigantidis evolantes, quarum singulæ singulos homines ita percusserunt, ut mortem obirent. Igitur Sigvaldio aliisque commilitonibus visa referunt. Tum Sigvaldius loqui orsus est; Hakoniani enim, incidente duranteque procella, quantum potuerunt, pugnare contendebant: non mihi videtur, inquit Sigvaldius, cum hominibus hodie nobis pugnandum esse, sed cum pessimis gigantibus; at vero, etsi difficilius virtutis tentamen videbitur, adversus gigantes fortiter in pugnam procedere, tamen ratio svadet, ut milites quam strenuissime ope-

[1]) intelligitur illud trihorium, quod incipiebat sesquihora post meridiem (*miðmundi*) et desinebat in quartam semis, vide Finnæi Hist. Eccles. Isl. Tom. I. p. 156 not. [2]) *a* [tum dies eo processerat, cum hæc acciderunt, ut trihorium pæne ad finem vergeret, *F*; omitt. *B*, *R*.

ram navent. Interea Hakon dynasta (sic ferunt), cum desævire procellam, neque tam vehementem esse, quam antea, sensisset, iternm Thorgerdam Irpamque, sororem ejus, enixe invocat, tam huic, quam illi in memoriam revocans, quantum pœnarum dedisset, qui filium suum victoriæ ergo immolasset. Igitur procella se altera vice superingerit, cujus primo adpulsu Havardus Hoggvándius duas feminas in nave Hakonis dynastæ versantes animadvertit, quod alteram antea facientem viderat, utrasque facientes[1]. Hic Sig-

[1]) *B addit:* dicitur Hakon dynasta cum suis acres impetus fecisse et rem audaciter gessisse. Quin, ut memoriæ proditum est, Hakon dynasta tam audacter pugnavit, ut præ calore et lassitudine loricam tandem exueret. Sic Tindus:

Tegumentum illud, quod in gratiam
dynastæ mulier manibus suis
confecerat, inutile redditum erat,
crescente strepitu gladiorum:
cum princeps loricatus cogebatur
Odinis tinnulum indusium
abjicere, annulis despoliatum;
naves propugnatoribus nudabantur α.

Idem sequentia addit:

Imperterritus in prœlio Sigvaldius
hucusque a metu abstinuerat
(multa loca populabundi adierant
Buianarum partium adseclæ),
antequam piratæ maritimi
Thrandico dynastæ obvii
sunt facti; rivi sangvinei
inter pugnandum murmurabant β.

Idem sequentia addit:

Grando in multos numinis cultores
effusa est in tempestate Odinia
(congressus cum carnivoris
avibus periculosus lupo fuit),
ubi lorica dynastæ, hamis
conserta, prope litus difflata

valdius sermonem exorsus loquitur: nunc aufugere volo, inquit, idemque omnes mei faciant;

---

est. Cujus rei virorum
amicus monumentum habet γ.

Tum viginti quinque naves piratarum Jomensium vastatæ sunt, id quod memorat Tindus Halkelis filius in carmine breviori, quod de piratis Jomensibus composuit; in quo carmine indicatum est, ipsum (poetam) ibi præsentem adfuisse:

Saturator corvorum agminis
vulnera inflixit Vendorum
exercitui: gladius, clypeis
noxius, crura dissecuit:
antequam pugnatores possent
viginti quinque naves vastare
ex classe hostium. Quod non
sine periculo effici potuit δ.

Idem sequentia addit:

Inclytus ille bellica fortitudine
dynasta nunquam profectionem
gloriosiorem, bellicis vectus navibus,
ad committendum prœlium susceperat:
quam cum princeps ille, auri
munificentissimus, celoces piratarum
in sonora pugna vastavit, in regione
Mæriensium; id (viris) palam facio ε.

Idem sequentia addit:

Omnes provinciæ munifici
principis vastabantur gladiis
Danorum, ubi sonitus securium,
scutis noxiarum, increvit.
Bellator, sangvineis hastis usus,
effecit, ut prœliatores, qui procellam
clypeis nocivam conciverant,
humum strati barbis ferirent ζ.

Idem sic pergit:

Ubi acies congrediebantur,
dynasta, corvorum saturatori
cognominis, enses satiavit et
famem alitum compescuit.

jamque res eo immanior evenit, quam antea, cum mentionem injeceram, quod nunc adversus duas

---

Bellonæ jumenta largam cibi
copiam nacta sunt, postquam
scutorum procella facta erat ad litus
terræ, paganæ religioni addictæ η.

Idem porro cecinit;

Dum homines terram incolent,
populus recordabitur, quantam
lætitiam prœliaribus volucribus
seculum Hakonis præbuerit.
Classium ductorem quovis
principe præstantiorem duco;
nam deterret alios, quominus enses
acutos dilectæ terræ inferant ϑ.

Bellator, gladiis usus, Danorum
celoces propugnatoribus nudavit,
et novam stragem edidit; ibi
veri milites litora defendebant ι.

Hic impetus valde terribilis fuit, et aggressione dæmonum, et sæva illa tempestate, quæ hos comitabatur, et impetuosa grassatione militum. At piratæ quoque Jomenses perquam strenue hostem exceperunt, nam Buius et Vagn, ceterique omnes, qui eos comitabantur, admodum audaciter rem gerebant, magnamque fortitudinem et eximiam defensionem præstabant.

α) Cum his strophis, quas *B* ex encomio de piratis Jomensibus a Tindo Halkelis filio composito adducit, collatum est apographum Nr. 288 in 4to. Ceterum hæ strophæ, quales *B* exhibet, adeo sunt depravatæ et corruptæ ignorantia librariorum, ut nemo eas explicaturus conjecturis abstinere possit. Neque vero id mihi sumo, ut veras ubique lectiones conjectura assecutus sim, hoc tantum in proposito habens, ut et mutationes quam lenissimæ forent, et sensus emergeret, neque sermoni poetico, neque probabilitati repugnans. Prima stropha exemplo sit, quantæ corruptelæ ab oscitante et ignorante librario intrudi possint. Hujus strophæ, quæ occurrit in Hk. hist. Ol. Trygg. cap. 43., et in Fms. Vol. I. pag. 173., constructio talis est: *Sænga*), *sem gims gerðr b*) *gjörði c*) *jarle* (*með*) *herða bjoglimum d*), *varð-a e*) *farlig f*);

gigantes pugnamus, cum antea adversus unam tantum pugnaremus, quam ob rem nunc non

gnýr Fjölnis fura g) óx: þars brynjuh) viðurr i) [varð atk) kasta hríngfom l) Hánga hrunserk m); roðan) rastar riðmar-ar hruðuz o). Nr. 288 lectiones Heimskringlæ exacte exhibet.

a) forte præstat lectio Hk. *sæíng*, sutura, opus sutile, h. l. de lorica. *b*) hanc vocem omisit *B*, ob similitudinem vocis præcedentis *gjörði* s. *gerði*. *c*) *of*, circa, add. *Fms.*, haud dubie ad evitandum versum catalecticum. *d*) *gjog timum imu*, *B*, ubi *gjog* depravatum ex *bjog*, *timum* ex *limum*, *imu* male repetitum ex præcedente syllaba. *e*) *vaðar*, *B*, transponendo corrupit. *f*) *fagrlig*, *B*, eodem sensu, sed contra metrum. *g*) *fyrða*, *B*. *h*) hanc vocem *B*, cum in codice, quem exscripsit, nulla fuerit versuum distinctio, ad septimum versum prave rejecit, et versum sextum supplevit interpolando *um merki*. *i*) *viðr*, *B*. *k*) *varðar*, *B*. *l*) *hring fjoin*, *B*, ubi *fjóin* aperte corruptum ex *fom*, id. qu. Hk. *fám*. *m*) *hrim serkr*, *B*, ubi *hrím* prodiit ex *hrun*, quod idem est ac *hryn*, 288, Hk. *n*) *roðe*, *B*. *o*) *ruðz*, *B*.

β) Constructio: *Sigvaldi, óhræðinn oddgaldrs a), gat b) enn viðrnám æðru (sökk-værec)-njótar Búa kvámu d) vitt): áðr grimnis vagna e) röðuls f) mót-magnendr g) mættu h) þrænsk-um i) jarli; sárlák) saung at sverða þingi.* Sensus est: animosus ille Sigvaldius et socii Buiani, multis jam prœliis adsveti, nunc tandem trepidare cœperunt, cum Hakoni dynastæ obcurrerunt.

a) *óðs galdrs*, 288. *b*) *bat*, 288. *c*) conjeci; *nære*, *B*, contra regulas metricas; *sökk* h. l. est id. qu. *sök*, causa, nam duplicatio consonantium, *g*, *k*, *t*, apud veteres non infrequens; *være* (= *væri*, *veri*), qui defendit, a *verja*, defendere, in compositis, id. q. *verjandi*, itaque *sök-veri njótr*, is qui causam alicujus defendit, qui partes alicujus sequitur, i. e. socius, adsecla. *d*) conjeci; *kvánti*, *B*, quod nihil significat et metro repugnat. *e*) *vánga*, 288, metro repugnans. *f*) *róðrs*, remigationis, 288, ex quo *mót róðrs magnandi grimnis vagna* proprie foret is, qui navem adverso vento remis molitur, i. e. socius navalis. *g*) conjeci; *magrendr*, inepte et contra metrum, *B*; accipio h. l. *grimnir* (quamvis tacente Edda) de regulo maritimo: *grimnis vagn*, currus reguli maritimi, navis: *röðull grimnis vagna*, sol navium, clypeus, secundum Ed. Sn. ed. Rask. p. 161: *mót grimnis vagna röðuls*, conflictus clypei, pugna, cujus *magnendr*, cientes pugnam, bellatores, ɔ: Sigvaldius

amplius manendum est; et præclare agitur, quod recedentes non ab hominibus pulsi aufugimus;

---

ac Buius. *h*) conjeci; *máttu*, *B*, haud apte h. l. *i*) *þrángs um*, 288, corrupte. *k*) conjeci; *sárla*, adv. contr. pro *sárliga*, acerbe, *B*.

γ) Constructio: *hagli a*) *dreif á margan tývis b*) *virði c*) *at Viðris veðri* (*auðkunda d*) *valgagls e*) *varð f*) *grimm g*) *vargi*): *þars h*) *hringofinn Sörla serk bles i*) *i sundr á k*) *saudi fyrir jarli; seggja l*) *sessi hefir m*) *merki þess.*

a) *agli*, 288. *b*) conjeci; *timis*, *B*, quod depravatum putavi ex *tuuis*, i. e. *tuvis*, ɔ: *tyvis*, quod pro anomalo genitivo τοῦ *tyvr* v. *tyfr*, deus (h. l. Thor), accipio, inserto *i*. *c*) conjeci; *viðri*, *B*, quod mihi ingratum videbatur, cum in 1. versu præcedat *Viðris*, et forte hinc repetitum; per *tývis virðir*, cultorem numinis (ɔ: Thoris), Norvegos intelligo; est autem *tývr* haud dubie eadem vox ac *týr*, auxiliator, a *tøja* (*tjóa*, *tjá*), opem ferre, adeoque numeo auxiliare et tutelare. *d*) sic 288; *auðkundu*, *B*; forte rectius *andkunda* (ab *and*, contra, obviam, et *koma*, adventus), obviam itio, occursus, congressus, ut *samkunda*, conventus; quanquam *auðkunda* potest esse adventus gratus, exoptatus; fames enim cogit feras diversi generis, ut canes et corvos, ita lupos et aquilas, amice et sine maleficio prædam participare, confer Fms. 7. p. 350, *úlfs börnum varþ arnar einkar tiþr fundr*, ubi *tiþr fundr* cum hujus loci *auðkunda*, quoad sensum, congruere videtur. Ceterum dicit poeta, tam vehementem fuisse grandinosæ tempestatis vim (vel etiam telorum nimbum), ut lupo periculosum fuerit, cum aquilis ceterisque avibus carnivoris inter cadavera versari. *e*) conjeci; *vagl agls*, *B*; *vagl algs*, 288. *f*) sic 288; *verð*, *B*. *g*) conjeci; *grim*, *B*. *h*) *þarfs*, 288. Occurrit hæc semistropha in Hk. hist. Ol. Trygg. cap. 43, et in Fms. Vol. I, p. 173, quorum lectiones hoc loco examinabo, et corrigam interpretationem meam, antea in Scr. hist. Isl. Vol. I. pag. 200. propositam. *i*) sic exscr. Cod. membr. *A*, Hk. l. c., et Peringsk., ibid., quam veram h. l. lectionem esse existimo. Cetera exemplaria mire variant in hac voce; proxime accedit membr. *E* (Cod. Frisianus), *blær* exhibens; *C*, ibid., *bjós*, unde interpp. Hkr. conjecerunt *hjós* (i. e. *hjóst*, dissecta est); *bligs* h. l. *B*; *blings*, 288; Fms. l. c. *bæs* et *bærs*, sed ad conservandam sententiam librarius ibid. mutavit *þars* s. *þar er* in *hraut;* sed sec. utramque lectionem, *hjós* et *hraut*, τὸ *serk* in ultimo versu pro nom. *serkr* erat

non (enim) voveramus, nos cum gigantibus pugnaturos. Itaque Sigvaldius navem suam avertit,

capiendum. Lectio, *bles* (i. e. *blès*) *i sundr*, difflata, vi tempestatis dirupta est (lorica), contextui apprime convenit, cum vehementia conflictus piratarum Jomensium in priori semistropha sub imagine tempestatis Odinianæ (*Viðris veðr*) descripta sit. *k*) *á* h. l. non significat "in", sed "ad, prope, juxta", ut pluribus exemplis demonstrari potest; forsitan ob hunc rariorem significatum edd. Hk. pro lectione membr. *E* et Cod. *C sandi*, susceperunt *sundi*, in freto, quod necessarium non fuit. *l*) sic Hk., Fms.; *seggir*, *B*. *m*) sic iid.; *hafa*, *B*, ɔ: *seggir hafa þess merki*, quæ lectiones si admittuntur, τὸ *sessi* in vocativo erit sumendum, et de commilitone poetæ, aut in communi de lectore intelligendum.

δ) Occurrit hæc stropha in Hk. hist Ol. Trygg. cap. 47., et in Fms. Tom. I, pag. 183. Constructio: *verðbjóðr a*) *hugins ferðar vann sverðs b*) *eggja spor á c*) *Vinda d*) *sinne e*); *seilar f*) *sólgagar g*) *beit leggi: áðr h*) *hjör i*) *-meiðar mætti hrjóða k*) *hálfan þriðja tog l*) *lángram*) *skeiða leiðar liðs*; *þat var hætting*.

a) sic Hk, Fms.; *verð bjóði*, *B*. *b*) iid.; *sverð*, *B*. *c*) Hk.; *at*, *B*. *d*) Hk., 288; *niunda*, *B*, corrupte ex *uinnda* (i. e. *Vinda*). *e*) *sini* (i. e. *sinni*), 288. *f*) Hk., Fms.; *sveita*, sangvinis, *B*; *sveita sól*, sol (lux, ignis) sangvinis, telum, ejus *gagar* esse possit gladius, quatenus unus gladius alterum inutilem inter pugnandum reddit. *g*) *sólgángsins*, 288, corrupte. *Gagarr*, cujus significatio mihi ad Scr. hist. Isl. Vol. I, p. 212, et ad *Krákumál*, ed. C. C. Rafn Havn. 1826. p. 106., nondum cognita erat, canem significat; sic vetus proverbium: *gagarr er skaptr, því at geyja skal*, canis factus est, ut latret. Hinc perspicua erit ensis circumscriptio, *hjálmgagarr* in Njala, *rægagarr* in *Krákumál* l. c. *h*) Hk; *at*, *B*. *i*) *hjörð*, 288. *k*) Hk., Fms.; *herðir*, *B*. *l*) *tug*, id., 288. *m*) Hk., Fms.; *lánga*, *B*.

ε) Constructio: *enn a*) *Göndlar b*) *dóms kendi jarla*) *fórað c*) *endr d*) *hermörum ára e*) *meiri tirarför at geirs glaumi f*), *undz g*) *þá et meiðr h*) *mýrari*) *fuss k*) *hrauð víkinga l*) *skeiðarm*) *gjöldum n*) *hjaldr o*) *á k*) *hauðri Mærap*); *en ek ræsir*) *þat*.

a) sic ego; *jarlenn*, una voce, *B*, ɔ: *Göndlar dóms kendi jarlenn*, quod minus arridet, etsi eodem manente sensu. *b*) *gulnar*, 288, qui haud dubie cogitavit *gunlar*, quæ forma interdum

et Vagnem Buiumque inclamat, ut quam citatissime aufugerent. Hoc ipso temporis momento,

occurrit pro *Gönnlar, Göndlar; Göndlar dómr*, judicium Gondulæ (Bellonæ), pugna. Ceterum 288 tres ultimos versus præponit versui tertio, quarto et quinto, quod consistere nullo modo potest. *c*) conjeci; *forráð, B*, rectius *fórrað*. *d*) conjeci, lege literarum metricarum coactus; *hendr, B; hend*, 288. *e*) *ára marr*, equus remorum, navis; hinc *hermarir ára*, naves bellicæ. *f*) *glumi*, id. 288; variant etiamnunc in hodierno sermone in nonnullis vocibus *u* et *au*, v. c. *Glumbær* et *Glaumbær*, *Gulverjabær* et *Gaulverjabær*, *ustur* = *austur*. *g*) *auðs*, 288; *undz þá er*, ad verbum, ad id tempus, quo s. cum. *h*) conjeci, ut lex syllabarum harmonicarum servetur, quam ab hoc poeta constanter observari video; *morðr, B; morð*, 288. *i*) conjeci; *minnarr, B*, 288, quod depravatum putavi ex *murar* (a *murr* = *myrr*, palus, uligo, it. aqua), dicique posse existimavi *murar* s. *mýrar furr*, aurum, ut *fens funi*, *fens eisa*, id. *k*) sic ego, nam *fuss* est pro *furs* a nom. *furr*, ignis, literis *rs* in *ss*, ut vulgo, abeuntibus; *fus, B*; quocum 288 sequens *á* conjungens, una voce *fusa* dat. *l*) *vikingu*, 288. *m*) *skerðir*, 288, mendose; idem mendum habet *B*, pag. 140. not. 2 (Text. isl.), ubi *skerðr* est pro *skeiðir*. *n*) subaudi *í*; *gjaldr* h. l. accipio pro *gjallr*, sonorus. *o*) h. l. dativus pro *hjaldri*; nisi construere malis *hjaldr-gjöldum*, subintellecto *at*, ɔ: *at hjaldr-gjöldum*, in præmium certaminis, a *gjald*. *p*) conjeci; *mæti, B*, 288; lenior quidem fuisset mutatio in *mæri*, tum vero vox *hauðri* nihil babuisset, quo commode referretur. *r*) *ræsa* h. l. est id. qu. *flytja*, proferre, edere, pronuntiare; explicante Ed. Sn. in clavi metrica (ed. Rask. p. 247), *sá flytr er ræsir*.

ζ) Constructio: *öll lönd auði grimms a*) *gjörðust at b*) *eyðast c*) *brandi Dana, þar d*) *er glaumr Göndlar borða naumu e*) *óx. Hæggr f*) *hræ g*)-*sevar h*) *birtínga i*) *hefir kent viggjar veggs k*) *veðr l*)-*eggjundum m*) *at höggva niðr k*) *skeggi n*) *um þat o*).

a) sic dedi; *gríms, B; auði grimmr*, in divitias sævus, i. e. liberalis (h. l. adjectivum ponitur pro substantivo, liberali viro, ɔ: Hakone dynasta). *b*) post hanc vocem 288 inserit *er*, quo facile caremus. *c*) conjeci; *eyðist, B*; verba *gjörðust at eyðast* sic intelligi volo: in eo erant, ut vastarentur, vel periculum fuit, ne vastarentur; nam nexus semistropharum talis est: tam vehemens

quo Sigvaldius, navi sua a cetera classe disjuncta, Buium et Vagnem inclamavit, Thorkel

---

erat piratarum Jomensium in Norvegiam incursio, ot periculum esset, ne provinciæ Hakoni dynastæ subjectæ vastarentur; sed antequam hoc fieri posset, impetus eorum repressus est. *d*) voculam *at* inter *þar* et *er* inserit *B*; omittendam duxi, ut tam ad metrum quam ad sensum superfluam, et haud dubie ex duplici lectione, *þar at* et *þar er*, profectam. *e*) *Göndlar borð*, tabula Bellonæ, clypeus: *Göndlar borða nauma*, gigantis clypeorum, securis, sec. Ed. Sn. (ed Rask) p. 163, hujus *glaumr*, pugna. *f*) sic ego, i. e. *heggr*; *hægr*, *B*. *g*) inter hanc vocem et sequ. *birtingum* *B* inserit *ber*, quod tantum repetitio est primæ syllabæ sequentis vocis, vel ex duabus formis ortum, *bertíngr* et *birtíngr*; itaque exclusi. *h*) sic conjeci, i. e. *sævar*; *sènar*, *B*, *sjónar*, 288, corrupte et contra metrum. *i*) sic conjeci at supplendam bellatoris circumscriptionem; *birtíngum*, *B*. *Birtingr*, trutta albicolor, *hræser*, mare cadaveris, sangvis: hinc *hræ-sevar birtíngr*, trutta sangvinis, gladius vel potius hasta, qua res punctim geritur, sec. Edd. Sn. p. 160; hujus *hæggr*, prœliator. Ceterum perinde est, utrum scribas *bertíngr*, an *birtíngr*. J. Olavius in *Nordens gamle Digtekonst* affert vocem *bertíngr*, ensis, unde explicat circumscriptionem pugnæ *birtings bad*, in carminibus heroicis medii ævi (*danske Kæmpeviser*) occurrentem, quasi *bertings böð*; in Lexico Danico Societ. Scientif. adlegatur vox *birting*, gladius. Quæ vox, in significatu gladii, in antiquissimis carminibus islandicis nunquam mihi se obtulit. *k*) sic ego; *veggs niðs*, *B*; *veg Sniðs*, 288. *l*) sic ego; *veðz*, *B*. *m*) conjeci; *eggi undum*, *B*. *Viggr*, h. l. est idem quod *vigg*, navis: *viggjar veggr*, paries navis, clypeus: *viggjar veggs veðr*, tempestas clypei, pugna, hujus *eggjandi*, prœliator; intelliguntur piratæ Jomenses. *n*) *Skeggi*, *B*, ut si esset nomen viri. *Höggva skeggi niðr*, h. l. est id. qu. alias est *höggva skeggi í gras* (ut *hníga í gras*, *lúta í gras*), pronum humi cadere, Dan. *bide i Græsset*. *o*) *um þat*, h. l. valet, antequam id fieret (ut Norvegia incursu piratarum vastaretur).

η) Constructio: *þars a*) *of þing gengu saman b*), *saddi jarl*, *nafni hrafna c*) *byrgis*, *odda d*), *vann e*) *húngri f*) *hánga g*) *vals h*). *Mistar mörum i*) *varð gott til vista*, *at háða morðskýja k*) *hríð l*), *við m*) *síða markar heiðins dóms n*).

a) *sár er*, 288, prave pro *þar er*. *b*) *sumar*, 288. *c*) sic

Midlangus e navi sua in navem Buii transiliit, seque subito ad Buium corripiens, confestim ei

---

conjeci; *Hrana*, *B*, contra metrum, et quasi esset nomen viri. Per *byrgir hrafna*, eum qui corvis escam prospicit, h. e. bellatorem, intelligi putavi Eirikum Blodaxam, insignem sui temporis bellatorem, cujus cognominem appellari h. l. Eirikum dynastam, Hakonis filium, honoris caussa. Levissima sane hæc mutatio vocis *Hrana* videbatur. Si vero constaret, *byrgir* corvi appellationem esse, sive quod in comparanda præda strenuus sit (a *byrgja*), sive quod occultioris indolis sit (*borginn*, unde *borginmóði*, corvi nomen), duplex mihi se offert via, qua sententia commodior prodeat: prior via, mutando *valt* in *val* et *Hrana* in *hafna* (nam *hugða* omnino mutandum), hoc ordine: *þars ofþing odda gengu saman, saddi jarl hánga val: byrgis nafni vann hafna húngri*, i. e. ubi conventus spiculorum (i. e acies) congrediebantur, dynasta saturavit accipitrem suspensorum (corvum): cognominis corvi (i. e. corvus) famem expulit (sedavit). Altera est, mutando *valt* in *valr*, *Hrana* in *hafna*, et *nafni* pro acc. pl. sumendo, loco *nafna* (ut *steini* acc. pl. pro *steina*, *halli* pro *halla*, in Grotticinii str. 4. 12), hoc ordine: *jarl saddi byrgis nafni, þars ofþing odda gengu saman; hánga valr vann hafna húngri*, i. e. dynasta saturavit corvi cognomines (i. c. corvos), ubi armatæ acies congrediebantur; suspensorum accipiter (corvus) famem sedavit. Quæ posterior ratio constructioni poeticæ et situi sententiarum intercalarium apprime convenit. Sed hæc tum demum placebunt, ubi constiterit, τὸ *byrgir* corvum esse. *d*) dura mihi videtur hæc phrasis: *sedja odda*, saturare enses, pro stragem edere, et quidem durior quam *gefa bcð broddi blóð at drekka* (*Goðrúnarhefna*, 44), quamvis hæc satis dura est; quæ phrasis evitatur mutationibus sub *c* propositis. *e*) *van*, *B*; notum est, *vinna einum*, alicui resistere; quanquam in hoc contextu insolentius est. *f*) *hængr*, 288, prave. *g*) sic conjeci; *hugða*, *B*, contra metrum; *huga*, 288, forte corruptum ex *hāga*. *h*) conjeci, vide et not. *c*; *valt*, *B*. *i*) i. c. lupi; conjeci *mörum* pro *mönnum*, *B*, quod metro adversatur. *k*) sic ego; *morð skýar*, *B*; *morðskigr*, 288; *morðský*, nubes pugnæ, clypeus, *hríð morðskýja*, procella clypeorum, pugna. *l*) sic conjeci pro *öld*, *B*, svadentibus et literis et syllabis metricis (harmonicis). *m*) conjeci pro *vann*, quod forte ex abbre-

ictum intentavit; eidem labium totumque penitus mentum a summo ad imum abscidit, ut pars

---

viatione ortum. *n*) *mörk*, h. l. terra, *mörk heiðins dóms*, terra paganismi, terra pagana, appellatur h. l. Norvegia.

ϑ) Constructio: *öld vill a*) *þat*, *meðan aldir menn byggja yngs b*) *kveðju*, *er æfi Hákonar veitti göglum e*) *glaum d*) *gnógt þat. Hykk láreiði e*) *lýða f*) *hverjum gram betri g*): *þvi* (*hann*) *lætr h*) *beita hykk i*) *bitrum brand k*) *at vildu l*) *landi*.

a) *vill*, cupit, optat, cum parum ad sensum h. l. sit accommodatum, malui substituere *veit*, cognoscit, novit, aut *man*, recordatur. *b*) hæc vox in metrum peccat, et mutanda haud dubie est in *yggs* ab *yggr*, nomen Odinis Si *kveðja* pro subst. verb. fem. accipitur, eadem significatione ac *mála*, *rúna*, quasi formato a subst. verb. masc. *kveði*, qui compellat, alloquitur, *Yggs kveðja* foret amasia Odinis, terra. Sin hæc acceptio vocis *kveðja* insolens imbrobatur, utraque vox, *menn* et *kveðja*, mutanda: *menn* in *man*, *kveðja*, v c. in *hríðar* (ɔ: pugnæ); tum construenda, *meðan aldir byggja Yggs man*, dum homines terram (i. e. Norvegiam) incolent, nam *Yggs man*, puella (amasia) Odinis, est terra; *hríðar* autem apte referri posset ad *göglum*, quod absolute poni pro ave carnivora, insolens est; sic quoque *hríðar gagl* accipiendum, Fms. 7, 41. *c*) vide, *b*. *d*) *glaumr*, lætitia, *veita glaum* (*hríðar*) *göglum*, avibus carnivoris lætitiam præbere, eas præda data exhilarare et saturare, bonum sensum et poetico usu loquendi congruentem reddit; sed *glaum* metro adversatur. Forte primitus scriptum fuerit *glaɔ Hakonar æfi*, alius autem exscriptor putaverit subaudiendum esse h. l. *um æfi Hakonar*, itaque dederit *glaɔ um H. æfi*, quas voces in *glaum* v. *glaum* serior librarius conjunxerit; illud autem *glaɔ* (*glø* v *glæ*) idem est ac *glý*, lætitia, atque adeo eodem significatu atque *glaumr*. *e*) sic dedi pro *lár eidi*, *B*; est poetica circumscriptio bellatoris (h. l. Hakonis dynastæ), sic, ut puto, resolvenda: *lýða* id. qu. *hlýða* (quod nonnullis locis occurrit), pluteus, locus tectus (dan. *Lude*), *lár lýða*, pluteus v. tectum marinum, navis, *reiðir lá-lýða* v. *láreiðir lýða* (quod secundum constructionem poeticam idem est, cum apposito cum supposito conjunctum notam genitivi amittere soleat) qui naves, classem instruit et adornat. *f*) vide *e*. *g*) malo *betra*. *h*) *læzt*, 288. *i*) voces *hykk bitrum* poni puto pro *höggbitrum*, ad ictum inferendum acuto. *k*) pro *brandi*. *l*) *villu*, 288.

abcisa in navem extemplo decideret, ad quem ictum, a Buio acceptum, huic dentes excussi sunt. Buius, accepto vulnere: hoc magis Danica femina, quæ Borgundarholmi est, inquit, abhorrebit, opinor, a nobis osculandis, si modo posthac unquam eo sumus redituri. Buius vicissim Thorkeli telum intentat; qui cum declinare ictum vellet, quod navis sangvine lubrica erat, delapsus in asserem scutarium[1], medio corpore ictum recipit, et a Buio in duas partes ad oram navis transverberatur. Atque extemplo post hæc Buius arcas suas, in quibus aurum servabatur, unam dextra, alteram sinistra tollit, deindeque utramque portans arcam ex ora navis se in mare præcipitavit, neutris postea, neque illo, neque arcis, ita ut animadverti posset, emergentibus. Sunt qui dicant, Buium, cum e navi, ut postea fecit, desulturus summam oram conscenderet, in hæc verba erupisse: e navi desilite, omnes Buiani! quibus dictis ex ora navis descendisse[2]. Interea

ι) Constructio: *hroptr a) hjaldrskýja b) lindz c) hrauð Dana skeiðar, en um a) náði nýjum d) val; þar e) var leiðángr f) fyrir landi.*

a) has voces, *hroptr um*, conjungit 288, qui dat *hoptum*. *b*) *B*, divisim, *hjaldr ský́a*. *c*) *lings*, 288. Accipio *lindz* pro genit. syncopato, *lindis* a collectivo *lindi*, n., tiliæ: *hjaldrskýja lindi*, tiliæ clypeorum, enses; itaque *hroptr hjaldrskýja lindz*, Odin ensium, prœliator h. l. dynasta. *d*) *nýum*, *B*; *mýum*, 288. *e*) cum emphasi dictum; solet tum vulgo adhiberi *þat*, quod forte h. l. restituendum, inprimis si voces, *fyrir landi*, conjunguntur cum *hrauð Dana skeiðar*. *f*) *leiðgángr*, 288, prave.

1) in textu *skjaldrinna*, quod profectum est ex *skjaldrimna*, acc. syncopatus pro *skjaldrimina* (quod habet R.), a *skjaldrim*, asser secundum longitudinem summæ tabulæ oræ navis, cui clypei inserebantur. An hinc hodie summa lateris navalis tabula vocatur *rimarborð*?

2) *B addit*: et sermo hominum est, neminem unum in acie piratarum Jomensium magis heroicam virtutem exhibuisse, quam

Sigvaldius (ut eo redeamus), non animum advertens, Buium in mare desiliisse, cum naves suas

Buium Crassum, qui tot homines in prœlio interfecisset, ut inire numerum nemo potuerit. Sic Tindus:

Consortes certaminis maritimi,
in Barbone constituti, agnovere
Buium, illum pugnæ concitorem,
e navis ora in mare descendentem.
Exercitus, ab austro qui advenerat,
magnum excitarat ensium strepitum,
in lato regno Hakonis. Buius,
annulis liberalis, naves vastaverat *α*.
Res admirandæ a liberali illo viro
gestæ sunt. Godmar, a loco prœlii
remotus, sensit cæsorum acervum
ab virorum imperatore (sibi) missum *β*.

Sic sinus maris appellatur. Jam multi ex Buianis cadunt, alii ex navibus in mare desiliunt, quorum singuli multos antea hostes prostraverant.

α) Constructio: *virðendr bruðar fángs a*), *á barða*, *kendu Búa*, *þá er Viðris veðr-magnandi b*) *rèðr c*) *gánga fyrir borð*. *Herr suðan d*) *gjörði mikinn hjörva hljóm e*) *at breiðu valdi Hákonar; baugz Baldr f*), *Búi røðr e*) *skeiðir g*).

a) sic conjeci, accipiens *fáng*, lucta, pro certamine, et *bruðar fáng* de certamine maritimo, pugna navali, nam *bruðr* (proprie *brunnr*, fons) in maris nominibus habet Edda Snorriana; *í bruðar fáng*, *B*, quæ lectio si retinetur, ordo est: *þá er virðendr kendu Búa*, *Viðris veðr-magnanda*, *at gánga fyrir borð á barða í bruðar fáng*, i. e. quando æstimatores agnoverunt (vel coegerunt) Buium, tempestatis Odinianæ concitatorem, ex ora navis suæ in amplexum (sinum) maris descendere. Sed in hac constructione offendit: 1) quod suppositum *virðendr* apposito careat; nam unum appositum, *Viðris veðr*, ad bina supposita, *virðendr* et *magnanda*, trahi, durius videtur; neque *virðendr* absolute pro viris poni solet, ut *virðar*. 2) quod complementum numeri (syllaba superflua, Edda *málfylling* vocat) in versu secundo antecedat literam dominam (*höfuðstaf*), quod solo hoc loco occurrit in hoc carmine, cujus decem strophæ servatæ sunt. *b*) *magnanda*, *B*, vide *a*. *c*) conjeci; *at*, *B*, vide *a*. *d*) sic ego; *sunnan*, *B*, id. *e*) *hljómr*,

a classe advertisset, Vagnem ac Buium inclamat, ut, velut ipse, fugam capesserent. Vagn autem ei respondit, hos versus pronuntians:

Sigvaldius nos ipsos
clavæ ictibus exposuit,
sceleratus vero homuncio
domum in Daniam ivit,
cogitans cito ruere
suæ in amasiæ amplexus;
Buius autem magna cum animi
fortitudine e lata ora descendit[1].

B; cum vero sic pereat consonantia syllabarum metricarum, putavi τὸ *r* in voce *hljómr* initium esse vocis sequentis, quæ aut incuria, aut quod legi a librario non potuerit, omissa sit; hanc ex contextu orationis aptissimam esse *røð*, quod *røð*, an *ruð*, an *ryð* scribas, haud multum interest; est forma imperfecti antiquissima, verbi *rýða* (alias *rjóða* et *hrjóða*) pro usitato *rauð*; eadem forma occurrit in Kormakssaga (ed. Havn. 1832), p. 214, ubi τὸ *ryðk*, contextu omnino postulante, imperfectum, *non*, ut putavit G. Pauli, præsens est. *f*) potest hæc appellatio sumi ut apostrophe ad lectorem; in versione ad Buium retuli; sed præfero prius. *g*) sic 288; *skerðr*, *B*, facili errore pro *skeiðr*.

β) Constructio: *undr er þreytt af þundi a*) *gulls b*). *Goðmarr c*), *fjarri d*) *hræum*, *kendi e*) *þann val*, *er gumna samnaðr f*) *sendi g*).

a) sic 288; *þrindi*, *B*, facili errore. *b*) sic 288; *gulli*, *B*, perp. *c*) sic scribendum puto; *Goðinar*, *B*; *gedinnar*, 288. Puto h. l. intelligi sinum *Storfjord*, qui partem meridianam efficit sinus *Jorgenfjord* in Sunnmæria. *d*) sic scribendum putavi; *firri*, *B*, eodem sensu. *e*) *bendir*, (nunc) monstrat, 288. *f*) conjeci; *safnaðar*, *B*; *safnanda*, 288. *g*) sic 288; *sendir*, mittit, *B*.

[1]) Constructio: *Sigvaldi hefir a*) *setta oss sjálfa und kylfo*, *en fárhugaðr b*) *fnauði c*) *fór heim d*) *til Danmarkar*, *hyggr e*) *fljótt at falla í faðm und f*)*-kono sinne*; *en Búi gekk með hugrekki g*) *fyrir et breiða borð*.

a) *svá*, sic, ita, *add. B.* *b*) sic et *R*; *fáhróðigr*, inglorius, *A.* *c*) *flæði*, fugit, *R*; *flýði*, id., *B.* *d*) sic in *A* ex correctione, pro *aptr*, ɔ: rediit. *e*) *hygzt*, eod. sensu, *B.* *f*) id. qu. *unn-*,

Interea Sigvaldius, qui in procella friguerat, ut calor ossibus rediret, ad remos se coripuisse, et alius quis ad clavum accessisse dicitur. Vagn, pronuntiatis his versibus, cum Sigvaldium vidisset, quem adhuc ad clavum sedere putaret, hastam in eum conjecit; at Sigvaldius ad remos accesserat, quare is, qui clavum tenebat, telum corpore recepit. Vagn, hastam manu emittens, Sigvaldium compellavit, eumque in malam rem abire jussit. Ut Sigvaldius discesserat, Thorkel Procerus, frater ejus, sex habens naves confestim abiit; idem fecit Sigurdus Kapa, postquam Buius frater ejus se e navi ejecerat, cujus reditus postea exspectari non posset. Hi utrique, Sigurdus ac Thorkel, suo se voto satisfecisse existimarunt, omnesque illi cursum continuarunt, donec in Daniam pervenerunt, quatuor et viginti naves abducentes. Ceteri vero omnes, qui ex reliquis navibus effugere potuerunt, celoce Vagnis conscensa, ibi se summa strenuitate defenderunt, eo usque donec tenebræ oboriebantur[1]; tum fi-

unnustu; *vin-*, amicæ, *F*; *nu* (forte pro *un*, *unn*) vel *aa* (ɔ: *á*), *B*; *avrr*, *R*, qui forte voluit *flótt-avrr*, ad fugam propensus. *g*) *hugreiði*, animo irato, v. alacri, *B*.

[1]) *B addit:* neque hoc vespere celocem Vagnis expugnare potuerunt. Vigfus Vigaglumi filius, cum celox Vagnis Akii filii oppugnabatur, hos versus cecinit:

Haud facile fuit, Vagnem
oppugnare, quo loco vidi
clypeos gladio sectos dissilire;
ensium procella acriter sonuit.
Acer fuit volatus hastarum
a Danis juvenibus emissarum,
quo loco, prœliator, ad navem
pugnam commissuri accessimus[α].

[α]) Conservavit hanc stropham Fagrskinna, cujus lectiones adducam, quarum ope certæ lectiones constitui poterunt. Constructio: *varð-at a*) *hægt, at leggja til Vagns, þar b*) *er ek c*) *sá hjör-*

nitum prœlium est, tumque magnus adhuc numerus hominum in celoce Vagnis in procinctu stabat. Sed cum Hakon dynasta suique tenebris intervenientibus impedirentur, quominus, qui in

---

klofnar d) *geitis* e) *hurðir rofna* f): *hjörva* g) *hregg* h) *saung hátt* i). *þröngvir* k) *Gunnar* l) *þunn-iss* m)! *darra* n) *flaug* o) *danskra drengja var straung, þar vèr gengum* p) *í* r) *böðs* s) *til knarrar* t).

a) sic dedi; *var þet*, Fagrsk., rectius una voce *varþet* i. e. *varþ-at*, nam hic Cod. pro *a* sæpius *e* scriberè amat; *varðar*, *B*, prave. b) *þá*, quum, Fagrsk. c) *er*, Fagrsk., sed ex var. *ec*. d) *hjor klofnar*, id., Fagrsk. e) *geitis hurð*, tabula reguli maritimi, clypeus; Edda msc., *Skjöld má kalla ... bálk eðr brik, hurð eðr gátt ... oc eigna ávallt Óðni eðr orrosto eðr sækonúngum. Galta*, Fagrsk., mendose et contra metrum; sed ex var. *giætti*, quod profectum puto ex *giætis* i. e. *gétis*. f) sic Fagrsk.; *hrorna*, debilitari, *B*, mendose (pro *hrovna*, *rovna*) et repugnante metro. g) *hogna*, Hognii, reguli maritimi, Fagrsk., eodem sensu. h) *hrægg*, id., Fagrsk. i) *het* (pro *hat*, *hot*), id, Fagrsk.; *hott*, id., ex var. k) sic conjeci; *þröngvar*, nom. et acc. pl. f. g. adjectivi *þröngr*, angustus, *B*, quod nusquam referri potest; *þröngrar*, gen. sing. f. g. ejusdem adjectivi, Fagrsk., quod secundum hujus Cod. lectiones, qui *gunni* habeat, nusquam potest referri; *þröngan*, altera recensio Fagrsk., eadem difficultate; quæ omnia deflexa putavi ex *þröngver*. *þr. Gunnar þunniss*, qui tenuem Gondulæ glaciem propellit, protendit, i. e. qui tenuem, acutum gladium vibrat, prœliator; est apostrophe ad auditorem. l) sic altera recensio Fagrsk., quam lectionem huic loco aptissimam duxi; *gunni*, Fagrsk.; *grimnar*, corrupte, *B*. m) *ís*, altera recensio Fagrsk.; *ise*, *B*, confuso nomine substantivo et præpositione *í*; *inn*, Fagrsk., quæ forte voluit *um*, ɔ: *þar gengo vèr um þunn borð til knarar at gunni*, ibi per tenues tabulas transiimus in navem, prœlium commissuri; de voce *þröngrar* non laborans. n) sic Fagrsk.; *dörrinn*, nom. sing. τοῦ *dörr*, hasta, *B*, prave. o) *flavg*, id., Fagrsk. p) *gengu*, Fagrsk.; solent veteres *m* in talibus, sequenti pronomine, apocopare. r) sic altera recensio Fagrskinnæ; *e*, *B*, arcte cum *ís*, vide *m*; *at*, Fagrsk., vide *m*. s) sic altera Fagrsk. recensio; *bauð*, id., *B*; *borð*, Fagrsk., vide *m*. t) sic et alt. rec. Fagrsk.; *knarar*, Fagrsk., eodem sensu.

vivis aut non desperatis essent, circumeundo naves perquirerent, custodibus per noctem dispositis caverunt, ne qui piratarum Jomensium ex navibus noctu elaberentur, eodemque consilio navibus omnia armamenta detraxerunt. Quo facto, Hakon dynasta ac sui ad terram remigant, [superinjectis clypeis[1] se tegunt, partaque eximia victoria triumphant. Deinde virtutem sororum, Thorgerdæ et Irpæ, experturi, globulos grandinis examinant; quam eximiam fuisse comperiunt: nam cum pondera per lancem et libram examinarent, unus aliquis globulus grandinis unciam pependisse dicitur. Post hæc vulnera hominum obligata; ipse Hakon dynasta et Gudbrandus Dalensis excubias per noctem agunt.

45. Jam ad Vagnem et Bjornem Britannicum redeundum. Hi inter se, quid capiendum consilii sit, communicant. Relinquitur, inquit Vagn, aut ut hic in navibus, donec dilucescat, maneamus, nosque hoc loco vivos capi sinamus, quæ indignissima est conditio, aut ut terram petamus, hostibusque quantum poterimus mali inferamus, deinque saluti fuga consulere conemur. Quo consilio ab omnibus probato, sumunt arborem navis [et antennam[2], et e navi descendunt, hocque usi vehiculo homines quot erant octoginta, lignis in tenebris feruntur, terram petituri; sed in scopulum quendam delati sunt, se terram continentem tenuisse opinati. Tum complures eorum lassitudine confecti erant, eoque loco eadem nocte decem ex sauciis mortem obierunt, reliquis septuaginta, quorum cum multi majorem in modum labore exhausti essent, prærepta ulteriori effugiendi facultate, noctem ibi transigunt. Dicunt, cum aufugerit Sigvaldius,

[1]) positis tentoriis, *F.* [2]) *add. B, R, F; omitt. A.*

procellam posuisse, cessavisse fulmina omniaque tonitrua, tempestatemque extitisse tranquillam ac frigidam. Idem cæli habitus per noctem, quam Vagniani in scopulo peragebant, ad claram usque lucem sequentis diei tenuit. Ferunt, appetente jam die milites dynastæ in vulneribus obligandis occupatos esse, atque per totam noctem occupatos fuisse, ex quo ad terram adpulissent; cujus rei hanc fuisse caussam, quod magnus hominum numerus saucius esset; et tamen nunc tandem rem profligatam habuisse. Qua mox absoluta audiunt stridorem nervi e navi crepantis. Mox e navi, qua vectus erat Buius, evolans sagitta alam Gudbrandi, dynastæ consanguinei, percussit, ut ei pluribus (sagittis) opus non esset, nam extemplo mortem oppetiit; in quo dynastæ omnesque præsentes maximum factum damnum esse existimabant; itaque funus ejus, prout eis visum esset, componere incipiunt; quid enim? Proditum memoriæ est, hominem aliquem ad introitum tabernaculi adstitisse. Cui Eirikus, tabernaculum ingrediens: qui hic stas, inquit, curve eo vultu es, ut si morti vicinus sis? an saucius es? Hic erat Thorleisus Skuma[1], qui respondit: haud scio, inquit, an me mucro Vagnis Akii filii heri nonnihil tetigerit, quando ei clava ictum intuli. Tum dynasta: adeo pater tuus, in remota illa terra degens, maligna utetur fortuna, inquit, si tibi jam moriendum erit. Quæ verba dynastæ audienti Einari Lancicrepo sequentes versus exciderunt:

Dynasta virum, navigandi peritum,
his allocutus est a meridiana parte
maris, quum vir ille liberalis
gladiorum vestigiis notatus esset:

---

[1]) Eirikus infit: perspicere possum, inquit, te morti vicinum esse, *add. F, B.*

Pater tuus, o æquoreorum
rector jumentorum, sane maligna
utetur fortuna, si, quod futurum
opinor, moriendum tibi erit.[1]

Atque brevi post Thorleivus Skuma exanimus collabitur.

46. Sequenti mane, ut primum diluxerat, dynasta ac sui ad explorandas naves profecti, veniunt in navem, quæ Buio fuerat, cummaxime scire cupientes, quis nocte præcedenti telum jaculatus fuisset, hunc hominem gravi dignum supplicio judicantes. Venientes in navem, ibi hominem quendam reperiunt, paulo plus quam animam ducentem, nimirum Havardum Hoggvandium, qui adsecla Buii fuerat; is tam graviter vulneratus erat, ut uterque pes infra genua abscissus esset. Accedunt ad eum Svein Hakonis filius et Thorkel Leira. Quos præsentes Havardus interrogat: quid, quæso, juvenes, inquit,

[1]) Constructio: *jarl kvaða) þat b) at unnvigs c) ærri d) fyrir sunnan haf, þá er sár e)-elda spor f) váro á seima g) særi h): valdr eybaugs i) viggja k), faðir þinn hefir l) haldit öllúngis m) illa, ef skalt n) deyja o), vèr p) hyggjom þat r).* Habet haec stropham Fagrskiona.

a) cvað, id., Fagrsk. *b) þet*, id., Fagrsk., vide strophæ proxime antecedentis not. *a*. *c)* pro *unnviggs*; *unvigs*, id., Fagrsk., ubi *n* et *g* erat duplicandum; *brenvigs*, corrupte, *B*. *d)* cum *r* duplici; *æri*, id., *R*; *œre*, Fagrsk., sed ex var. *orði*, prave; *væri*, *B*, perp. *e)* sic *R*, Fagrsk.; *sárr*, cum *r* duplici, *A*. *f)* sic *R*; *spör*, *B*; *spavr*, *F*, quæ duæ formæ idem valent ac *spor*; *spjör*, *A*: *spjorr*, Fagrsk., quas formas, inserto *i* damnare non audeo; alt. rec. Fagrsk. *spjöll*, ɔ: noxas (ensibus factas) i. e. vulnera, quod correctionem sapere videtur. *g) sæima*, id., Fagrsk. *h) sære*, id., Fagrsk. *i) Øybaugs*, id., Fagrsk. *k) viggjar*, sing., *B*, et alt. rec. Fagrsk.; *vigea* non duplicato *g*, Fagrsk. *l) hevir*, id., Fagrsk. *m) ollungis*, id., Fagrsk. n) *skal*, *R*, *F*; *þú skalt*, *B*. o) *dæyja*, id., Fagrsk. *p) víst*, certo, *B*, Fagrsk. *r) þet*, Fagrsk., vide not. *b*.

missus aliquis hinc ex nave ad vos præcedenti nocte in terram venit, an non? Venit vero, inquiunt, tunc ejus rei auctor fuisti? Non est cur infitier, me misisse, inquit, cecui autem noxæ fuit accidens sagitta? Illi: mortem obiit, cui accidit. Euge, inquit, cui vero telum accidit homini? Gudbrando Albo, inquiunt. Ille: adeo non dedit fortuna, quod optaram maxime, inquit, scilicet dynastam designaram; interim bene habet, quod percussus est aliquis, in quo damnum aliquod factum esse judicetis. Minime hæsitandum, inquit Thorkel Leira, interficiamus canem istum quam citissime; quo dicto eum gladio appetit; extemploque accurrunt alii, tela ei intentant, corpusque minutim concidunt, donec animam efflavit. Ex vivente adhuc de nomine quæsiverant, quibus ille vere, quis esset, dixerat. Inde, his confectis rebus, ad terram revecti, dynastæ demonstrant, quem interfecissent, hunc non mediocris esse immanitatis dicunt, idque solum ex verbis ejus se intellexisse affirmant, eum haud meliori esse ingenio. Post hæc cum homines valde multos in scopulo versantes animadvertissent, hos dynasta omnes comprehendi et ad se reduci jubet, jus vitæ eorum suo arbitrio se relicturum adserit. Itaque milites dynastæ, conscensa navi aliqua, ad scopulum remigant. Ex eis qui hic versabantur hominibus et pauci erant propter vulnera frigusque ad operam præstandam idonei, neque quisquam unus eorum se defendisse dicitur. Sic omnes a dynastæ emissariis comprehensi et in continentem ad dynastam reducti, omnino homines septuaginta. Jussu dynastæ Vagn ejusque socii in terram educti, manus post terga revincti, alterique juxta alteros uno fune sine ulla clementia colligati. Interea dynasta suique cibaria promunt, et discumbunt ad

vescendum; eodem enim die, qua hora visum esset commodissimum, hos omnes homines, piratas Jomenses, quibus jam manus injecerant, dynasta percutere securi cogitavit. Et antequam discumberetur, naves et bona piratarum Jomensium ad terram deportata, bona hastæ subjecta, eaque omnia unacum armis eorum inter Hakonem dynastam militesque suos divisa. Hi se eximia quovis respectu victoria potitos existimare, quod omnia hostium bona cepissent, piratas Jomenses partim comprehendissent, partim expulissent, maximam eorum partem sustulissent; seque gloriabundi magnopere jactabant. Ut milites dynastæ cibum sumserant, ex tabernaculis egressi eo se conferebant, quo loco vincti erant; et dicunt, Thorkeli Leiræ id negotii esse datum, ut eos omnes securi percuteret. Primo compellant piratas Jomenses, ac quærunt, an, qua prædicarentur, fortitudine essent. Piratæ autem Jomenses ad hæc nihil respondebant, quod quidem hoc loco memoratum sit.

47. Jam memoranda veniunt, quæ secundum hæc proxime acciderunt. Exsolvuntur fune aliquot viri, graviter sauciati, quos Skoptius[1] Karkus ceterique servi custodiverant, funem tenentes. Ut homines erant vinculo liberati, hoc servis curæ erat, ut virgas crinibus piratarum Jomensium implicarent. Qua re præparata producuntus tres[2] saucii; ad quos accedens Thorkel, capita singulis præcidit; quo facto socios allocutus quærit, an isto fungens negotio, quantum possent animadvertere, vultum commutasset: etenim vulgaris sermo est, inquit, omnes homines, quicunque tres homines, unum ex altero, securi percusserint, vultu animoque commutari. Cui Hakon dynasta: non quidem animadvertimus, te exsequendo hoc ne-

[1]) et, *add. F.* [2]) *add. B, F, R; omitt. A.*

gotio commoveri, verum tamen [visus mihi es vultum ante commutasse[1]. Mox quartus homo eductus e vinculis, virga crinibus implicata, eoque productus, quo loco Thorkel captivos feriebat; idem admodum saucius erat. Quo cum venisset, Thorkel, antequam ictum infligeret, eum allocutus interrogavit, quo mortem suam animo exciperet. Ille: ego vero bono animo mortem meam excipio, inquit, nam mihi idem, quod patri meo, accidet, ut moriturus sim. Quo dicto, Thorkel caput abscidit huic homini, qui hoc modo vitam finivit. Mox quintus vinculis exsolutus eodemque productus. Eo delatum Thorkel interrogat: ut tibi adridet[2] mors? Ille: tum ego oblitus essem legum piratarum Jomensium, si mortem timerem aut timide loquerer; semel cuique moriendum. Hunc Thorkel percutit. Exinde singulos, antequam interfecti essent, interrogare, eoque modo hos milites, an qua prædicarentur fortitudine essent, explorare statuerunt, tum se rem habere exploratam existimantes, si nemo ex eis verba loqueretur, timorem arguentia. Tum sextus homo productus cum virga crinibus implicata. Qui ab Thorkele eodem modo interrogatus, læto se animo honestam obire mortem fatetur: tu vero, Thorkel, cum dedecore vives, inquit. Percutitur. Eodem septimus producitur; qui a Thorkele more solito interrogatus: bono sane animo mortem exspecto, inquit; age vero, celeriter me percute; manu teneo cultrum, nam nos piratæ Jomenses sæpius ea de re inter nos collocuti sumus, ecquid sentiat homo celeriter percussus, capite abscisso; id autem signo

---

1) nobis videris vultu esse perquam commutato, *R*; mihi (quidem) videris vultu esse perq. commutato, quidquid tandem posthac eventurum sit, *F*. 2) Hic incipit lacuna unius folii in *A*; textus sequitur Cod. *R*, cum quo *B* et *F* fere verbo tenus concordant.

erit, si quid sensero, quod cultrum porrigam; alioquin decidet. Thorkel hominem percutit; absciso capite culter decidit. Productus octavus, et a Thorkele more solito interrogatus, bono se animo (mortem) excipere dixit; et, cum animadvertisset prope esse, ut ictus accideret: aries! exclamat. Thorkel, represso ictu, quærit, cur sic exclamaret. Ille: scilicet haud nimis multi admittuntur ovibus illis[1], quas vos, dynastæ milites, nominavistis heri, cum vulnera accipiebatis. Thorkel, scelestissime! inquiens, ictum ei vehementissime infligit. Tum nonus homo exsolvitur. Thorkel pro more interrogat. Ille: bono animo meam mortem exspecto, quemadmodum omnes commilitones mei, inquit; nolo vero me percuti pecudis instar, sed tu mihi coram considenti faciem feri, et diligenter observa, ecquid ad ictum conniveam, nos enim ea de re sæpe disputavimus. Sic factum: ille coram considet, Thorkel ex adverso accedit, et faciem adversam ferit, eo non connivente, nisi quod claudebantur oculi ingruente morte. Inde productus decimus, Thorkele etiam nunc interrogante. Ille: velim exspectes, inquit, dum braccas meas liberem (ventrem exonerem). Hoc tibi dabitur, ait Thorkel. Quo ille facto: multa, inquit, aliter eveniunt, quam opinatur homo; ego in lecto cum Thora Skagii filia, uxore dynastæ, accubare cogitaram; quæ dicens membrum concutit, deinque braccas colligit. Hic Hakon dynasta: tu hunc, qui diu mala animo agitaverit, quantocissime percute! Percutitur. Mox vir juvenis producitur, magna coma et bombycis instar flava. Thorkel solitam quæstionem proponit. Ille: ego jam florem ætatis delibavi; non ita pridem vitam

[1]) *ánna*] lusus verbi est; nam et est gen. plur. nominis *ær*, ovis femina, et interjectionis *á*, au!

amiserunt, quibus mihi supervivendum non existimem; nolo vero ab servis ad supplicium duci, sed ab eo, qui te non deterior vir sit, qui haud difficilis inventu est, opinor; hic comam a capite expeditam teneat, caputque raptim attrahat, ne coma sangvine madescat. Accedit aulicorum aliquis, comam colligit manuque circumplicat. Thorkel vero[1] gladium vibrat, ictum quam posset vehementissimum et celerrimum illaturus. Cum vero intentaret ictum, vir ille juvenis, audito stridore vibrati gladii, caput violenter retrahit, unde forte evenit, ut, qui comam tenuisset, ictum acciperet, aulicoque utraque manus, qua brachia cum lacertis junguntur, amputaretur. At vir ille juvenis exiliit, et rem in jocum vertens: cui, quæso, sunt brachia, inquit, crinibus meis inhærentia? Excepit Hacon dynasta et locutus est: gravia nunc incommoda impendent ab his hominibus, qui adhuc restant fune constricti; hunc, qui tantum nobis infortunii attulit, capite quam citissime et interficite; factuque optimum est, ut omnes reliqui quantocissime occidantur, hi enim homines multo sunt ad tractandum difficiliores, quam ut cavere nobis ab eis possimus, neque nimiis laudibus elata est eorum virtus ac fortitudo. Excipiens Eirikus patri suo respondit: scire volumus, pater, inquit, antequam omnes occisi fuerint, quinam quisque sit; aut quod tibi nomen, vir juvenis? inquit Eirikus. Ille: Svein nomine vocor, inquit. Eirikus: cujus filius es, Svein, et quo genere natus? Ille: pater meus vocatur Buius Crassus, filius Vesetii ex Borgundarholmo, atque sum genere Danus. Eirikus: quot annorum es? Ille: si hujus hiemis superstes fuero, annos duodeviginti complebo. At superstes eris, si meo liceat arbitratu, inquit

[1]) Hic iterum incipit *A*.

Eirikus, neque occideris. Itaque pace donatum in cohortem suam ad se suosque recipit. Quo viso, Hakon dynasta hunc in modum locutus est: nescio, inquit, quid agites, qui huic homini velis incolumitatem concedere, qui, quantam juvenis ille vir, maximi nobis mali auctor, contumeliam et ignominiam nobis attulerit; neque tamen convenire puto, ut hominem vi abs te repetam, quare res in præsenti tuo arbitratu fiat. Itaque voluntati Eiriki datum, ut res quo erat loco maneret. Verum Thorkeli Leiræ Hakon dynasta: age vero, homines celeriter occidere pergito. Eirikus interposuit: jam non ante occidentur, quam eos verbis compellavero, scire enim cupio, quinam quisque eorum sit.

48. Interea captivorum aliquis vinculis exsolvitur, cujus pedes fune nonnihil implicabantur, ut aliquantum impediti hærerent. Hic vir magna erat statura et pulcher, ætate juvenili eximiaque fortitudinis specie. Qui a Thorkele interrogatus, quo animo mortem exspectaret: bono equidem, inquit, si exsequi antea votum meum possem. Eirikus dynasta locutus est: quod tibi nomen, inquit, aut quodnam votum est a te factum, quod inprimis confieri cupias, antequam mortem obeas? Ille: nomen mihi est Vagn, inquit, et filius sum Akii Palnatokii filii de Fionia, sic traditum mihi est. Eirikus: quid voti est, quod fesisti, Vagn, quo ex sententia confecto et præstito mortem tibi exoptabilem ais? Votum feci, inquit Vagn, me, si in Norvegiam venissem, lectum Ingibjargæ, Thorkelis Leiræ filiæ, ipso omnibusque cognatis invitis, conscensurum, [ipsum vero interfecturum[1]; quæ si, antequam

[1]) sic *R*; omitt. *A*. Reliqua pars historiæ de piratis Jomensibus sumta est ex Cod. *F.*, cum una, quæ restat, pagina Cod. *A*, omnem pæne lectionem refugiat.

moriar, exsequi non potero, meis partibus multum defuisse mihi videor. Ego vero faciam, inquit Thorkel, ne tu ista vivens efficere possis. Accurrensque ad Vagnem, utraque manu ictum ei intentat; sed Bjorn Britannicus, nutritor Vagnis, eum pede magna vi impulsum ictu subtraxit. Nam Thorkel, vibrato supra Vagnem gladio, funem, quo Vagn vinctus erat, percussit eumque dissecuit; quæ res Vagnem sine vulnere vinculo expedivit. Interea Thorkel ad ictum ab homine aberrantem procubuit et collapsus est, gladio e manu ejus excusso. At Vagn, quem Bjorn pedibus tanta vi impulerat, ut collaberetur, haud diu stratus humi jacuit, sed confestim celeriter exsiliens, arrepto quo Thorkel usus erat gladio, Thorkelem extemplo plaga mortifera adficit. Nunc partem voti mei sum exsecutus, inquit Vagn, mihique ipse multo quam antea magis placeo. Hakon dynasta interlocutus est: facite, ne jam diu solutus tripudiet, atque eum primum omnium interficite, magnum enim nobis damnum attulit. Eirikus: haud prius interficietur, quam ego, meo si arbitratu liceat, nam eum supplicio liberabo. Cui Hakon dynasta: non est quod huic rei nostram sententiam amplius interponamus, siquidem solus vis, fili, tuo arbitrio decernere. Eirikus: sane dignus Vagn est, pater, qui concilietur, præclareque agi puto, si eum eisdem honoribus præficiamus eodemque quo Thorkelem fastigio collocemus. Exspectavit utique Thorkel, talem se vitæ exitum habiturum, nam evenit nunc, quod vulgo dici solet, divinationem esse sapientis conjecturam, cum præsentem ei mortem imminere e vultu ejus collegeris. Itaque Eirikus Vagnem in fidem suam ac potestatem recepit. Qui cum ab omni jam periculo tutus esset, sic loquitur: ea tantum lege

voluptatem mihi afferet incolumitas a te, Eirike, concessa, si omnibus, qui reliqui sunt, commilitonibus nostris concessa fuerit, alioquin omnes eandem (leti) viam calcabimus. Cui Eirikus: jam verba faciam cum his commilitonibus tuis, neque tamen omnino recuso ea facere, quæ postulasti. Itaque Eirikus eo se confert, quo loco Bjorn Britanniens erat, et ex eo quærit, qui sit, quodque ei nomen esset. Ille respondit, se Bjornem vocari dicens. Tunc ille Bjorn es, qui in aulam regis Sveinis regressus hominem strenuissime repetiisti? Nescio id quidem, ait Bjorn, an strenuissime repetierim, quanquam hominem inde reduxi. Eirikus: quid tu, grandæve, repetendum a nobis habuisti, qui huc profectus sis? aut quæ te res, hominem calvum et canum instar pulli lari argentati[1], ad hanc expeditionem impulit? et verum est, omnes aculeos nobis Norvegiæ incolis adversos fuisse, siquidem huc profecti estis, idque ii, qui præ senio decrepiti sunt, ut nobiscum pugnaretis; tu vero an vita donari a me cupis? inquit Eirikus, neque enim te, tanto natu hominem, idoneum existimo, qui ferrum recipias. Bjorn: cupio sane vita abs te, Eirike, donari, ea quidem conditione, ut Vagn, alumnus meus, omnesque nostri, qui superstites sunt, incolumitatem consequantur. Eirikus: hoc jam omnibus vobis concedetur, si meo arbitratu liceat, et utique nunc mea sententia valebit. Dein Eirikus adit[2] patrem suum, et ab eo petit, ut omnibus piratis Jomensibus, qui superstites sint, incolumitas concedatur. Dat ei hanc veniam dynasta. Itaque omnes piratæ Jomenses vinculis exsolvuntur, conceditur eis securitas, recipiuntur

[1]) *maskara*] *hnjóskara*, *B*; *snjóskara*, 288; utrumque partim prave, partim ex correctione pro *maskara* (i. e *máskára*). [2]) Hic explicit ultima pagina Cod. *A*.

in fidem. Dein ab Hakone dynasta et Eiriko constitutum est, ut Bjorn Britannicus se ad prædium, quod Halsteini Kellingarbanio fuerat, conferret. Præter Halsteinem quinque viri, præfectorum dignitate ornati, cecidisse dicuntur. Vagn Akii filius, jussu Eiriki, orientem versus in Vikam profectus est; quem digredientem Eirikus alloeutus, negotium de nuptiis cum Ingibjarga Thorkelis filia ex proprio arbitrio peragere jussit. Vagn, ut in Vikam pervenit, eodem statim vespere in lecto cum Ingibjarga, Thorkelis Leiræ filia, accubat, ibidemque loci hiemem transigit; vere proxime insequenti discedit, omniaque, quæ pollicitus Eiriko fuerat, cum fide præstitit; reversus in Daniam ad prædia sua in Fioniam concedit, quibus longo dein tempore præfuit, summaque virtutis gloria omnium judicio inclaruit; a quo complures amplissimi viri originem ducunt. Dicitur Vagn Ingibjargam secum domum reduxisse. Bjorn Britannicus domum in Britanniam rediit, eique regno, quoad vixit, præfuit, atque vir fortissimus habitus est[1].

49. Jam de Sigvaldio narrandum. Is, ut ex prœlio profugerat, ab itinere non prius destitit, quam domum in Daniam perveniret. Aderat domi Astrida, uxor sua, quæ venientes excepit, maritoque reduci convivium apparavit. Illi res in prœlio gestas totumque ordinem expeditionis, ex quo piratæ Jomenses domo e Dania profecti erant, exponunt, quarum rerum commemoratio magnam voluptatem audientibus præbuit. Ferunt, Astridam, quæ dynastam Sigvaldium omnium rerum apparatu quam studiosissime excipere vellet, et ostendere, quanto opere reditu mariti lætaretur, lavacrum ei parandum curasse. Dein

[1]) Inserit h. l. *F* aliquid de Sigmundo Bresteris filio, cujus mentionem cum Cod. *A* nunquam faciat, hæc hoc loco prætermissa sunt.

ambulare in balineum jusso: scio, dixisse, quæ est e Norvegia viæ longitudo, tempus esse, ut purgentur vulnera, quæ in prælio accepisti. Descendit in balineum Sigvaldius. Astrida nulli alii feminæ committendum putavit, ut ei in balineo ministraret; moxque locuta est: aliquos ex piratis Jomensibus huic prœlio interfuisse opinor, qui pellem inde magis pertusam, quam tu, retulerint; hæc enim tua mihi maxime videtur idonea, in qua farina triticea conservetur. Cui Sigvaldius: facile in vita mea accidere poterit, ut tali victoria gavisura non sis, inquit, quod si evenerit, ipsa videris, an sorte tua melius adquiescas. Qui plura ea vice collocuti non memorantur. Sigvaldius aliquantum inde temporis Selandiæ præfuit, vir summæ prudentiæ, sed homo occultus; de quo in aliis historiis multa memorabilia perhibentur[1]. Hakon dynasta brevi inde tempore Norvegiæ imperavit, qui unacum filiis suis ex his omnibus rebus summam gloriam consecutus esse existimatur. Hoc loco memoriæ non proditum est, quod vitæ studium Svein Buii filius secutus fuerit, utrum apud Eirikum versatus sit, an se quopiam alio contulerit. Sigurdus Kapa, frater Buii, in Daniam reversus, patrimonium a Vesetio relictum adiit in Borgundarholmo, cui longo tempore præfuit, magnaque virtutis fama inclaruit; ex hoc et Tova, quacum ex eo tempore amicissime vixit, multi nepotes descenderunt. Thorkel Procerus, frater Sigvaldii, vir sapientissimus habitus est, quod postea multis in rebus experientia probavit. Skjaldmeyar-Einar in Islandiam rediit, et in Breidafjordo aquis submersus est, quo in sinu ideo Skaleyæ appellantur, quod lances ei a dynasta

[1]) Ejus filius erat Gyrdus, insignis pirata, *add. B.*

datæ eo ejectæ sunt. Thordus Orvhanda domum in Dyrafjordum ad patrem Thorkelem, in Alvidra habitantem, reversus est; et hoc loco dicuntur Thorleivus Skuma et Thordus Orvhanda fratres fuisse. Thordus mortuo patre Alvidram incoluit; a quo multi homines in Fjordis Islandiæ occidentalis descendunt[1]. Hic atque Einar accuratissimam de his rebus relationem in Islandiam adtulerunt. Ea postea relatio obtinuit, Buium in serpentem conversum arcis suis auro repletis incubuisse. Nos autem hujus relationis eam rationem esse arbitramur, quod eo loco sinus Hjoungensis serpens conspectus fuerit; et fieri potest, ut aliqua mala natura his pecuniis incubuerit, eoque loco postea apparuerit. Quorum utrum revera sit, dicere non habemus, cum fierit possit, ut neutrum verum sit, nam talia multis modis apparere possunt[2].

50. Rex Svein Sömæsæ filius domi in Dania se continebat. Hujus filius Knutus adolevit, domi educatus; hunc Thorkel Procerus enutrivit. Rex Svein regnum regis Adalradi armis invasit, eumque regno ejectum meridiem versus trans mare fugere coegit. Rex Svein copias Thingamannorum duobus locis collocavit, alias in urbe Londinis, præfecto Eilivo Thorgilsis filio, fratre Ulvi, qui classem sexaginta navium in Tamesi habuit; aliæ Thingamannorum copiæ Slesvikæ erant in boreali regni parte, quibus præfuit Hemingus dynasta, Thorkelis Proceri frater; ibidem etiam sexaginta naves erant. Thingamanni legi-

[1]) Hoc loco *B* explicit, qui historiam his verbis claudit: Vigfus Vigalumi filius in Islandiam quoque rediit ibique primus omnium has res divulgavit. Hoc loco historia piratarum Jomensium clauditur. Deus eum, qui scripsit, quique ore præivit, omnesque qui aures adhibuerunt, custodiat in perpetuum. Amen. [2]) Hoc loco explicit *R*.

bus caverant, ne quis rumorem spargeret, neu ab oppido abnoctaret. In templo Buriensi, ubi sacra celebrare debebant, ingens fuit campana, quæ quavis nocte, cum tertia noctis pars superesset, pulsaretur; qua pulsata omnes templo adesse, sed inermes, tenebantur. Iisdem legibus, qui Slesvikæ erant, utebantur. Thordus et Ödun nomina fuere viris in exercitu (Thingamannorum) militantibus.

51. Præfectus urbis erat Alrekus Striona, frater Emmæ, filiæ Richardi dynastæ, patris Viljalmi; hanc rex Adalradus in matrimonio habuit. Boreali Angliæ parti præfuit Ulvkel Snillingus; is in matrimonio habuit Ulvildam, regis Adalradi filiam. Rex Svein in Anglia mortuus est; cujus funus a Danis in Daniam translatum et Roiskeldæ apud patrem sepultum. Tum Knutus decem annorum erat. Copiæ Thingamannorum multum auctoritate valebant. Eo loco nundinæ bis quotannis celebrabantur, unæ per mediam æstatem, alteræ circa mediam hiemem. Non alia magis opportuna occasio ad exstirpandas Thingamannorum copias Anglis visa, cum Knutus parvo natu, Svein mortuus esset. Quavis hieme sub festum jolense plaustra in urbem agebantur, mercibus onusta, quas in nundinis venales habere consuerant. Sic quoque hac hieme factum, sed omnibus plaustris obvelatis; quod consilio, dolo et voluntate Ulvkelis Snillingi et fratrum, Adalradi filiorum, factum. Septima festi jolensis die Thordus urbe egressus ad domum concubinæ suæ se contulit, quæ, ut noctem ibi transigeret, orabat. Cur ea petis, quæ impune concedi a me nequeant? Eam ob causam, inquit ea, quod multum interesse arbitror. Ita pactum inter nos conveniet, inquit ille, ut ego hic remaneam, tu

vero mihi indices, quid causæ sit, cur ista a me petas. Cur hæc rogem, inquit ea, hæc causa est, quod universis Thingamannorum copiis strui insidias scio. Qui noveris ista, inquit ille, quæ nos nesciamus? Illa: ita comparata res est, quod incolæ plaustra in urbem egerunt, simulantes mercibus onusta esse, cum singula plaustra magnum hominum numerum, sed nihil mercium vexerint. Idem Slesvikæ, in regni parte boreali, factum. Ubi tertia pars noctis præterierit, campana in urbe pulsabitur; quo signo dato milites se armabunt circa mediam noctem, tumque se homines in altera urbis parte comparabunt. Ubi vero tertia noctis pars superesit, campana templi Buriensis pulsabitur; tum, ubi vos inermes ad templum progressi fueritis, templum corona militum circumdabitur. Haud dubium est, inquit Thordus, quin multum gratia valeas; equidem hanc rem, etsi pro rumore habeatur, Eilivo indicabo; tu vero hoc prædium dono accipe. Thordus in urbem remeavit, Ödunem sodalem convenit, quo adsumto ad Eilivum pergit, eique rem indicat. Ille cetoros (de insidiis) certiores facit, aliis credentibus, aliis vanum esse terrorem jactantibus. Campanas pro more pulsari audiunt, multis a sacerdote pulsari credentibus. Quotquot verbis Thordi fidem adhibuissent, in armis progressi sunt, ceteri omnes inermes.

52. Ut in cœmeterium templi venerunt, in magnam militum multitudinem inciderunt. Armorum petendorum omnis facultas erat prærepta, quod nullus ad domos regressus patebat. Eilivo ceterorum consilium exquirente, illi se inopes esse consilii fatebantur. Haud consultum mihi videtur, ait Eilivus, ad templum confugere, si hæc ratio nihil ad salutem conferet, signaque timoris ostendere. Uan salutis via mihi suc-

currit, ut in humeros eorum, qui extra cœmeterium circumsistunt, incurrentes periculum faciamus hoc modo ad naves evadendi. Sic faciunt. Ad naves maxima strages edita. Eilivus cum tribus navibus effugit; Slesvika nullus, ibique Hemingus occubuit. Eilivus in Daniam rediit. Aliquanto post hæc Jatmundus rex Angliæ creatus; is novem menses rex erat, quo temporis spatio quinque prœlia adversus Knutum Sveinis filium commisit. Alrekus Striona, a quibusdam Eirikus appellatus, erat nutritor Jatmundi, fraterque Emmæ, quam Adalradus rex Anglorum in matrimonio habuerat. Thorkel Procerus tunc temporis summæ rerum in Dania præfuit. Hic et Eilivus vere, cædem Thingamannorum proxime subsequenti, conventum habuerunt. Hic Eilivo hortanti, ud ad ultionem persequendam (in Angliam) proficiscerentur, Thorkel respondit: regem habemus parvo natu, non vero expeditionem facere convenit, in qua nulla regis mentio fiat; sed tribus annis elapsis nec regi defore strenuitatem, et milites (Anglorum) imparatissimos fore spero. Cui Eilivus: haud est vero simile, qui nunc acceptæ cladis nullam rationem habeant, hos post elapsos tres annos ejusdem memoriam servaturos. Eilivus Constantinopolin profectus, cohorti Væringorum præfectus est, ibique tandem cecidit. Tribus elapsis annis, Knutus, Thorkel et Eirikus cum classe nongentarum et sexaginta navium in Angliam profecti sunt. Thorkel, triginta naves ducens, occiso Ulvkele Snillingo fratrem Hemingum ultus, Ulvildam, filiam regis Adalradi, quam in matrimonio habuerat Ulvkel, uxorem duxit. Propugnatores sexaginta navium unacum Ulvkele ad unum omnes ceciderunt, Knuto interea urbem Londinorum expugnante. Thorkel litora terræ prænavigans, in navem, qua

Emma regina vehebatur, incidit; hanc cum in terram secum ad Knutum abduxisset, hortatus est, ut eam sibi uxorem peteret, quo factum, ut rex Knutus eam secum matrimonio jungeret. Proxima hieme filium peperit, nomine Haraldum, ex Knuto nothum; horum (legitimus) filius erat Knutus Hordensis. Svein fuit filius Knuti et Alfivæ. Gunnildæ nomen erat filiæ Knuti; hanc uxorem duxit imperator Henrikus, Konradi filius, quocum Knutus iter Romam fecit. Longo post tempore rex Knutus, cum interesset convivio a Thorkele procero invitatus, Ulvilda forte conspecta, existimavit se a Thorkele permutatis uxoribus deceptum esse, eamque ob caussam Thorkelem dolo interficiendum curavit. Rex Knutus et Jatmundus aliquot inter se prœlia fecerunt. Post hæc utrisque, tam Danis quam Anglis, hortantibus, ut in gratiam redirent, pacem fecerunt his conditionibus, ut qui diutius vixisset, post alterius mortem regno potiretur. Uno post mense Jatmundus ab nutritore suo, Alreko Striona, interfectus est; quo facto Knutus tota Anglia potitus est, cui regno per annos quatuor et viginti imperavit.

ENCOMIUM IN PIRATAS JOMENSES
AUCTORE BJARNIO EPISCOPO[1].

1. Nullum invito fortem virum
ad meum carmen audiendum;
tamen optatam hominum laudem
condendis poematis assecutus sum.
Cerevisiam Odinis (nunc quoque)
apponere hominibus libet, etsi
nulli viri, amplis natalibus orti,
aures mihi canenti præbeant[2].
2. Acerbitas tristitiæ mihi
etiam nunc, ut aliis, accidit:
femina, pulcris manibus,
me dolore impedivit.
Utut est, tamen valde sum
condendi cupidus carminis.

---

[1]) Bjarnius, episcopus Orcadensium, communi annalium consensu obiit 1222. Oeconomia hujus carminis talis est. Est carmen encomiasticum intercalatum, cujus versus intercalares sunt hi quatuor: *Ein drepr fyrir mèr allri — ítrmanns konan teiti — Góð ætt of kemr grimmo — gæðings at mèr stríði.* Hi versus intercalares ita disponuntur, ut bini semistropham incipiant et claudant, strophæ intercalares post tres quosque versus repetantur. Metrum est species quædam metri collatati (*dróttkædt*), quam Clavis metrica appellat *munnvörp*, dum versus impares syllabis metricis carent, versus pares syllabas metricas impares habent, vide Eddam Snorrianam (ed. Rask. p. 257-8).

[2]) Constructio: *ek kveð auugan málma rýri at örum a) óði, þó gat ek um hugðan hróðr ferðar at hljóðs þerði b). Ek mun um fæ, fram Yggjar bjór c) fyrir öldum, þó at einigir ættgóðir ýtar hlýði d) mèr.*

a) accepi pro *orum*, nostro. *b*) hæc vox in *A* admodum detrita fuit; *B* h. l. habet *fnúði*, quod depravatum putavi ex primaria lectione *smíði*; *hljóðs smíði*, fabricatio carminis. *c*) i. e. carmen. *d*) *rekkar viðar*, add. *A* in margine, quæ voces ab hoc loco alienæ sunt.

Magnum in re amatoria
infortunium mihi accidit[1].
3. Ego juvenis amore mulieris
jam pridem captus fui, quem
meum adfectum tenera virgo,
auro gestato conspicua, aluit.
Pauca tamen carmina feci
de hac eximia mulsi ministra.
Bene me etiam nunc decet,
una de femina recitare carmen[2].
4. Non fui procul sub catarractis,
magicam artem nunquam exercui.
. . . .
alia multo plura
carmine persequi opus est.
Poeta de prœlii tumultu . . .
. . . . Hoc carmen historicum
coram hominibus recitamus[3].

---

1) Constructio: *úteitan sútar hendir mik enn, sem aðra: harðla a) fögur kona hefir bundit mèr harm á hendi. Ek em þó at hváru ærit gjarn at auka óð; ek em orðinn mjök úgæfr at mèr um för vifa b).*

a) Hæc vox, quæ vix legi in *A* potest, in metrum peccat; legendum puto *hand*, ɔ: *handfögr*, pulcris manibus prædita. *b*) *för vifa* id. qu. *kvennafar.*

2) *Dreng var dátt um svarra fyrir löngo; in a) únga dorgar vángs eldreið b) hefir haldit því ossu a) skapi. Þó hefi ek ort allfátt um ítra mjaðar þellu. Vel samir mèr enn (at) þylja um eina ölselju c).*

a) conjeci pro *oss um*, *A*. *b*) *dorg*, arundo piscatoria, *dorgar vángr*, campus arundinis piscatoriæ, mare, *dorgar vángs eldr*, ignis maris, aurum, cujus *reið*, femina. *c*) ɔ: Ingibjarga Thorkelis filia.

3) Constructio: *varkat ek firri a) und forsum b), ek för aldrei at göldrum . . . . c). Annat allstórum mun fleira þarf at yrkja . . . . . . c) greppr um óhljóð snertu. Berum þat sögukvæði upp fyrir ýta.*

a) vox detrita in *A*; *firir*, adfui, *B*. *b*) Significare videtur poeta, se amorem puellæ vi magica conciliare noluisse. Catarractæ

5. Pulcra, elegans femina, auro
ornata, me lætitia spoliat.
(Audivimus), quinque principes
olim in Jomio se continuisse.
Certe nobis bene convenit, fortium
virorum res gestas commemorare.
Adest opportunitas memorabiles
prœliatores carmine celebrandi[1].
6. Audivi, Haraldum ubique
ingentia prœlia commisisse;
hujus nati, pugnæ cupidissimi,
acutos gladios sangvine tinxerunt.
Eo loco deinde antiquæ religionis
cultoribus strepitum videre telorum
contigit. Eis opus esse visum est,
Vesetii heredes auxilio sublevare[2].
7. Illud commemorabo, qui alacrium
juvenum fortissimus fuerit. Ei,
ad omnia audacissimo,

---

mentio ad excubationes veneficorum spectat. c) Has lacunas abrupta membranæ particula reliquit. Sed octo illi versus, qui huic strophæ in textu adsignantur, non possunt meo judicio ad unam stropham pertinere, quod cuivis intuenti inde facile apparebit, quod versus quartus et quintus contra omnes regulas quadrantem strophæ efficiunt.

[1]) Constructio: *fögur (svinn a) seima guðr rænir mik flaumi b). [Vér frágu a) fimm höfðíngja c) sitja snemma at Jómi. Víst samir vel at telja vinnor d) hreystimanna; þar er at yrkja um merkiliga málmþíngs meiða.*

a) has voces conjeci; *....gu v, A.* *b*) similis ad amasiam digressio est str. 13. *c*) qui recensentur in str. 8. *d*) conjeci; *vinnar, A*, prave, conf. str. 10., ubi *öldar* pro *öldor.*

[2]) Constructio: *Ek frá Harald a) hvervitna heyja stóra bardaga; þeir böðgjarnastir niðjar ruðu bitra branda. Siðfornir knáttu sjá þar síðan glym járna. þeim þótti þörf at efla Veseta arfa b).*

a) nempe Strutharaldum, Selandiæ dynastam, patrem Sigvaldii et Thorkelis Proceri. *b*) ɔ: Buium et Sigurdum, Veseti filios.

victoria gloriari contigit.
Quisque vir, fortitudine præstans, filio
Akii, aeri prædito et bellicoso ingenio,
plerisque rebus aliquanto inferior fuit
in edendis virtutis speciminibus[1].

8. Sigvaldio nomen erat imperatori,
qui præfuit animosis copiis
aerium juvenum. Thorkel quoque
harum copiarum partem duxit.
Imperiosus Buius unacum Sigurdo
cuique prœlio interfuit. Certe
accepimus, Vagnem omnes
animositate longe antecelluisse[2].

9. Robusti cruentarum hastarum
rubefactores deinde Daniam
classe petebant; hi potentia
et magnificentia valebant.
Et bellicosissimi largitores
divitiarum parentalia patrum
suorum celebrarunt; complures
eorum occupari negotiis audivi[3].

---

[1]) Constructio: *geta skal hins, hverr var höfðíngi hvatra drengja; sá, snjallastr at gjörvöllu, gat at hrósa sigri. Hverr hreystimaðr var at flestu heldr hóti minni hauklyndum syni Áka a) í herðiraunum.*

a) i. e Vagne.

[2]) Constructio: *Sigvaldi hèt höfðíngi fyrir snjöllu liði snarfengra drengja; þorkell rèð þar ok þegnum a). Harðráðr Búi var með Sigurði at hverjum hjaldri; frágum vist, at Vagn væri enn mesti ofrhugi.*

a) Prætulerit quis: *Sigv hèt höfð. snarf. drengja; þork. rèð þar ok fyrir þegnum (með) snjöllu liði.* Sed alterum præfero propter versum 7.

[3]) Constructio: *Sterkir a) rjóðendr dreyrgra darra hèldu. síðan b) skipum til Danmarkar; þeim gafst rausn ok ríki. Ok ógnrakkastir c) auðbrotar drukku erfi feðra sinna; ek frá þeim ymsum d) aukast annir.*

a) *styrkir*, id., Fms. I, 161. *b*) sic Fms. l. c.; *sinum*, *A*,

10. Tum vero inprimis voluere
viri principes, uti eos decuit,
laudes ingentium facinorum (res
poetis memoranda!) affectare.
Atque se ad vota audacia
obligare cœperunt. Virorum
in convivio hilaritatem
non exiguam fuisse dico[1].

11. Audivi, bellicosum Sigvaldium
facere votum incepisse. Buius,
pelli nescius, ad idem edendum
specimen virtutis promtus fuit.
Graviter minabantur, se Hakonem
aut regno expulsuros, aut vita
spoliaturos. Atrox fuit
ira celebrium virorum[2].

12. Deinde animosus Buius
se paratissimum ostendit,
bellicosum Sigvaldium
durum in prœlium comitari.

---

contra metrum. *e*) *ógnrakkir þar*, bellicosi ibi (in Dania), Fms. *d*) *ymsar*, var. l. Fms., ɔ: *ek frá þeim aukast ymsar annir*, audivi, eos variis negotiis occupari.

[1]) Constructio: *en öldor a)-menn vildu þá, at skyldo, einkum leita [sèr ágæta b); slíkt eru yrkisefni. Ok gátu c) hefja haukligar d) heitstrengingar; [segik, at e) ölteiti ýta var eigi litil.*

a) conjeci; *öldar*, *A*, de quo vide ad str. 5. not *d*. *b*) *ágætis sins*, eod. sensu, Fms. I, 162. *c*) sic Fms. l. c.; *tóku*, *A*, contra metrum. *d*) *haukligaz*, audacissime, Fms. *e*) *frá ek orð*, Fms.

[2]) Constructio: *ek frá heiptmildan Sigvalda hefja heitstrenging; órækinn Búi var örr at efla a) slíkan þrek b). þeir hètuzt fikjom, reka Hákun af hauðri, eða ræna lifi; fjón c) frægra d) fyrða e) var grimm f).*

a) *auka*, augere, Fms. I, 163. *b*) *styr*, pugnam, Fms., minus apte. *c*) *fion*, *A*, quod ne *fion* pronunties, lex metrica vetat. *d*) *frœknra*, strenuorum, Fms. *e*) *furða*, id., Fms. *f*) *gram*, simili sensu, Fms.

Vir navigandi peritus sibi pugnæ
comitem delegit Havardum;
idem testatus est, Aslakum socium
expeditionis sibi minime displicere[1].

13. Fortis ille Vagn hæc locutus est:
dixit strenuus ille vir, Hamderis
velamine caput tectus, se Buio
prœliis adsveto opem laturum.
Tunc annulis conspicuus vir
voto se obstrinxit, fore ut
candida Thorkelis filia potiretur.
Me dolor periculosus incessit![2]

14. *(Una mihi illustris femina)*
Alacer, liberalis princeps naves
in mare protrudi jussit
(omnem lætitiam perimit).
(Amplis natalibus mulier mihi)
multitudo virorum, hastarum
strepitus perita, naves conscendit
(acrem doloris admovet facem)[3].

---

[1]) Constructio: *hugprúðr Búi lèzt síðan vera barr at fylgja böðmildum Sigvalda til harðrar hjörþrymu. Hranna brjótr kvaðst vilja hafa Hávarð at gunni, hann kvað sèr eigi líka illa Áslák í för.*

[2]) Constructio: *enn hrausti Vagn kvað hitt: så frækn Hamðis faldruðr a) lèzt skyldu atfylgja gunnar tömdum Búa. þá rèð hringa b) meiðr at strengja heit til hvítrar þorketils dóttur. Hættr harmr kemr at hendi mèr.*

a) sic conjeci; *faldr úðr, A*, sed apertum est *Hamðis faldr* esse galeam, et *ruðr* poni pro *runnr* (arbor), more poetis solito. *b*) *hriga, A;* sed vero est simile, aut in *A*, aut in autographo scriptum fuisse *g* nasale, ɔ: *ng*, una figura.

[3]) Constructio: *ein ítrmanns a) konan drepr fyrir mèr allri teiti, góð ætt b) gæðings of kemr at mèr grimmu stríði. Útrauðr, örr þengill bað ýta skeiðum á lög; Herr guma c), hinn er kunni gný darra, gekk a skip.*

a) sic dedi una voce; *ítr manns, A;* sed *ítrmaðr* dici potest, ut *ítrmenni*, et inde formatum *ítrmannligr*; forte et *kona* h. l.

15. Dicuntur viri illi conspicui
classe ab austro mare trajecisse;
ensium gestatores mari
frigido adspersi sunt.
Compacta navium latera fluctus
glaciales percutiebant. Procella
classiarios exercuit. Gelidæ undæ
tabulis navium increpitabant[1].

16. Dicuntur piratæ Jomenses,
rubros clypeos tentantes,
nocte jolensi classe advecti
ad Jadaris oram adpulisse.
Fuere viri perquam avidi
infestas populationes faciendi
Hi, gladios cruore rubefacientes,
vim Geirmundo intulerunt[2].

17. Tum dynastæ Norvegici
heroas, qui a meridie
advenerant, ad pugnam

---

non sit femina, sed cognata, respondens masc. *konr*, cognatus, et *itrmanns kona*, femina illustri loco nata. *b*) conjeci; *góðætt*, *A*; *góð ætt gæðings* idem est ac *itrmanns kona*, nam *ætt* de singulis personis dici, magis tritum est, quam ut exemplis egeat. *c*) *gmma*, *A*, forte *gumna*.

[1]) Constructio: *sagt var, at snyrtimenn hèldu skipastóli sunnan um hrannir; kaldr marr dreif á morðbáls meiða; heldir húfar lömðu isugar bárur; hrið kannaði lýði a); svalr sjór b) gnýði á sýjo.*

a) conjeci; *lýðr*, *A*, qualis vox versum metri collatati regularem claudere non potest. *b*) sic dedi, ut lex metri servaretur; *sjár*, id., *A*.

[2]) Constructio: [*sagt var, at a*) *Jómsvíkingar, reynendr rauðra randa, kvæmi b*) *flota sinum jólanótt at Jaðri. Fírar váru heldr gjarnir á harðan hernat; rjóðendr randorma c*) *buðu Geirmundi ríki.*

a) *segja*, dicunt, Fms. I, 166, subjecto *reynendr r. randa*, subint. *at*. *b*) sic Fms. l. c.; *komo*, *A*. *c*) sic Fms.; *randorm á*, *A*, prave.

aperte vicissim provocabant.
Ibi maximæ copiæ terrestres
exiguo temporis momento
convenisse repertæ sunt. Multi
pugnatores prœlio interfuerunt[1].

18. (*Una mihi illustris femina)*
Ignis, alno noxius, multis
insularum locis grassatus est
(*omnem lætitiam perimit*).
(*Amplis natalibus mulier mihi*)
Ædificia flammas, interrumpentes
securitatem hominum, vomebant
(*acrem doloris admovet facem*)[2].

19. Fert fama, ternos fortes
ductores cuique aciei
præfuisse (id quod populus
memoria repositum habet),
Ubi viri prœliatores inter se
occurrerunt in lato sinu
Hjörungorum. Is congressus
hominibus memorabilis est visus[3].

20. Audivi, Hakonem terram fortiter,
ut nihil supra fuerit, defendisse;

---

[1]) Constructio: *þeir, Noregs jarlar, buðu þá þeim greppum a), er komo b) sunnan, görla til geirhriðar, á móti. þar var mestr landherr fundinn saman c) á skömmu mæli; margr morðremmandi var at laufa leiki.*

a) *greipum*, Fms. I, 169. *b*) *kvæmi*, Fms. *c*) sic Fms. l. c.; omitt. hanc vocem *A.*

[2]) Constructionem versuum intercalarium vide str. 14. *Eldr, elri skæðr, gnauðaði viða um eyjar. Logi gaus upp úr húsum, sá rænti gumna griðum.*

[3]) Constructio: *ok menn heyra, at þrír hraustir höfðingjar væri a) með hvárum flokki (þjóð hefir þat at b) minnum), þar er hjálmaskóðs hreggviðir hittust á víðum c) Hjörúnga vági; sá fundr þótti fyrðum d) frægr.*

a) *voro*, Fms. I, 170. *b*) *í*, ibid. *c*) *á*, add. Fms. *d*) *fyrða*, virorum, Fms.

haud sane invitus fecit Eirikus,
ut acies gladiorum rubefaceret.
Perhibuerunt quoque viri,
Armodum ibi tertium
fuisse ducem; qui erga
milites hilarem se præbuit[1].

21. Fortes viri, ad iras incitati, inter
pugnandum clypeos conserebant.
Populus in terra a piratis
defendenda occupatus erat.
Et dicunt quinque viros cum
singulis piratis congressos
esse; quod quidem initio
certaminis animadverti non potuit[2].

22. *(Una mihi illustris femina)*
Strenue adremigaverunt
. . . .
(omnem lætitiam perimit).
(Amplis natalibus mulier mihi)
Tempestas telorum increbuit
. . . .
(acrem doloris admovet facem)[3].

---

1) Constructio: *ek frá Hákon verja hauðr hart, svá at eigi skorti. Eirikr hefir verit ótrauðr (at) rjóða eggjar; ok ýtar sögðu Ármóð vera þar hinn þriðja höfðingja; sá greppr var glaðr við gumna.*

2) Constructio: *heiptar hvattir herðimenn lögðu saman randir, þar er börðust; herr var at verja hauðr hundingja a). Ok fimm ýtar um b) váro á móti einum víking b), (menn) kveða þat; varð eigi árla raun at því c).*

a) dat. sing. ab *hundingi* h. l. = *hundingr*, pirata, hic collective de piratis Jomensibus; dicitur autem *at verja einum eitthvat*, aliquem aliqua re prohibere. *b*) sic conjeci, ita ut *um*, quoad sententiam, superfluum sit; *víkingum*, *A*, quod cum ceteris conciliare non possum. *c*) i. e primo tanta virtute restiterunt piratæ Jomenses, ut si nullum esset copiarum discrimen.

3) Constructionem versuum intercalarium vide str. 14. *Greiðu a) mikinn atróðr. Glygg eggja magnaðist b).*

23. Sigvaldius suam cohortem
pugnando acrem adversus
Hakonem fortiter procedere
jussit, pugnæ flagrans cupidine.
Prœlio promtus Haraldi filius
galeas et clypeos dissecuit,
et aliquoties ante vexilla
fortiter progressus est[1].

24. Animo acer Buius ibidem
in acie sua cum sociis fortiter
processit; dicunt homines
id sane exspectari potuisse.
Et prœliatores, qui validos
ictus inferebant, in prœlium
cum furore vadentes, immanem
armorum strepitum excitarunt[2].

25. Furens Buius Aurosus galeas
gladio dissecuit; idemque
ensem, anulatis noxium loricis,
in humeros descendere fecit.
Havardus virorum agmini
validos ictus inflixit;
haud dubie difficile fuit, cum
Aslako negotium habere[3].

---

a) sic leg. puto (=*greiddu*); *grimdu*, *A*, adversante metro. *b*) duo versus in membrana abrupti sunt.

[1]) Constructio: *Sigvaldi bað sína sóknstránga sveit gánga vel á móti Hákoni: hann varat samr á sáttir. Hildar örr Haralds arfi klauf hjálma ok skjöldu; hann a) gekk nákkvara sinnum hart a) fram fyrir hlífar.*

a) Cod. *A* situm verborum, *hann* et *hart*, prave permutavit. Versus sic corrigendi sunt: *fram gekk hart fyrir hlífar — hann nákkvara sinnum.*

[2]) Constructio: *fránlyndr Búi gekk þar hart fram með sveina í fólki sínu; (menn) kveða verða þess vissu vánir. Ok högg-um rammir geirviðir görðu grimma vápna brestu; þeir gengu geysta at gunni.*

[3]) Constructio: *[ólmr Gullbúi a) klauf hjálma með Yggjar*

26. (*Una mihi illustris femina*)
Procella telorum valde increpuit,
arcus sagittas nervo excutiebat
(*omnem lætitiam perimit*).
(*Amplis natalibus mulier mihi*)
Viri, prœlio fortissimi, sinus
amentorum manibus prehenderunt
(*acrem doloris admovet facem*)[1].

27. Audivi, milites se ibidem
armis defendisse. Vagn viros
prostravit, multorumque capita
perquam rubefacta dissecuit.
Immanis erat acutorum
gladiorum sonitus. Juvenes
sese egregie tuebantur; Akio natus
civit tumultum; sangvis in hastas decidit[2].

28. Vagn acri in pugna viris
impugnatu difficilis fuit
(milites cum forti ingentisque
animi viro impigre processere),
quando, quemadmodum fama
accepi, animosus Armodus
a potenti illo Akii filio
in pugna subito prostratus est[3].

---

eldi, hann lèt hringserkja böl gánga niðr í herðar. Hávarðr vann b) *at stæra hart högg liði fyrða; verit hefir fíkjum íllt* c) *at ega við Aslák* c).

a) *álmr gall, Búi*, Fms. 1, 171, ubi *almr* metro adversatur. b) *rèð*, id., Fms. c) *illr Aslákr*, eodem sensu, Fms.

1) Constructionem vers. interc. vide str. 14. *El stála gnúði mjök; álmr spann af sèr odda. þeir, gunnrakkastir gumnar, gripu í bug snærum.*

2) Constructio: *ek frá þegna verjast þar vápnum. Vagn feldi lið: hann klauf mörgum hundroðit berg breiðra brúna. Söngr snarpra sverða var grimmr; drengir burgust vel; arfþegi Áka vann ös; blóð fèll á kesjor.*

3) Constructio: *Vagn hefir orðit ýtum örfengr at strángri*

29. Exercitus augebat hastarum
crepitum. Audivi, viros ubique
a pugnatoribus, in prœlio
animosis, pulsos recessisse:
ante quam Hakon, in homines
crudelis, sacra inter pugnam
facere institueret. Sæva crudelitas
confestim ad effectum pervenit[1].

30. (*Una mihi illustris femina*)
Fera tumentia cadavera calcavit,
lupus ibi stabat, prædam devorans
(*omnem lætitiam perimit*).
(*Amplis natalibus mulier mihi*)
Inhiavit fera ossibus,
fames luporum sedata est
(*acrem doloris admovet facem*)[2].

31. Audivi, tunc malam illam
procellam, ab Holgii nata effectam,
sæviisse. Grando valde sæva,
a borea veniens, clypeos increpuit:
quando saxa nubium, vi
venti incitata, illisa sunt
acribus virorum oculis. Ideo
vulnera stridorem edebant[3].

---

böð (drengir gengu vel fram með fræknum fullhuga), þar er a) ek frá, at hann, hinn ríki Áka sunr, hlæði brátt hugfullum Ármóði í Yggjar eli.

a) *þars*, id., Fms. 1, 172.

[1]) Constructio: *herr æxti darra gný. Ek frá hölda hrökva hvervitna fyrir gunnar rekkum a) hjörva hreggviðum, áðr Hákon, grimmr ýtum, tæki at blóta í örva drífu; hin harða heipt kom þegar b) fram.*

a) sic Fms. 1, 174; *rökkum*, id., *A*, plena consonantia. b) *syni*, Fms., ɔ: *at blóta syni*, filium immolare.

[2]) Constructionem versuum interc. vide str. 14. *Ylgr gekk á bólginn ná; úlfr stóð þar í átu. Vargr gein um sal mergjar. Gráðr gyldis jóða þvarr.*

[3]) Constructio: *ek frá þá hit illa el Hölgubrúðar a) æða b)*

32. Hic animus dynastæ, cujus
virtus languerat, plus justo
labefactatus est; arbitror,
eum classem suam abduxisse.
Sigvaldius vela ad apices malorum
raptim tolli jussit, frigido spirante
vento; sæva procella proris insonuit;
secundus ventus velis inspiravit[1].

33. Hic Vigfus, gloriæ cupidus,
effecit, ut Aslakus ad orcum
iret; non opus est eam rerum
gestarum particulam describere.
Thorleivus, validos inferens ictus,
crassas pedum tibias Havardi,
viribus ferocis, clava diffregit,
vehementer (in pugna) sæviens[2].

---

or norðri; harða grimt hagl glumði á hlífum c): þar er d) skýja grjóti e), keyrðu hreggi, barði i ormfrán augu ýtum; þi knátti f) ben blása.

a) sic Fms. 1, 175; *H.-brúði, A.* *b*) *æðast,* id., Fms. *c*) *hjálmum,* galeas, Fms. *d*) *þars,* id., Fms. *e*) saxa nubium i. e. grando. *f*) *náði,* id., Fms.

[1]) Constructio: *þar a) var þrekförluðum jarli þörfum meiri hugraun; ek hygg b), at hann hèldi braut flota sínum. Sigvaldi bað snara segl við húna í c) köldum d) byr; hörð e) hríð gnúði f) á hlýrum g); byrr h) fèll í váðir i).*

a) *þá,* tum, Fms. 1, 176. *b*) *frá,* audivi, Fms. *c*) omitt. Fms. *d*) *köldu* ɔ: *(hin) byrköldu segl,* vela vento frigida, Fms. *e*) *hrönn,* unda, Fms. *f*) *glumdi,* id., Fms. *g*) *höfum(=húfum),* navium lateribus, Fms. *h*) *bug,* sinus (velorum), Fms. *i*) conjeci; *váða,* Fms.; *viðir, A.*

[2]) Constructio: *þar lèt vegrækinn Vigfús helfarar verða veittar Ásláki; era þörf at inna a) þann þátt. Höggramr þorleifr of vann brotit þrekstærðum Hávarði þjökva b) leggi með kylfu; hann lèt c) hart.*

a) *segja,* Fms. 1, 177. *b*) *þykkva,* id., Fms. *c*) *vá,* (vehementum) ictum inferens, Fms.

34. (*Una mihi illustris femina*)
Æstus exanima virorum corpora
per freta ad insulas pertraxit
(*omnem lætitiam perimit*).
Amplis natalibus mulier mihi)
Bellator, prœlium ciens,
famem luporum compescuit
(*acrem doloris admovet facem*)[1].

35. Prœliator præcepit, ut omnes
Buii socii e navi in mare
descenderent. Audivi, Vagnianos
se antea armis defendisse.
Atque fortis pugnator
in mare haud invitus
descendit, graves portans arcas;
is pecunias aliis invidit[2].

36. Terribilis bellator e navi
descendit; is, fortis ille
Buius Aurosus, e navis
lateribus arcas extulit.
Et viris imperterritis
exinde sæpius eo loco
longum serpentem, annulis
incubantem, videre licet[3].

37. Audivi, Vagnem cum suis
celocem egregie defendisse;
tum omnes aliæ tenues naves eorum

---

[1]) Constructionem vers. interc. vide str. 14. *Straumr dró andat fólk út um eyjar at sundi. Miklandi geira gný brá föstu gifrs hesta.*

[2]) Constructio: *böðsvellandi bað, at allir Búa þegnar skyldi fyrir borð; ek frá Vagns lið áðr verjast vápnum. Ok hraustr hjörva hreggboði réði útrauðr á kaf með þúngar kistur; sá var illr af aurum.*

[3]) Constructio: *ygr yggjar eldbroti vann at stíga fyrir borð; hann, hraustr Gullbúi, bar kistur út af húfum. Ok úblauðir lýðir knegu optliga síðan eptir líta þar lángan orm á hríngum.*

defensoribus penitus nudatæ erant.
Milites dynastæ in hanc navem
transcendere non potuerunt;
illi enim amicos Eiriki
e navi aversos repulerunt[1].

38. Eximia cohors Vagnem fortiter
comitata est. Solæ tres decuriæ
juvenum excellentium ibi superstites
erant, cum milites, animositate
insignes, a prœlio destiterunt.
Audivi, nullos omnino
alios pari numero
ita se tutatos fuisse[2].

39. Vir fortis, Danos hostes secum
abducens, in terram egressus est.
Audivi, gladios sangvine rubuisse;
mortui milites in navibus jacuere.
Vagn suis in fuga nihil
præsidii esse significavit;
hi itaque concordibus animis
per noctem uno loco considebant[3].

---

[1]) Constructio: *ek frá, at Vagn verði skeið valt a) með sína þegna; þá váro hroðin öll önnur þunn skip þeirra. Öðlings b) menn c) náðu d) eigi e) at gánga þar upp; þeir rèðu f) keyra Eiríks vini g) öfga h) ofan.*

a) víst, certo, Fms. 1, 179. *b) þengils*, id., Fms. c) *maðr*, Fms d) *náði*, Fms. e) *þeygi*, id., Fms. *f) at*, add. Fms. *g) menn*, milites, comites, Fms. *h) ygja*, terribiles v. terribiliter, Fms.

[2]) Constructio: *væn sveit fylgði Vagni vel: einir þrír tigir úngra snyrti drengja stóðu þar upp eptir, áðr hugum stráng-ir drengmenn lètti darra dyn; ek frá alls önga aðra jafn-marga burgust svá.*

[3]) Constructio: *drengr rèð at gánga á land með danska dólga; ek frá dörr roðinn í dreyra; dauðr herr lá á skeiðum. Vagn kvað eigi ýtum ráð at skunda undan; þeir görðu sitja sáttir saman á einni nóttu.*

Ibi Eirikus octodecim
viris illico vitam ademit;
audivimus, copias Vagnis
tunc admodum deminutas esse.
Fortes heroes animose dicta
locuti sunt inter viros (quod
ingentis animi signum fuit),
quæ dicta homines memoria colunt[1].
Atque Thorkel Leira
securim gestans processit,
cum liberalis ille vir de femina
verba amatoria loqueretur.
Ille ictum intentavit
animoso Akii filio,
sed prior ei necem attulit
Vagn, in ultionem pronus[2].
Prudentia insignis vir
Vagnem his compellavit:
an vis, bellicose vir,
vitæ tibi gratia fiat?
Respondit dynastæ prœliator
juvenis: nolo mihi vitæ fieri
gratiam, nisi votum, cui me
obstrinxi, exsecutus fuero[3].
Perquam liberalis Eirikus

---

[1]) Constructio: *Eiríkr lèt þar átján þegna þegar týna öndu: frágum lið þverra þá heldr fyrir Vagni. Hraustar hetjur mæltu þróttar orð með fyrðum, þau þjóðir hafa uppi: þat var fikjum haukligt.* Fms. 1, 180.

[2]) Constructio: *ok þorketill Leira fór med fjörnis fálu, þá er menbroti mælti mansaung um Gná hrínga. Hann gerðist at höggva hauklyndan son Áka; heiptörr Vagn gat heldr vegit at honum furri.* Fms. 1, 181.

[3]) Constructio: *hyggju gegn hrínga hreytir kvað at Vagni: Yggjar èlsvellandi, viltu of þiggja yðvart lif? Úngr egghriðar ullr kvað svá at jarli: ek mun eigi þiggja fjör, nema (ek) efna heit þat, er (ek) nam strengja.* Fms. 1, 181-2.

duodecim viris cum Vagne
vitam et fortunas concessit;
id valde collaudant homines[1].
Tum prœliator, generosa
indole præditus, svadentibus
multis hominibus, præclaram
Ingibjargam uxorem duxit[2].

---

1) Constructio: *stórum örr Eiríkr lèt gefit grið ok aura tólf þegnum með Vagni; þjóðir leyfa þat mjök.* Fms 1, 182.

2) Constructio: *örlyndr ullr randa þrymu gekk þá at eiga mæta Ingibjörgu; margir menn fýstu þess.* Fms. 1, 183.

HIC INCIPIT HISTORIA KNUTIDARUM.

1. **Haraldus** Gormi filius in Dania rex creatus est post patrem suum. Fuit rex potens et valde bellicosus: Holsatiam in Saxonia suæ ditionis fecit, atque etiam amplam dynastiam in Vindlandia habuit: hoc loco castellum Jomense exstruendum curavit, ubi magnum præsidium collocavit, his stipendium et jura constituit, illi vero regionem sub imperium ejus redegerunt, [per æstates in piratica excubabant[1], per hiemes [domi se continebant[1]; hi piratæ Jomenses appellati sunt. Rex Haraldus Gormi filius auctor erat insidiarum ac necis regis Haraldi Gunnildæ filii, Norvegiæ regis, quando Halsi ad Limafjordum[2] (sinum brachiatum) cecidit, quemadmodum scriptum est in vitis regum Norvegicorum. Postea vero rex Haraldus, trajecto in Norvegiam exercitu, totum regnum in potestatem suam redegit, eique præfectum imposuit dynastam Hakonem Sigurdi filium; universi regni tributa regi Danorum cedebant. Imperante rege Haraldo Gormi filio, imperator Saxoniæ fuit Otto Rufus; hic bellum regi Danorum intulit, et Danis religionem christianam imperavit; cui rex Danorum, ab amplectenda religione christiana penitus ab-

[1]) omitt. *V.* [2]) *A* pro *Limafjörðr* ubique perperam habet *Linnafjörðr*.

horrens, exercitu evocato restitit. Rex Haraldus Gormi filius magnum cum imperatore Ottone prœlium commisit in meridiana regni parte, juxta munimentum Danorum; tum Hakon dynasta ex Norvegia castra regis Danornm secutus est. Hinc quidem imperator prœlio inferior discessit, post vero aliquanto regnum sibi subjecit, atque regem Haraldum Hakonemque dynastam, in fugam conjectos, ad Limafjordum et in Marseyam usque repulit. Post hæc rex Haraldus religionem christianam amplexus est; imperator autem Sveini, filio ejus, patrini officium præstitit, eique nomen suum dedit, quod et ei in baptismo inditum est, ut Otto-Svein nominaretur. Neque prius imperator discessit, quam tota Dania christiana facta esset.

Cædes Styrbjornis robusti.

2. Imperante rege Haraldo Gormi filio, Styrbjorn Robustus regiones orientales (mari Balthico adjacentes) piratica infestavit. Erat Styrbjorn filius Olavi, filii Bjornis, Svionum regis. Is in Daniam cum exercitu profectus, ea usus est fortuna, ut regem Haraldum vivum capere potuerit; tum ei Haraldus Thyriam, filiam suam, nuptum dedit, ipseque Styrbjornem in Sveciam proficiscentem comitatus est. Styrbjorn, antequam escensionem faceret, omnes naves suas incendit; rex autem Haraldus, ubi comperit, carere navibus Styrbjornem, educit e Lacu (Mælare) naves suas, et discedit, atque in Daniam revertitur. Styrbjorn cum patruo suo, Eiriko Victorioso, Svionum rege, in campis Fyrensibus conflixit, ibique cum plurima suorum parte occubuit, quibusdam fuga elabentibus; quam Sviones fugam Fyrensem appellant.

De expeditione regis Haraldi.

3. Quum rex Haraldus Gormi filius, ut

ante dictum est, baptismum suscepisset, Hakonem dynastam [Sigurdi filium[1] ad amplectendam religionem christianam coegit; itaque hic cum omnibus, qui tum cum eo versabantur, Norvegis baptizatus est. Ei rex Haraldus sacerdotes aliosque clerici ordinis dedit, jubens curare, ut universus Norvegiæ populus baptizaretur, quod Hakon dynasta curaturum se interposito jurejurando spopondit. Ut vero rex ac dynasta digressi erant, Hakon in Norvegiam rediens viros sacri ordinis Halsi ad Limafjordum exposuit, ipse christianæ religioni renuntiavit, cultumque idolorum deinceps in Norvegia quam studiosissime instauravit[2]. Rex Haraldus, cognito, Hakonem dynastam religionem christianam rejecisse, insuperque, agrum Danicum armis infestasse, trajecto in Norvegiam exercitu, omnes regiones mari adjacentes tam effuse vastavit, ut omnia prædia inter Lidandisnesum et Stadum, præter quinque sita in Lœradalo Sognii, flammis absumta essent, omnibus incolis, quibus evadendi facultas data, in montana sylvasque profugientibus omniaque mobilia secum auferentibus. Rex Haraldus aliquantum temporis cum classe sua ad Solundas stetit, copiasque, quas tum secum habebat, trajicere in Islandiam populandi causa statuit, Islandos ulturus, quod carmen in se probrosum composuissent, itaque famam suam laceravissent. Rex Haraldus hominem quendam, magicæ artis peritum, aliena indutum forma in Islandiam permeare jussit, facereque periculum, ecquid inde novi posset regi afferre. Is ceti specie adsumta insulam circumivit, quo facto regi renuntiavit, insulam multis naturis immanibus magiæque peritis incoli: tantum eam inter ac ceteras terras pelagus intercedere, ut longis navibus esset

[1]) victoriosi, *V.* [2]) Hic ingens lacuna incipit in *M.*

omnino impervium. Quo animum adverso rex Haraldus intelligere sibi visus est, hanc rem, summo periculo et alea plenam, perfici nullo modo posse. Post hanc populationem, quam Haraldus Gormi filius in Norvegia fecerat, cum copiis in Daniam reversus est. Hakon dynasta omnia loca devastata ædificiis restauranda curavit, nec ulla ab eo tempore tributa regi Danorum pependit.

Obitus regis Haraldi.

4. Svein, filius regis Haraldi Gormidæ, regni partem a patre suo, rege Haraldo, postulavit; cui rex Haraldus, qui eum parum diligeret, quod erat e concubina natus, nullam voluit provinciam administrandam tradere. Ut vero Svein ad maturam pervenit ætatem, naves sibi et copias comparavit, populationesque tam extra, quam intra regnum facere instituit. Quam ob causam ei iratus rex Haraldus copias adversus eum contrahebat. Tum Sveini auxilio venerat Palnatokius, nutritor suus, uti in historia piratarum Jomensium commemoratum est; hi ad Selandiam accesserunt et Isafjordum intrarunt, quo loco rex Haraldus cum classe sua stabat. Svein extemplo eum adortus est; fit ingens pugna. Sed tanta militum multitudo ad regem Haraldum confluebat, ut Svein numero copiarum superatus fugere cogeretur. In eo prœlio rex Haraldus mortiferam plagam accepit, sagitta ad necem ictus, princepsque regum Danorum in humo consecrata sepultus est. Tum octoginta annos rex fuerat, triginta vivo patre Gormo, post eum quinquaginta.

De rege Sveine.

5. Svein, mortuo rege Haraldo, patre suo, regiam dignitatem in Dania accepit; is appellatus est Svein Furcobarbus, fuitque rex potens. Eo

imperante Sigvaldius dynasta ceterique piratæ Jomenses, in Norvegiam profecti, cum Hakone dynasta conflixerunt in sinu Hjorungensi in Mæria, in quo prœlio Buius Crassus cecidit, Sigvaldius dynasta effugit. Post hæc regnum Norvegiæ imperio Daniæ regum se subtraxit, pauloque post Olavus Tryggvii filius in Norvegiam venit, et sceptra capessivit. Rex Svein Gunnildam, Burizlavi Vendorum regis filiam, in matrimonio habuit; horum filii fuere Knutus et Haraldus. Postea rex Svein uxorem duxit Sigridam Facinorosam, filiam Skogulæ-Tostii, matrem Olavi Svionum regis; quam antea in matrimonio habuerat Eirikus Victoriosus Svionum rex. Filia regis Sveinis et Sigridæ fuit Astrida, quam duxit Ulvus dynasta, filius Thorgilsis Sprakaleggi; horum filii Svein ac Bjorn. Altera filia regis Sveinis Furcobarbi erat Gyda, quam duxit Eirikus Hakonis filius, Norvegiæ dynasta; ex his natus Hakon dynasta, qui ab Olavo Sancto captus est in freto Saudungensi. Rex Svein Furcobarbus Olavo Sveco, privigno suo, generoque Eiriko dynastæ operam suam contulit ad dejiciendum regem Olavum Tryggvii filium. Hi tres, facto ad Svoldram prœlio, post casum regis Olavi Tryggvii filii Norvegia potiti sunt, cujus unum trientem Svein Danorum rex, alterum Olavus rex Svionum, tertium Eirikus dynasta nactus est.

Jatmundus Sanctus regem Sveinem exstinxit.

6. Rex Svein ingens erat bellator rexque potentissimus: multis locis, tam per regiones Orientales, quam meridiem versus per Saxoniam, arma circumtulit; postremo copias suas in Angliam transduxit, ubi multis locis populationes fecit, multa prœlia commisit. Ei regno id temporis imperavit rex Adalradus Jatgeiris filius.

Hic et rex Svein multa inter se prœlia commiserunt, vario marte. Rex Svein maximam Angliæ partem subegit, multasque hiemes in Anglia versatus est, multa terræ loca vastavit et inflammavit. Quam ob caussam (Angli) eum hostem Anglorum appellarunt. Hoc bello rex Adalradus a rege Sveine pulsus e regno profugit; rex autem Svein nocte quadam in lecto suo subita morte exstinctus est, et dicunt Angli, eum a rege Jatmundo Sancto eodem modo, quo a Sancto Mercurio Julianum apostatam, interfectum esse.

De copiis Thingamannorum.

7. Mortuo rege Sveine principes Danorum partem Angliæ armis subactam sub sua potestate retinuerunt. Ita denuo recruduere prœlia; nam extemplo post mortem regis Sveinis rex Adalradus in patriam reversus, auxilio Olavi Sancti adjutus, regnum suum recuperavit, quemadmodum in hujus historia commemoratum est secundum verba poetæ Ottaris Nigri, quæ sic se habent:

In terram, imperator, venisti,
et Adalradum in regnum restituisti;
virorum amicus, potentia auctus,
tua ope ad eam rem sublevatus est.
Durus erat conflictus, quo
nepotem Jatmundi pacato
regno reddidisti; huic terræ
(avita) proles antea imperaverat[1].

Eo tempore Dani copias Thingamannorum in

[1]) Constructio: *láðvörðr a)*, *komtu í land*, *ok lendir Aðalráði; rekka rúni b)*, *efldr ríki*, *naut þín at slíku. Harðr var sá fundr*, *er førðut niðja c) Jatmundar d) á vit friðlands; ættstuðill e) rêð þar grundu áðan.* Fms. 4, 50.

a) *láðvörð*, *A; lávörðr*, *V*, contra metrum. *b*) i. e. Adalradus rex. *c*) *niðra*, *A.* *d*) i. e. Adalradum. *e*) *eðstuðill*, *A; ætskuðill*, prave, *V.*

Anglia instituerunt, qui milites erant mercenarii summaque fortitudiue insignes; hi pro Danis prœlia cum Anglis plerumque conseruerunt.

Rex Knutus Angliam subegit.

8. Knutus, filius regis Sveinis Furcobarbi, erat annorum decem, cum pater ejus decessit, quo mortuo in Dania totius Danici imperii rex, quod Haraldus frater ejus mortuus erat, creatus est. Principes Danorum, qui in Anglia versantes regni partem a rege Sveine subactam in potestate tenebant, in Daniam miserunt, ut rex Knutus copias Danorum occidentem versus in Angliam ad opem ipsis ferendam trajiceret. Quoniam vero rex Knutus eo tempore puerili ætate, ducendique exercitus imperitus erat, amici ejus hortabantur, ut copias præfectis constitutis in Angliam mitteret: ipse, dum non magis adolevisset, ne proficisceretur. Sic factum, ut rex tres hiemes, ex quo sceptra regni capessiverat, in Dania se contineret; quo tempore elapso copias e Dania evocavit; misit etiam in Norvegiam ad Eirikum dynastam, affinem suum, ut copias contraheret et secum in Angliam proficisceretur. Eirikus enim dynasta magna virtutis fama gloriaque bellica inclaruerat, quod victor ex duobus prœliis, in orbe septemtrionali celeberrimis, discesserat: uno, quod rex Svein Furcobarbus, Olavus Svecus Svionum rex et Eirikus dynasta cum rege Olavo Tryggvii filio ad Svoldram commiserant; altero, quo Hakon dynasta et Eirikus dynasta adversus piratas Jomenses in sinu Hjorungensi decertarant. Rex Knutus, satis magno copiarum numero stipatus, classe occidentem versus in Angliam contendit. Sic Ottar Niger in encomio Knuti:

Vastator navium! parvo jam natu
celoces in mare deduxisti.

Nullus prœliator, te, princeps, junior,
domo in expeditionem profectus est.
Instruxisti, rex, naves firmiter
armatas, et te magnis objecisti
periculis. Rubros, Knute, clypeos
terræ litoribus alacer prætendisti[1].

Idem sic:

Joti, ad fugam inviti, opem tibi
tulerunt. Classis exornator,
opum liberalis! auxilia
Skaniensium armis instruxisti.
Velum supra te, rex, inflatum
est; plurimas proras occidentem
versus in mare direxisti. Tu in iis
regionibus nomen tuum notum fecisti[2].

Regem Knutum in Angliam proficiscentem complures principes comitabantur; quorum princeps erat dynasta Ulvus Sprakaleggi filius, adfinis ejus, qui tum in matrimonio habuit Astridam Sveinis filiam, regis Knuti sororem; comitati sunt et fratres, filii dynastæ Strutharaldi, Hemingus et Thorkel Procerus, multique alii viri principes. Rex Knutus in Angliam veniens,

---

[1]) Constructio: *Lýtir lạvgreiđar! litt a) gamall hraztu b) fram skeiđum. Fórat fólksveimađr, øri þèr (fylkir!), heiman. Hilmir, bjóttu harđbrynjuđ skip, ok hættir kynjum; Knútr, reiđr hafđir c) þú rauđar randir d) fyrir landi.*

a) sic *V*; *lit*, *A*. *b)* conjeci; *hrestu*, *A*; *hræztu*, *V*. *c)* *hafdyr*, perp., *V*. *d)* i. e. armatam classem.

[2]) Constructio: *flugar trauđir Jótar at a)-fylgđu þèr b). Auđmildr skreytir skautreina c) bjó d) liđ-vánir Skánúnga. Vísi, váđ blès of þèr; þú settir flesta stafna vestr i haf; þú gjörđir þitt nafn kunnt þenna e).*

a) *út*, *V*, ɔ: *fylgđu þèr út*, te proficiscentem in expeditionem secuti sunt. *b)* sic *V*; *þeir*, *A*, quod forte idem valet. *c)* *skautrima*, mendose, *V*. *d)* malui *bjótt*, ut *skreytir* in vocativo accipiatur. *e)* pro *þarna*, eo loco, ɔ: in terris occidentalibus.

terram ab alto advectus est, quo loco Fljota dicuntur. Sic Halvardus Hareksblesius in encomio Knuti:

Fecisti, Knute, naves firmiter
armatas ad Fljota usque ruere.
Celeber, in vindictam acer ensium
possessor per mare lapsus est.
Rector navium! effecisti,
ut classis ad Ellæ regnum
hereditarium religaretur,
et larum bellonæ delectasti[1].

Ut rex Knutus in Angliam venerat, escensione facta, terram armata manu vastavit, incolas interfecit, omnia culta loca inflammavit. Sic Ottar Niger:

Rex potens! bellicum clypeum
portasti, et hoc facere amasti.
Princeps! haud puto tibi vitam
admodum sedentariam placuisse.
Dominus Jotorum familiam
Jatgeiris in ea expeditione
adflixit. Regia progenies! malo
eos lapide icisti. Pertinax diceris[2].

---

[1]) Constructio: *Knútr, lèztu harðbrynjuð skip dynja fram til Fljóta. Frægr, heiptsnarr vörðr a) Hildar leiptra leið um ægi. Ullr b) sundviggs c)! lèztu bundit flota við ættleifð Ellu d), ok reifðir má sverðmanns snyrtigerðar e).*

a) *norðr*, mendose, *V.* b) conjeci; *Ullar, A.* c) sic dedi; *sundvigs, A.* d) i. e. Angliam. e) *sverðmanns snyrtigerðr* pro circumscriptione bellonæ accipio, quæ duplici ratione resolvi potest: 1) *sverðmaðr*, vir ense instructus, bellator, ejus *snyrtigerðr*, dea, bellatorem ornans, conspicuum, illustrem reddens, Bellona; 2) forte *sverðmaðr* est homonymica periphrasis nominis proprii *Högni* (qs. ab *högg*), et *sverðmanns sn.*, filia Högnii, Hilda, quæ patrem certamine Hediniano illustrem reddidit.

[2]) Constructio: *rikr hilmir! bartu herskjöld, ok hèlduð af sliku; þengill a), ek hykkað þik þektust mikla kyrrsetu. Jóta*

Idem porro:

Princeps! habitacula et domus
hostium, te juvene auctore,
inflammata sunt. Sæpius
colonos clamare fecisti, „hostem adesse"[1].

Incolæ exercitu contracto Danis occurrerunt et prœlia commiserunt. Sic Thordus Kolbeinis filius:

Corvorum saturatores, quorum
in terra commoratio longo tempore
Anglis odiosa erat, ex celocibus
in mediterranea egressi sunt.
Incolæ vero, quibus curæ esset
prædia sua tueri, instructa manu
obviam processerunt. Milites regii
sonitum gladiorum excitarunt[2].

Rex Knutus primum in Anglia prœlium fecit in Lindiseya, quo loco magna edita strages est; tum quoque Hemingaborgam[3] in Anglia expugnavit, magnumque ibi hominum numerum interfecit. Sic Ottar:

Prœlium commisisti, rex,
in viridi Lindiseya,

---

drottinn drap ætt b) *Játgeirs í þeirri för. Stillis konr* c)! *rakt* d) *þeim illan þveit* e); (*þú*) *er* f) *heitinn þrár.*

a) *þengil, A.* b) pro dat. accipiendum, si *ætt Játgeirs*, de Adalrado intelligis; sin de Anglis in universum, *τὸ drepa* in interimendi notione cum accus. sumendum c) sic *A* in margine; *kom* in textu. d) *rakr, A* in marg. e) i. e. male eos mulcasti. f) *ert*, id., *V.*

[1]) Constructio: *bygðir ok hús heiptar* a)-*manna brunnu fyrir þèr úngum, buðlúngr* b); *lèztu búendr opt gjörva herkall.*

a) conjeci; *heiptir, A*; *seiptir*, mend, *V.* b) sic *V*; *buðlúng, A.*

[2]) Constructio: *ár-ramn-gefendr, þeir er lánga stund váru leiðir Englum á landi, gengu upp grund af skeiðum. En búendr, þeir er gáðu verja bøi, gjörðu herferð* a) *ígegn. Lið hilmis galt glaum hjalta skers.*

a) correctum; *herferðr, A.*

[3]) Helmingaborgam, *V.*

pugnatoribus pro lubitu
hostilia facientibus.
Svionum oppressor! effecisti, ut
concitatus Anglicus populus
dolores pateretur in lata Hemingborga
e regione Usæ in occidentem versa[1].

Secundum hæc ingentia prœlia in Northumbria prope Tesam commisit, eoque loco magnam hominum multitudinem interfecit; alii aufugientes, incidentes in paludes quasdam aut lacunas depressiores, periere. His confectis rebus, rex Knutus exercitum suum longius in meridianas terræ partes movit, quacunque iter faceret, omnia sibi subjiciens.

Rex Knutus Emmam uxorem duxit.

9. Adalradus Anglorum rex eodem autumno aut æstate, quo rex Knutus in Angliam cum classe advenit, morbo naturæ debitum reddidit; is tum rex Angliæ fuerat annos duodequadraginta. Post ejus obitum Emma regina, uxor ejus, profectionem e regno extemplo comparavit, occidentem versus in Vallandiam concessura ad fratres suos, Viljalmum et Robertum, qui dynastæ Vallandiæ erant. Eorum pater fuit Richardus, dynasta Rothomagensis, filius Richardi, filii Viljalmi Longæ-spatæ, qui filius erat Rolvi Peditis, ejus qui Normanniam subegit: hic vero

---

[1]) Constructio: *gramr, lèztu framda gunni í grønni Lindisey; víkíngar* a) *beldu viðr þvi ríki, er vildu. Svía þröugvir! lèztu øst Engst fólk bíða sorgar* b) *í breiðri Heminga* c) *borg fyrir vestan Usu.*

a) intelligo milites Knuti regis; illis temporibus, naturæ instinctum sequi, non in vitio habebatur. b) capio pro accus. plurali, non enim in eo, quo accepi, sensu verbum *bíða* cum genitivo construitur; per me tamen, si quis velit, in *exspectandi* notione sumat, licet. c) Helminga, *V*, ut supra not. 1.

Rognvaldo, Mœriarum dynastæ, natus erat. Milites Knuti regis, de itinere Emmæ reginæ certiores facti, cum ipsa suique oceano ingrediendo parati erant, supervenerunt, navemque cum omnibus rebus, quæ intra navem erant, ceperunt, reginamque ad regem Knutum deduxerunt. Placuit principibus, accedente regis auctoritate, ut rex Knutus Emmam reginam uxorem duceret, quod et factum est.

De rege Jatmundo.

10. Post mortem regis Adalradi reges creati sunt filii ejus et Emmæ reginæ, quorum natu maximus erat Jatmundus Robustus, alter Jatgeir, tertius Jatvigus, quartus Jatvardus Bonus. Rex Jatmundus, magno contracto exercitu, adversus regem Knutum movit. Congressi sunt ad Skorsteinem; committitur pugna, quæ id temporis erant factæ, celeberrima: maxima utrinque strages editur. Rex Jatmundus, equo in mediam aciem Danorum invectus, tam prope regem Knutum, vitricum suum, advectus est, ut ictu gladii eum adtingere posset. Rex Knutus clypeum super collo equi, cui insidebat, protendit[1]; ictus autem, clypeo inlatus paullo infra manubrium, tam vehemens extitit, ut non modo clipeum, sed etiam armos equi ante ephippium dissecaret; quo facto Dani regem Jatmundum tanto impetu premebant, ut ad suos refugere cogeretur, ita tamen, ut complures ex Danis interfecisset, Knuto rege leviter tantum, aut nihil omnino, sauciato. Interea regem (Jatmundum) ceteros longe prævectum eum suorum alii nusquam conspicarentur, et, cecidisse rati, terga vertere cœpissent, alii eum insequentes Danos prævertere viderent, et quotquot id vidissent, in fugam se conjicerent: rex alta voce excla-

[1]) sibi prætendit, *F*, eodem sensu.

mans, ut milites conversis signis prœlium committerent, hortatus est. Sed tunc nemo erat, qui verbis ejus aures advertere vellet. Itaque totus exercitus fugæ se mandavit, tumque strages effusius edita est, Danis fugientes usque ad noctem persequentibus. Sic Ottar Niger:

Fecisti, juvenis princeps, ut
Angli exanimi caderent
prope Tesam; altum flumen
corpora Northumbrorum inundavit.
Concitor prœlii nigro corvo
somnum interrupit in partibus
meridianis ad Skorsteinem. Fortis ille
Sveinis filius pugnæ auctor erat[1].

De Ulvo dynasta.

11. Ulvus dynasta tum, ut sæpius, plerosque regis Knuti milites antecedens, fugientes longissime est insecutus. Delatus forte erat in silvam adeo densam, ut inde se tota nocte, prius quam illucescere dies cœpisset, expedire non posset. Tum in campis quibusdam ante se sitis gregem compelli vidit, quæ pecora a puero quodam adolescentiam jam pridem ingresso agebantur. Ulvus dynasta accedens puerum salutavit, et de nomine ejus quæsivit. Ille: Gudinius vocor, inquit; tu vero unusne es ex Knuti militibus? Ulvus dynastæ: ego vero unus sum ex classiariis ejus; quam vero longe hinc est ad naves nostras? Puer: non est, opinor, cur vos Dani auxilium a nobis exspectetis, de quibus

[1]) Constructio: *úngr fylkir! lèztu dauða Engla falla allnær Thesu; djúpt dík fløði of líkum Norðimbra. Hvavtuðr a) gunnar braut svörtum hrafni svefn b) sunnar at Skorsteini; enn snjalli Sveins mögr olli sókn.*

a) conjeci; *havtuðr, A,* quanquam scio, *τὸ v* interdum excludi. *b*) quoniam nox prœlium diremit, ut feræ noctu inter cadavera versantes a somno avocatæ fuerint.

longe aliter promerueritis. Ulvus dynasta: gratum mihi feceris, puer, si viam mihi ad naves nostras monstrare velis. Puer: tu recta transversum a navibus ivisti, longeque in mediterranea per deserta silvarum progressus es; vos autem Knuti milites apud incolas non estis admodum gratiosi, quæ danda civibus venia est: pervasit enim rura nuntius de clade heri ad Skorsteinem facta, quare nec alii cuiquam de Knuti militibus incolumitas, nec tibi concedetur, si quis in te colonorum inciderit, nec impune quisquam tibi auxilium feret. Is autem mihi ad speciem videris, in quo satis idoneum præmium sit; alium enim te, quam dicis, esse existimo. Hic Ulvus dynasta, detracto manu annulo: hoc te annulo donabo, inquit, si me ad nostros comitari vis. Gudinius, cum aliquantisper in eum suspexisset, sero tandem locutus est: annulum istum nolo accipere, sed tentabo tamen, an te reducere ad tuos possim; nam si quid ad salutem tuam conferre potero, malo ad te de præmio respicere: sin vero mea opera nulli tibi usui erit, nullum præmium merebor. Tu itaque primo mecum ad patrem meum ibis. Sic faciunt. Delati ad villam, conclave ingrediuntur; hic Gudinius mensam statui bonumque apponi potum jubet. Animadvertit Ulvus dynasta, villam istam melioris notæ esse, ædesque bene ornatas. Intrant pater materque familiæ, utrique et formæ honestate et vestium ornatu notabiles; advenam salutant. Hic lautissime habitus eo die commoratur. Sub noctem duo eximii equi optimo adparatu adornantur. Tum ille ad Ulvum: jam vale, inquiunt, quem unicum habemus filium, tibi in manus tradimus, orantes, si veneris ad regem, sique tua aliquid valeat auctoritas, ut filium inter hujus ministros recipi efficias. Mecum enim

versari ei ab hoc tempore non licebit, si rescierint incolæ, te ejus opera effugisse, quomodocunque ipse potero periculum effugere. Ulvus dynasta pollicitus est, se facturum, ut Gudinius inter regios satellites reciperetur. Erat Gudinius forma excellenti oreque diserto. Patrifamilias nomen erat Ulvnado. Puer et Ulvus dynasta per totam insequentem noctem equis vehuntur; mane proximo, ubi illuxerat, veniunt ad naves Knuti regis, militibus in terra versantibus. Qui, conspecto agnitoque dynasta, universi ad eum confluere et salutare, eum quasi ab inferis recuperatum existimare: tantum enim gratia valebat, ut cuncti eum sincero animo diligerent. Tum primum sentire Gudinius, cui se comitem præbuisset. Dynasta Gudinium in celsa sede juxta se collocavit, eumque tanquam se ipsum aut filium suum habuit; atque, ut rem cito expediamus, dynasta ei Gydam sororem suam nuptum dedit, factumque est, administrante et procurante Ulvo dynasta, ut rex Knutus, Ulvi dynastæ affinis sui gratia, Gudinium dynastæ dignitate ornaret. Filii Gudinii et Gydæ fuerunt: Haraldus Anglorum rex et Tostius dynasta, dictus Hasta Lignea, Morokarius dynasta, Valthjovus dynasta, Svein dynasta. Ex eis multi in Anglia, Dania, Svecia regnoque Gardorum viri amplissimi descendunt; inde regiæ familiæ in regno Danorum ortæ. Gyda nomen erat filiæ regis Haraldi Gudinii filii; hanc in matrimonio habuit Valdemar, Holmgardi rex: eorum filius erat rex Haraldus, qui duas filias habuit, quarum infra mentio fiet.

De rege Knuto.

12. Rex Knutus alterum prœlium fecit prope oppidum, Brandfurdam dictum. Hic ingenti pugna commissa rex Knutus victor disces-

sit, filii Adalradi multis amissis aufugerunt, Dani oppidum diruerunt. Sic Ottar Niger:

Bellator, qui clipeis quietem non das!
perfregisti Brandfurdam unacum
habitatis territoriis; puto Frisios ibi
(degentes) a te vita spoliatos esse.
Generosa Jatmundi progenies
periculosa vulnera accepit.
Exercitus Danicus in homines hastas
jaculabatur, cum tu fugientes pepulisti[1].

Rex Knutus tertium prœlium cum filiis Adalradi commisit loco, qui Assatuna dicitur. Hic etiam vehemens pugna extitit; est autem hic locus e regione Danaskogorum in boream versa situs. Sic Ottar:

Robusta Skjoldi progenies! opera
bellica sub clipeo exsecutus es.
Grus sangvinolentus atras prædas
nactus est prope Assatuna.
Strenue imperator! ingenti gladio
gloriam conciliasti, ab regione Danaskogorum
in septemtrionem versa, ibi militibus
satis magnus numerus cæsorum visus est[2].

Quartum rex Knutus prœlium cum Jatmundo et fratribus ejus conseruit in Nordvika; hic etiam

---

[1]) Constructio: *randa friðskerðir! brauztu Brandfurðu með bygðu setri; hykk a) þik b) gjörðu Frísi þar c) fjörlausa. Göfugr ættniðr Játmundar laut hættar d) undir. Danskr her skaut drótt dörum, þá er e) þú rakt flótta*

a) sic ego; *hyk, M; hyr, A.* *b*) conjeci; *þèr, A.* *c*) conjeci; *þeir, A.* *d*) conjeci; *hættir, A.* *e*) *en, V.*

[2]) Constructio: *enn sterki Skjöldúngr! vantu skeru verk und skildi; blóðtrani fèkk brúnar bráðir (í) Assatúnum. Nær jöfurr! váttu nafu stóru sverði [fyrir norðan a) Danaskóga, en verðúng þótti valfall gnóg b).*

a) sic *V; norðan fyrir* repugnante situ literarum harmonicarum, *A.* *b*) malo *gnógt.*

acer conflictus, magnaque edita strages, rege Knuto victore, fugientibus Adalradi filiis. Sic Ottar Niger:

Comis oblator ingentium munerum!
deinde loricas rubras reddidisti
intra Nordvikam. Tu ante vitam
pones, quam tua cesset fortitndo[1].

De rege Knuto.

13. His confectis rebus, rex Knutus cum tota classe ad Tamesim contendit, certior factus, regem Jatmundum fratresque ad urbem Londinorum fugisse. Ut vero rex Knutus ad ostium Tamesis accedebat, ab alto adnavigavit dynasta Eirikus Hakonis filius, affinis ejus, qui congressi classem flumine subvexerunt. Sic Thordus Kolbeinis filius in encomio Eiriki:

Eximia principum affinitas arctius
coaluit in bellica expeditione virorum;
multæ celoces dispari longitudine,
ut comperi, flumine subvectæ sunt.
Genere nobilis prœliator cærulea
æquoris animalia (naves) tam
prope litora dirigebat, ut campos
Anglicanos conspicari posset[2].

Sic idem:

Knutus autem, qui regibus
occursurus vias carinæ premebat,

---

[3]) Constructio: *bliðr a) bjóðr b) stórgjafa! vantu síðan brynjur rauðar fyrir innan Norðvík; þú lætr önd, áðr þinn þrek þrjóti.*

a) sic *V; blíð, A.* *b)* sic *V; bjóð, A.*

[1]) Constructio: *itr jöfra hleti a) þrifust i eggveðrs för seggja. Mörg misslaung skeið hèlt í móðu, sem ek vissa. Áttstórr Ullr brands hèlt báru bládýrum [svá nær b) landi, at knátti sjá enska völlu.*

a) hlæti, id., *A; hlerti,* in marg. *A,* rectius *hleiti.* *b) nær svá, V.*

naves longas ab alto incitavit
ad vada procurrentis lingulæ.
Congressus galeati dynastæ
regisque eo die lætus fuit,
cum utrique, maritimis clari
expeditionibus, convenire vellent[1].

In aquis fluvii Tamesis ingens castellum fuerat exstructum, eidemque numerosum præsidium impositum ad prohibendum aditum loci, ne classis navium subire flumen posset. Rex Knutus extemplo flumine subvectus, ad castellum successit idque oppugnavit. Angli interea ab Londinis classem eduxerunt, devectique flumine cum Danis pugnam commiserunt. Sic Ottar Niger:

Quæ agere deinceps incepisti,
prospere succedebant. Gladii, metallo
illisi, hebetes sunt facti, castellum
te oppugnante; arcus acutum crepuit.
Repressor velocium scutulæ
equorum! non minorem
in vadis Tamesis pugnam fesisti;
id palatum lupi expertum habet[2].

Oppugnatio a rege Knuto facta.

14. Rex Knutus universam classem urbi

---

[1]) Constructio: *enn Knútr, sá er kniði kjölslóðir, renndi lángskipum utan at eyrar grunni end a) skjöldúngum b). Fundr hjálmaðs c) jarls ok hilmis d) varð hogr á því dogri, þar er báðir varrláðs e) fyrðar vildu koma.*

a) accipio pro *and*, contra, adversus; *endr*, *V*, *K*, forte h. l. idem. *b*) i. e. Ádalradi filiis. *c*) sic *V*, *K*; *hjálmað*, *A*. *d*) *hilmir*, *A*. c) conjeci; *varrláð*, *A*.

[2]) Constructio: *enn gekk fram, þat a) er unnuð. Sverð knáttu b) verða slæ c), við málma, þar er sóttuð kastala; álmr gall hátt. Hnekkir*) hlunns hleypiblakka d)! unnuð eigi minni rómu á Tempsár grunni; úlfs e) gómr veit þat.*

a) conjeci; *þar*, *A*. *b*) conjeci; *knáttuð*, non potuerunt, *A*. c) conjeci; *sæ*, *A*. *d*) i. e. navium. c) *Úlfs*, *V*, *K*; *Úlf*, *A*.

*) sic *V*, *K*; *hekkir*, mendose, *A*.

Londinorum admovit, castrisque circumpositis urbem oppugnavit, oppidanis resistentibus. Sic habet carmen brevius, quod hoc ipso tempore a militibus compositum fuit:

Non esuriet ales cadaverum;
gladii sangvine tinguntur.
Animadvertit quovis mane
femina, in ripa Tamesis,
quam impigre rex Danorum,
victoriæ cupidus, oppugnet
urbis incolas. Fulgidus ensis
Britannicis loricis insonat[1].

Idem carmen sequentes versus habet:

Multi alacres pugnatores
eo, quo nati educatique
loco sumus, hoc die vilem
vetustamque induunt tunicam.
Nos autem Odinis alitem
Anglorum sangvine alimus;
poeta statim indusium
malleo elaboratum induet[2].

Eo loco rex Knutus multa prœlia fecit, neque tamen urbem expugnare potuit.

De Eiriko dynasta.

15. Eirikus dynasta, Thingamannis comitatus, partem copiarum in mediterranea duxit ad-

---

[1]) Constructio: *hánga má skala húngra: hræskóð (eru) lituð blóði. Horna Hlökk sèr hvern a) morgin á Tempsár bakka, hve sigrfíkinn Dana vísi sœkir snarla borgar karla; blóðís dynr á brezkar brynjur.*

a) sic *V, K; hver, A.* Vide Fornms. 5, 229. str. 2. et 3.

[2]) Constructio: *margr a) frár oddsennu Ullr fer þenna dag í illan, fornan serk, þar várum um bornir (ok) fœddir. Enn (vèr) ölum Hnikars b) gjóð á blóði enskra manna; skald mun ort c) skœðazt i skyrtu, sœða hamri.* Fms. 5, 227.

a) *V, K*; *marg, A.* *b*) *V*; *hikars, A.* *c*) *ort*, noster (*poeta*), *V.*

versus exercitum Anglicanum, cui præfectus erat Ulvkel Snillingus, vir summæ auctoritatis. Commissa est pugna, qua victor Eirikus discessit, Ulvkel in fugam se conjecit. Sic Thordus Kolbeinis filius in encomio, in honorem Eiriki composito:

Auri adquisitor prœlium conseruit
ab regione urbis Londinorum in
occidentem versa; laudatus classis
imperator regna sibi armis subjecit.
Ulvkel, audax in clipeorum
procella, terribiles ictus accepit
ab Thingamannis, quo loco
livida militum tela vibrata sunt[1].

Alterum prœlium Eirikus dynasta cum Anglis commisit in saltu Ringmarensi. Sic Thordus Kolbeinis filius:

Impiger militum antesignanus,
qui haud raro carnem tumidam
corvo suppeditavit, crura virorum
gladii acierum vestigiis notavit.
Animosus Eirikus sæpius effecit,
ut Anglorum copiæ adtererentur,
eisque necis auctor extitit. Milites
saltum Ringmarensem rubefecerunt[2].

---

1) Constructio: *gullkennir lèt saman bundit gunni fyrir vestan Lundún; leyfðr a) þundr graðis hests*) vá til landa. Rönn-regn-þorinn Úlfkell b) fèkk øglig c) högg af þingamönnum, þar er blár d) eggjar rekka skulfu.* Scr. hist. Isl. Vol. 3, 35.

a) Fms. 3; *leyfr, A.* *b) V; Ulfkels, A.* *c)* ok, *V.* *d) V; blá, A.* *) *hest, V;* vide Scr hist. l. c.

2) Constructio: *hvatr fólkstafns a) freyr, sá er nè sjaldan gaf hrafni sollit hold, vann sverðs eggja spor á leggi flotna. Snjallr Eirikr lèt opt Engla lið þverra b), ok olli bana þeirra; herr c) rauð Hringmaraheiði.*

a) fólkstafn, prima pars aciei. *b) þvera, V.* *c) her, A.*

Inde Eirikus dynasta victor discessit. Præter hæc Thordus Kolbeinis filius in encomio Eiriki plura commemorat de rebus bello ab eo gestis:

Corvorum saturatores, quorum
in terra commoratio longo tempore
Anglis molesta erat, e celocibus
in mediterranea egressi sunt.
Incolæ vero, quibus curæ esset
prædia sua tueri, instructa manu
obviam iter fecerunt. Galeati milites
sonitum gladiorum excitarunt[1].

Pax inter reges composita.

16. Interea rex Knutus Londinum obsidebat, rex Jatmundus ac fratres urbem defendebant. Tandem, cum rex Knutus Emmam reginam, matrem eorum, in matrimonio haberet, internuntiis intercedentibus factum est, ut obsidibus inter se datis induciæ fierent, ut conloquiis institutis de firmiore pace agi posset. Quibus congressibus pax inter eos convenit ea lege, ut regnum in duas parter inter utrumque divideretur, quarum singuli singulam, quoad viverent, haberent; sin vero alteruter sine prole decessisset, is, qui superviveret, totum regnum pleno jure suæ ditionis faceret. Quæ pax juramentis confirmata est. Heidrekus Striona nomen erat viro magnæ auctoritatis, qui a rege Knuto pecunias accepit, ut regem Jatmundum dolo circumveniret et clandestina cæde necaret. Sic rex Jatmundus necatus est ab Heidreke, nutritore suo, cui non minorem, quam sibi ipse, fidem habuisset. Post hæc rex Knutus omnes filios regis Adalradi ex

[1]) Constructio: *ár-hrafn-gefendr, þeir er lánga stund váru leiðir Englum á landi, gengu upp grund a) frá skeiðum. En bøndr, þeir er gáðu verja bøi, gjörðu herferð í gegn. hjálmað lið galt glaum hjalta skers.* Vide supra cap. 8. str. 6.

a) sic supra l. c.; *upp*, *A.*

Anglia expulit; quod antequam confieri posset, multa commissa sunt prœlia; sed, sublato rege Jatmundo, nullam adversus regem Knutum copiam auxiliorum nacti sunt. Sic Sigvatus poeta in encomio Knuti:

Et Knutus Adalradi
filios prœlio vicit,
conjunctos, aut etiam
singulos expulit.

Tum se filii regis Adalradi in Normanniam, occidentalem Vallandiæ partem, contulerunt, ibique diu apud avunculos suos, Robertum et Viljalmum, uti commemoratum est in historia Olavi Sancti, commorati sunt. Dynasta Eirikus Hakonis filius, cum itineri Romam accinctus esset, in Anglia obiit; is, secta uvula, cum sisti sanguis nequiret, mortem oppetiit. Knuto regi et Emmæ reginæ tres liberi fuerunt: Haraldus, natu maximus, alter Knutus Hordensis, filia Gunnilda, postea imperatori Henreko Liberali, qui ex suis majoribus eo nomine tertius erat, nuptum data. Svein tertius erat regis Knuti filius, cujus mater fuit Alfiva illa potens, Alvruni dynastæ filia.

Rex Svein in Norvegiam venit.

17. Quo tempore rex Knutus Angliæ et Daniæ, eo Olavus Haraldi filius Norvegiæ imperavit. Quod regnum cum occuparet rex Olavus, pulsi ab eo patria cessere dynasta Svein Hakonis filius et Hakon dynasta Eiriki filius, regis Knuti ex sorore nepos, qui in Angliam ad regem Knutum, avunculum suum, profectus et liberaliter ab eo exceptus est. Inde bellum extitit inter regem Olavum et regem Knutum. Rex Knutus et Hakon dynasta, invicto exercitu in Norvegiam trajecto, vergente ad finem imperio regis Olavi, totum sibi regnum subjecerunt. Tum rex Knutus Hakonem cogna-

tum suum imperio Norvegiæ præfecit, quo facto in Daniam rediit; rex vero Olavus e regno profugiens, orientem versus in regnum Gardorum cessit, unde duabus post hiemibus in Norvegiam reversus, cum præfectis suis, qui fidem erga eum migraverant et rebellaverant, ingenti prœlio Stiklastadis conflixit; quo loco rex Olavus, ut inter omnes constat, cecidit; is sanctus est, scrinioque compositus Nidarosi quiescit. Dynasta Hakon Eiriki filius, una hieme ante quam rex Olavus Sanctus cecidit, mari Anglico submersus periit. Tum Svein, filius regis Knuti et Alfivæ, in Norvegiam venit, et auctoritate regis Knuti, patris sui, totius imperii rex creatus est. Rex Knutus Knutum Hordensem, filium suum, imperio Danorum, cui rex præesset, præfecit. Rex Knutus etiam magnam Skotiæ partem in potestate habuit, cui regem præfecit filium Haraldum, ipse vero horum omnium rex supremus erat; idem appellatus est Knutus Potens aut Knutus Senior, fuitque rex Danica lingua loquentium potentissimus imperiique latissimi. Rex Knutus, suscepta e regno peregrinatione, meridiem versus Romam profectus est; in quo itinere tantos pecuniæ sumtus fecit, ut nemo selibrarum, et ne pondo quidem, numerum sciret. Attulerat secum e regno suo ingentem pecuniæ summam, imperatoris copia, sicubi ei placeret, liberam utendi potestatem habuit. Dum rex Knutus in peregrinatione Romana erat, nemini, cui in ejus congressum venire liceret, cibum petere opus fuit, adeo liberaliter omnibus viaticum largitus est. Rex Knutus ex Flæmingia Romam pedibus iter fecit. Sic Sigvatus:

Sic pauci, opinor, iter
meridiem versus principes

pedibus emensi sunt.

Monarcha excellentissimus[1].

Rex Knutus hospitium instituit, ubi omnes Danica lingua loquentes, qui eo venissent, pernoctarent et cibarentur. Multis præterea locis, ubi monasteria aliave majora instituta essent, ingentes pecunias adtribuit.

Mors Knuti.

18. Rex Knutus in Angliam, regnum suum, reversus, morbum nactus est, quo ita primo tentatus est, ut qui morbo, aurugine dicto, laborant. Quum magnam partem æstatis lecto adfixus fuisset, autumno insequenti, idibus Novembribus, mortuus est in urbe, Morstria[2] dicta, insigni urbe capitali, eoque loco humatus est. Tum triginta septem annorum erat, fuerat rex Daniæ annos septem et viginti, Angliæ imperaverat viginti quatuor, Norvegiæ septem. Constat inter omnes, regem Knutum omnium in septemtrione imperantium potentissimum latissimique imperii fuisse.

De rege Knuto.

19. Fuit rex Knutus regum septemtrionalium munificentissimus. Nam vere dictum est, eum ceteris regibus non minus eo præstitisse, quod præ ceteris ingentem pecuniæ summam muneribus in amicos quotannis conferendis insume-

---

[1]) Constructio: *fár hringdrifr a) mun svá hafa metinn feril b) fetum suðr. Höfuðfremstr c) jöfur d).* Habet hos versus Fagurskinna.

a) sic *M, Fagrsk.; hringdifr, A.* *b*) correxi sec. Fagrsk., quæ dat *ferril.* *c*) sic *V; höfuð fremst, A,* Fagrsk. *d*) hunc alterum esse hujus carminis versum intercalarem, monui Scr. hist. Isl. Vol. 1, 228 et 4, 321.

[2]) Hkr. et Fagrsk. recte habent *Vincestr*, Vintonia; forte *Morstr* corruptum sit ex *Worstr* (i. e. *Worcester*, Vigornia), quod confusum fuit cum altera urbe *Vinchester*.

bat, quam quod ei multo majora tributa et vectigalia ex tribus gentibus redibant, quam aliorum cuiquam, qui uni tantum regno imperavit; quo accedit, quod Anglia terrarum septentrionalium pecuniis est locupletissima. Ejus liberalitatis unum satis erit testimonium afferre. Vir erat nomine Thorarin Lovtunga, natione Islandus, insignis poeta, qui operam suam compluribus regibus et principibus viris longo tempore addixerat. Is, jam ætate provectus, ad conveniendum regem Knutum, de quo carmen composuerat, profectus est, regemque adiens, quum salutavisset, quæsivit, an carmini, quod in eum fecisset, præbere aures vellet. Accidit hoc eo tempore, quo rex mensis adsidebat, ferculis jam remotis. Stabant ante mensam aliqui, qui causas suas agebant, quorum orationi rex primo aures advertit. Qui quum perorassent, Thorarin, quippe qui magna apud reges fandi libertate uti esset solitus, sæpiusque verba coram principibus fecisset: iterum oro, domine, inquit, carmini meo ut aures præbeas, paucis tantum strophis, exiguam moram interposituris. Respondit Knutus, vultum majorem in modum iratum in eum convertens: hoc nemo ante te fecit, ut in me poematia composuerit; pro certo scito, mane proximo tibi ad me hora prandii veniendum, justumque carmen, triginta aut pluribus strophis constans, quod isto temporis intervallo a te compositum sit, coram me pronuntiandum, aliter tibi moriendum esse. Discessit Thorarin, carmenque laudatorium de rege Knuto condere cœpit, quod carmen appellatur Redemtio Capitis, ad quod carmen conficiendum omnia, quæ adhiberi possent, ex poematio illo in usum suum convertit, posteroque mane carmen ad mensam regiam pronuntiavit, fortuna cœptis egregie adspirante. Rex

ei quinquaginta selibras (argenti) puri, præmium carminis, largitus est. Deinde Thorarin aliud carmen laudatorium de rege Knuto composuit, dictum *Togdrapa*, in quo carmine sequentes versus sunt:

Principi bellicoso
gratiam certe retuli
quinquaginta
pro datis selibris,
quas mihi prœliator
bellandi peritus,
cum eximium regem conveni,
pro carmine largitus est[1].

Rex Knutus Bersio Skaldtorvii filio duas armillas aureas, ambas selibram pondo, insuperque gladium inauratum, dono dedit. Sic Sigvatus poeta:

Bersi! eximius ille Knutus,
rebus præclare gestis inclytus,
nobis ambobus se convenientibus
manus ornavit splendide.
Tibi selibram auri, aut amplius,
gladiumque acutum donavit,
mihi vero dimidiam. Ipse Deus
omnia ex arbitrio suo constituit[2].

Mortuo in Anglia rege Knuto, insignis ille principatus, qui ipsi majoribusque suis contigerat, quorum postremus quisque latius, quam pater suus, imperium obtinuerat, cessavit.

De Knuto et Sveine.

20. Fuit Knutus maxima statura, magnis[2] viribus, forma oris eximia, nisi quod naso erat

---

[1]) Constructio: *ek hefi borit fram fyrir málmdyns hlyn for vist gjöld fimmtigu marka, þeirra er víghagr morðstørir veitti mèr fyrir a) brag, er ek fann mannbaldr.*

a) hanc vocem add. *M.*

[2]) vide Fornms. 4, 292. [3]) maximis, *V.*

tenui, eminentiori et nonnihil adunco; color faciei lucidus, coma pulcra et magna, oculorum eximius decor, quod et clari erant et acres; liberalitas magna, insigne rerum bellicarum studium, audacia in armis tractandis maxima, magna reportandæ victoriæ felicitas, et in omnibus rebus, quæ ad potentiam augendam pertinebant, insignis prosperitas; ut sapientia non excellebat, ita nec excelluerat rex Svein, quique ante eum fuerant, Haraldus et Gormus, quorum nullus ingenii magnitudine excelluit.

De Knuto Hordensi.

21. Knutus Hordensis, Knuti Senioris filius, patre mortuo imperium totius Daniæ suscepit; Haraldus, alter filius Knuti Senioris, patri in regno Angliæ successit; tum Jatvardus Bonus Adalradi filius, frater Haraldi et Knuti Hordensis in Angliam venit, ubi benigne, uti par erat, ab incolis exceptus est. Duabus hiemibus post mortem Knuti Senioris Gunnilda regina, filia regis Knuti, quam imperator Henrikus in matrimonio habuerat, in Saxonia obiit; tribus autem post hiemibus obiit Haraldus Knuti filius, Anglorum rex, qui Morstriæ[1] juxta patrem suum humatus est. Tum Knutus Hordensis, frater ejus, utrumque regnum, Angliam et Daniam, regendum suscepit; Norvegiæ autem Magnus, filius Olavi Sancti, frater juratus Knuti Hordensis, imperavit, quemadmodum in vitis regum Norvegicorum scriptum est. Duabus vero hiemibus post mortem Haraldi Knuti filii obiit Knutus Hordensis, qui etiam Morstriæ[1] juxta patrem, Knutum Seniorem, sepultus est. Obitu Knuti Hordensis universa vetus familia regum Danicorum intermortua erat. Tum Jatvardus Adalradi filius rex Angliæ creatus est, diuque ibi rex fuit,

[1]) Mostriæ et Mostæ, *A*, vide cap. 18.

neque postea unquam Danorum reges imperio Angliæ potiti sunt. Tum vero Magnus, Olavi Sancti filius, imperium Daniæ adiit, ibique rex fuit, uti memorant vitæ regum Norvegicorum; is Daniæ solus imperavit, usque eo donec Svein, qui alio nomine Magnus appellatus esse dicitur, filius dynastæ Ulvi, Thorgilsis Sprakaleggi filii, adversum insurgens de principatu cum eo contendere cœpit. Mater Sveinis erat Astrida, filia regis Sveinis Furcobarbi, soror regis Knuti Senioris; mater vero Astridæ erat Sigrida Facinorosa, filia Skogulæ-Tostii, quæ quoque mater fuit Olavi Sveci.

De rege Danorum[1].

22. Quum Svein Ulvi filius a rege Magno Olavi filio, quocum in Albi Gothorum[2] congressus erat, dynastæ dignitatem, imperiumque Danorum administrandum et obeundum accepisset, factamque cum eo pactionem juramentis sanxisset, Magnus septemtrionem versus in Norvegiam, Svein in Daniam regressus est. Eodem autumno Svein Ulvi filius, a Danis rex electus, totum regnum sibi subjecit, [regemque se gessit[3]. Quo cognito, rex Magnus vere proxime insequenti magno cum exercitu[4] in Daniam contendit. Ejusdem anni æstate rex Magnus prœlium ad arcem Jomensem in Vindlandia commisit, victoriaque potitus castellum incendit, multaque alia regionis loca inflammavit. Alterum prœlium rex Magnus ejusdem anni autumno pridie festum Michaelis commisit in Jotia, in saltu Lyrskogensi ad amnem Skotborgensem, a regione Heidabæi in septemtrionem versa brevi spatio. In hoc prœlio, quod cum Vendis fecit, rex Magnus victoriam obtinuit, sanctitate et miraculis regis Ola-

[1]) hoc loco incipiunt, *S, V, C.* [2]) omitt. *S, V, C.* [3]) omitt. *S, V, C.* [4]) meridiem versus, add. *S, V, C.*

vi, patris sui, adjutus, immensamque ibi multitudinem ethnicorum concidit. Sunt qui dicant, Sveinem Ulvi filium in hoc prœlio regis Magni castra secutum, factamque inter eos reconciliationem etiamtum mansisse. Sic Thorleikus Pulcer in poematio illo, quod de Sveine Ulvi filio composuit:

Munificus princeps hostibus
necem attulit in fremitu gladiorum;
corvus prædam nactus est a regione
Heidabæi in septemtrionem versa.
Pauci Vendorum fuga evaserunt;
horum corpora accipitrum subjecta
faucibus hiabant; ingens numerus
mortuorum militum in saltu jacuit[1].

Initio hiemis eundem autumnum proxime insequentis rex Magnus et rex[2] Svein Ulvi filius prœlio ad Erroam[3] contenderunt, rege Magno victore, Sveine in Jotiam profugiente. Alterum prœlium paulo ante festum Jolense commiserunt ad litora Jotiæ a regione Arosi in meridiem versa; erat eo loco acre certamen, magnaque edita strages; fugit rex Svein, amissis septem navibus, uti memorat historia regis Magni Boni. Svein primo in Selandiam cum [militibus, qui prœlio evaserant, quique eum comitari voluerant[4], profugit; quem rex Magnus extemplo classe insecutus, paucis cum navibus loco, qui Havnia

---

[1]) Constructio: *haukstorða fursendir vann a) fjandum fjörspell í hjörfa b) gný; hrafn fèkk bráð c) fyrir norðan Heiða d)-bø. Fáir e) Vindr f) rákust undan g): þeir ginu h) und i) vals hálsa; hundmargr dauðr herr lá á heiði.*

a) *S, V, C; var, A.* *b)* *örfa,* sagittarum, *C; jörfa,* id., *S, V.* *c)* *bravð* (i. e. *brdð*), id., *S, V.* *d)* *herða,* mend., *C.* *e)* *fá, C.* *f)* *Vindar, C.* *g)* *undir, C.* *h)* *gnýu, S, V; gum, C,* mendose. *i)* *um,* circa, *S, V, C.*

[2]) omitt. *S, V, C.* [3]) Eyram, *S, V.* [4]) suis, *S, V, C.*

dicitur, hærentem oppressit. Hic cum brevi tempore Svein restitisset, in terram effugit, multis suorum etiam eo loco prostratis; inde in Fioniam profugit, rege Magno insequente. Etiam hic Sveiniani crebris cladibus affecti; quæ quidem levia prœlia fuere, quanquam sic Arnor dynastarum poeta in encomio Magni:

Rex strenue, qui clypeum
adtennas, quatuor prœlia
una hieme commisisti.
Tu, rex, invictus diceris[1].

Rex Svein, conscensis navibus, orientale latus Skaniæ prætervectus, ibi in terram egressus est, atque orientem versus in Svioniam se contulit ad regem Onundum Olavi filium, cognatum suum, apud quem usque ad ver commoratus est. Rex Magnus proximo vere in Norvegiam reversus, magnam ibi partem æstatis consumsit. Quo cognito Svein confestim in Daniam trajecit, regnumque in potestatem suam redegit. Cujus rei fama in Norvegiam perlata, rex Magnus [autumno insequenti cum copiis suis[2] in Daniam profectus et cum Sveine congressus est loco, qui Helganesum dicitur. Hic vehementi commisso prœlio, tandem Svein, omnibus navibus amissis, in terram fugit. [Sic Arnor in encomio Magni:

Strenue rex! prœlium, cujus memoria
semper superstes erit, dum orbis
habitabitur, commisisti: corvus plumas

---

[1]) Constructio: *frækn a) rýrir [randa reyrar b) setrs! þú hefir um a) gjörvar c) fjórar örva d) hríðir e) á einum vetri; allvaldr! ertu kallaðr ofvegr f).* Fms. 6, 91.

a) sic dedi; *fræknum, A; frægn af* (i. e. *frækn of*), *S, V, C. b) rimmur reyar, S, V; rumnur reyrir, C,* inepte. *c) gjörvann, S, C, V. d) avrferð, S, V. e) hirðir,* perp., *S, V, C. f)* sic dedi; *ofveg, A; ofvægr,* id., *S, V, C.*

[2]) omitt. *S, V, C.*

cruentas in pugna Helganesia quassavit.
Rex populo note! naves eorum
omnes ad unam expugnasti; tu vero
postea majori victoria potitus es: nam
dynasta se regno spoliatum sensit[1].

Svein iterum in Sveciam fugit, ubi alteram hiemem transegit; rex vero Magnus in Norvegiam rediit. Vere proxime insequenti Haraldus Sigurdi filius, affinis Sveinis, a regno Gardorum in Sveciam venit. Haraldus tum in matrimonio habuit Ellisivam, filiam regis Jarizleivi ex Holmgardo[2]; ejus (Ellis.) mater erat Ingigerda, filia Olavi Sveci, [qui avunculus erat Sveinis Ulvi filii[3]. Svein et Haraldus, juncta inter se societate, copiisque contractis, in Daniam profecti, omnia igne ferroque vastarunt, totumque regnum sub suam potestatem redegerunt. Quibus cognitis rebus, rex Magnus classem e Norvegia adversum eos duxit. Tum Halkel, avunculus Olavi Sancti et Haraldi Sigurdi filii, qui in exercitu Magni militabat, Haraldum [Sigurdi filium[4] adiit, pacemque inter eum et Magnum composuit. Quo facto Haraldus in Norvegiam profectus, hujus regni partem dimidiam a rege Magno, cognato suo, accepit; Svein autem denuo in Sveciam fugit, et, ut primum reges domum profecti erant, in Daniam reversus, ibi hiemem transegit. Æstate vero proxime[5] insequenti rex

---

[1]) a [omitt. *S*, *V*, *C*. Constructio: *keppinn vantu Yggjar veðr, þat er ey mun uppi, meðan heimrinn byggist; valgammr skók blóðugt fiðri i vápna rimmu við Helganes. þjóðum kuðr* a) *ýngvi, fèktu öll þeirru flaust með hringum, en þú tókt siðan við meira sigri: jarl vissi sik missa foldar.* Fms. 6, 85.

a) sic dedi sec. Fms. l. c.; *þjóðkuðr*, non observato justo syllabarum numero, *A*.

[2]) Holmgardis, *S*, *V*, *C*. [3]) omitt. *S*, *V*, *C*. [4]) cognatum suum, *S*, *V*, *C*. [5]) hic incipit, *E*.

Magnus et Haraldus in Daniam profecti sunt, Sveine se id temporis in Skania[1] continente. Ejusdem anni autumno rex Magnus morbo in Jotia mortuus est; cujus funus, concomitante universo Norvegorum exercitu, septemtrionem versus in Norvegiam deportatum est. Jam Svein libero jure rex Daniæ factus, ei regno ab eo tempore diu imperavit; quem Haraldus, eodem tempore rex Norvegiæ factus, diutinis bellis exercuit, et quavis æstate in Dania populationes fecit, de quo bello historia regis Haraldi[2] prolixe exponit. [Quum Haraldus sedecim hiemes Norvegiæ imperasset, ille et rex Svein in Jovnfjordo[3], sinu Hallandiæ, ante ostium Nizæ prœlium commiserunt, rege Haraldo victore, rege Sveine fugiente. Tribus post hiemibus Haraldus et Svein in gratiam redierunt[4], et pacem inter regna fecerunt; una post hieme rex Haraldus in Anglia cecidit. Rex Svein bellum quoque gessit cum Steinkele, Svionum rege, qui exercitum[5] adversus regem Sveinem duxit, neque tamen ullam regni ejus partem occupare potuit. [Sic Thorleikus Pulcer:

Qui conata perficere studuerunt,
interdum se periculis exposuerunt.
Tribus illis principibus parum
profuit congressum Sveinis adpetere.
Prœlio fortis civium amicus
nihilo minus totam terram
Jotorum et Daniam retinet;
ille fortitudine excellens est[6].

---

1) Skaneya, *S, V, C.* 2) Sigurdi filii, add. *S, V, C, E.* 3) Lofnfjordo, *M.* 4) a [tandem tamen in gratiam redierunt, uti commemorant vitæ regum Norvegicorum, *S, V, C, E.* 5) in Daniam, add. *S, V, C, E.*

6) Constructio: *þeir er sóttu, hafa stundum hætt sèr. þeim a) þrimr bragningum b) hefir lítt hagnat at þreyta til fundar*

De liberis regis Sveinis.

23. Rex Svein Ulvi filius in matrimonio habuit Gunnildam, filiam dynastæ Sveinis Hakonis filii; horum filio nomen erat Svein. Rex Svein multos habuit filios ex concubinis natos; ei quatuordecim erant filii, qui ex pueris excesserunt: Knutus nomen erat natu maximo, qui vivo patre in itinere Romam suscepto obiit; altero Haraldus, tertio Knutus Sanctus, quarto Olavus, quinto Svein, sexto Eirikus Bonus, septimo Thorgils, octavo Sigurdus, nono Benedictus, decimo Bjorn, undecimo Guttormus, duodecimo Eymundus[1], tertio decimo Nicolaus, quarto decimo Ulvus, qui Ubbius appellatus fuit. Filiæ regis Sveinis erant: Ingirida, quæ postea nupsit Olavo Tranquillo Haraldi filio, Norvegiæ regi; altera Ragnilda, quam duxit Svein, filius Aslaki, Erlingi filii; ex quibus natus Knutus Soliensis. Svein Ulvi filius erat rex excellens et amicitiis valens, ut nullus[2] regum Danicorum apud universum populum[3] magis fuerit gratiosus; [idem Daniæ longo temporis spatio imperavit[4]. Thorgils, regis Sveinis filius, orientem versus in regnum Gardorum, ubi amplum genus maternum habuit, profectus, ibidemque educatus est; idem ibidem rex creatus, nunquam postea in Daniam venit. Sigurdus, regis Sveinis filius, in Vindlandia cecidit.

De rege Sveine.

24. Rex Svein, quum Daniæ undetriginta annos, ex quo rex Magnus Bonus obierat, imperasset, in Jotia forte ad orientem[5] constitutus,

Sveins. Ógnsterkr höldvinr hefir þó haldit allri Jótagrund ok Danmörku með endum; hann er snjallr konúngr.

a) sic *M; þeir, A.* b) ɔ: Magno Bono, Haraldo et Steinkeli.

1) Eyvindus, *V, C.* 2) nemo unus, *S, V, C, E.* 3) Danicum, add. *S, V, C, E.* 4) omitt *S, V, C, E.* 5) occidentem, *S.*

comitia edixit. Quo cum magna venisset hominum multitudo, ordinatis comitiis, rex Svein hunc in modum verba fecit: vestrum in me amorem et obsequium, quæ vos Dani longo tempore mihi exhibuistis, Deus præmiis et gratia sua remuneret. Eandem nunc benevolentiam et obedientiam a vobis exspecto in his rebus, quæ mihi reipublicæ maximi interesse videntur. Equidem operam dedi, ut vos Dani priscarum legum beneficiis uteremini; sed in hac mea oratione una interveniet res, quam forte invitis legibus postulare videbor; neque sine caussa. Nimirum peto a vobis, ut mihi deligendi successoris veniam concedatis. Quam rem ea de caussa peto, quod multos habeo artisque ac naturæ bonis bene ornatos filios, quibus ipse malo regnum et regiam dignitatem decernere, quam ut armis inter se de principatu contendant, et eo ipso tumultus ac bella civitati inferant. Quum finem dicendi fecisset, orationem regis, [quo longa non usus est[1], omnes magno studio approbarunt, gratiaque, qua valebat, et amore, quo eum universus populus prosequebatur, adducti, quæ petierat, concesserunt. Itaque in leges receptum armorumque concentu sancitum est, ut rex Svein, quem vellet ex filiis suis, regem Daniæ sibi successurum optaret. Quo facto rex Svein sermonem orsus loquitur: Haraldus, ut nostis, meorum filiorum natu maximus est, annorum numeri ratione habita; Knutus autem [ingenio maturissimus et[2] artium peritia omnium filiorum meorum ornatissimus est, jamque [ducendi excercitus[3] aliquam habet experientiam. Quapropter, quum ad regiam dignitatem meorum filiorum maxime

[1]) omitt. *S, V, C, E.* [2]) omitt. *S, V, C, E.* [3]) aulici satellitii imperandi, *S, V, C, E.*

idoneus videatur, hunc regem, qui mihi succedat, designo. Quibus actis solvuntur comitia.

Obitus Sveinis.

25. Post hæc rex Svein in oppidum, dictum Suddathorpum, ubi antea convivio fuerat exceptus, reversus, cum cubiculum[1] intrasset, sterni sibi lectum jussit, decubuitque morbo affectus, qui ei letalis extitit. Funus ejus Ringstados deportatum [[ibique sepultum. Kalvus Manii filius [in carmine, quod de Knuto Sancto, regis Sveinis filio, composuit[2], memorat, funus regis Sveinis [ex Jotia a meridie septemtrionem versus[3] Ringstados magno cum splendore et amplissima pompa deportatum esse[4]. Obiit rex Svein 3. Kal. Maii, cum Daniæ undetriginta annos, ex quo rex Magnus decesserat, rex imperasset, quum antea per biennium*) cum rege Magno bellum gessisset. Rex Svein decem post annis, quam Haraldi[5] in Anglia ceciderunt, mortuus est, elapsis a morte Knuti Senioris annis quadraginta. Fuit rex Svein omnium æqualium pulcerrimus, staturæ ac virium magnitudine ceteris præstans, facilis et comis, insigni liberalitate, ore diserto, imperii diligens et justus, patiens, fortissimus [et ad arma audacissimus[6], in prœliis non victoriosus, [uti supra dictum est[7]. Sic Stein Herdisæ filius in versibus Nizæis[8], quos de rege Haraldo Sigurdi filio composuit:

Nos decet hunc, qui corvi
alacris famem sedavit, ita
laudare, ut alterum auri
largitorem non vituperemus.

---

[1]) oppidum, *S, V, C, E* [2]) omitt. *C, E.* [3]) omitt. *C, E.* [4]) a [[omitt. *S, V.* *) malo quinquennium (V pro II), ɔ: ab anno 1042 ad 1047 [5]) rex Haraldus (cecidit), *S, V.* Hic incipit *F.* [6]) in omnibus periculis, *S, V, C, E.* [7]) omitt *C, E, F.* [8]) omitt. *C, E, F.*

Nunquam duo viri majori
prædíti animositate armis inter se
contenderunt. Quisquis aliud de his
regibus loquitur, mendacium dicit[1].

Idem sequentia addit:

Nos vera decet loqui de
forti principum cognato.
Rex Danorum fugam
capessiturus non fuisset,
si viri, qui ab regione oceani in
meridiem versa clipeum bellicum
gestarunt, exercitibus inter se digladiantibus,
prœliatori operam strenue navassent[2].

Haraldus rex creatus.

26. Statim post mortem regis Sveinis gravia inter filios ejus dissidia sunt orta, dum suos quisque amicos in partes suas traheret et auxilia quæreret. Asbjorn, dynasta Danorum insulanorum, qui filiam suam Haraldo, regis Sveinis filio, nuptum dederat, summo studio id egit, ut Haraldus rex crearetur, in quam sententiam multos secum principes perduxit. Hi in rem suam attulerunt priscarum legum decreta, imperium regio

---

[1]) Constructio: *oss dugir at leyfa svá a) húngr-deyfi b) ens hvassa hrafns, at (vèr) lastim c) eigi annan d) linns látrs e) sveiganda f). Aldregi kvöddust tveir meiri fullhugar oddum; hverjum manni er tál at mæla annað um tiggja g).*

a) fè, S, perp. *b) deum, C, E, F,* mendose pro *deuui, deuvi.* c) *K; lastni, S, E: lastun, F,* utrumque mendose; *lastinn, A.* d) *annat,* id., *S, C, E.* e) *látur, S, C, E.* *f) sveigandi, -S, C; sveigan, F.* *g)* posteriorem semistropham omittit *V, S, T, E.*

[2]) Constructio: *oss dugir (at) mæla satt um snotran konsælinga. Allvaldr Dana mundi eigi halda undan, ef þeir menn, er a) hèldu herskildi fyrir sunnan sjá, tæði hrafnfæði b) vel: ferðir reiddust at sverð c).*

a) omitt. *F.* *b) hrafnføðir, F.* *c)* totam hanc stropham omitt. *V*; quinque versus et partem sexti omitt. *S, T. E.*

filio natu maximo deferentium, quid rex Svein ea de locutus fuisset, quidve ipsi ei polliciti fuissent, pensi non habentes. Knutus, regis Sveinis filius, antea[1] piraticam exercuerat in regionibus orientalibus, magnumque habuit copiarum numerum bonamque navium facultatem. Memorat in carmine suo Kalvus Manii filius, decem regulos a Knuto piraticam in regionibus orientalibus faciente superatos. Jam uterque frater, Knutus et Haraldus in Jotiam profecti sunt; hic enim rex[2] in comitiis Vebjargensibus creandus erat. Huc magna convenerat hominum multitudo. Ordinatis comitiis, cum advenissent principes, quorum eo adventus exspectaretur, alius ex alio verba facere incepit; unde, cui quisque faveret, adparebat. Hoc facere per totum hunc diem usque ad noctem perseverarunt, re non magis quam ante ad exitum perducta. Postero die, cum ventum in comitia esset, virique aliquot verba fecissent, surrexit aliquis e globo colonorum, et hunc in modum verba fecit: nos Joti jam diu potestatem regis Danorum imperii eligendi exercuimus, fortunaque dedit, ut nos Dani bonis semper regibus usi fuerimus. Et ille rex, quem proxime habuimus, omnibus, quæ regi ornamento sunt, virtutibus erat ornatus, et fortitudine animi et ad terram tuendam rei militaris peritia; nostra enim terra incursionibus piratarum valde obnoxia est. Rege nobis opus est, in prœliis virtute, peritia ducendi exercitus, regendæ civitatis, curandarum legum, antea experto, qui imperatoriæ artis et indolem et usum habeat. Regem esse decet ore diserto[3], ingenii bene compositi, et tamen justarum pœnarum severum exactorem, pecuniis liberalem: nam cum a multis

[1]) aliquamdiu, *S, F, C, E*, [2]) a Danis, add. *S, F, C.* [3]) imperii diligentem, add. *S, F, C, E.*

accipiat, multa largiri debet; ei ornamento est, si sit forma pulcra et spectabili, et cum optimo ornatu conspicuus. Eum regem eligamus, qui omnibus virtutibus, modo memoratis, præditus sit: nam rex bonus nobis melior et utilior est, quam omnes priscæ leges nostræ. His autem omnibus virtutibus, quas enumeravimus, solus Knutus ornatus est; [hunc eligere regem volumus[1]. Tam salutaria consilia civibus dederat rex Svein, ut haud dubium sit, quin his in rebus, tanti ad salutem publicam momenti, ejus auctoritatem sequi omnibus cummaxime expediat. Hujus oratio magna omnium acclamatione excepta, bene verba fecisse prædicantium. Hic Eyvindus Bivra, vir potens, Asbjorni dynastæ in primis amicus, surrexit, et facto silentio verba fecit, sic sermonem orsus: etsi res, quam hic disceptamus, expeditu haud facilis est, tamen non eo minus poscit necessitas, ut aliquem nobis regem sumamus. Omnes perspicere queunt, Knutum plurimas habere virtutes, regi Danico necessarias; quare, etsi priscæ leges nostræ ad alium potius respiciant, eum quidem minime recusare regem volumus: sed, si discedendum a legibus est, id fieri oportet ex omnium reipublicæ administratorum et principum voto et unanimi cunctorum consensu. Non adest his in comitiis Bjorn, frater regis, unus in excellentissimis civium, summæque auctoritatis. [Quæ res cum haud parum difficultatis afferat, ratio svadere videtur, ut, adhibitis omnibus optimis viris, qui alicujus auctoritatis sint, cras hoc loco conveniamus, regemque ex legum præscripto sumamus, cujus dignitatis prærogativa nunc quidem penes Knutum esse videtur. Sic[2] dimissa concione, Knutus ad naves suas descendit. Nocte proxime

[1]) omitt. *S, V.* [2]) Ut Eyvindus finem dicendi fecerat, *S, T, C, E.*

insequenti principes conventum et colloquia[1] agitarunt, præsentibus Haraldo Sveinis filio, Asbjorne dynasta, socero ejus, Bjorne regis[2] fratre, Eyvindo Bivra, multisque aliis [amicis eorum[3], qui Haraldum eligere regem cupiebant. Tum Eyvindus Bivra hunc in modum verba fecit: præcedenti die conventum cum Knuto habuimus, cujus, ut vobis prædixeram, is fuit exitus, ut Knutus, caussam suam magno studio agens, etsi legibus contraria proferret, tamen oratione sua efficeret, ut, quæ dixisset, probabilia viderentur; cujus rei caussa erat cum eloquentia ipsius, tum fallacia illa dicta, quæ nostræ partis homini, verba in comitiis facienti, suggesserat, unde factum, ut universa multitudo unanimi consensu effervesceret, Knutumque regem esse juberet; quam ob caussam concionem diremi. Qua re, si omni studio in id volumus incumbere, ut Haraldus rex fiat, nihil prius nobis faciendum erit, quam ut rem absente Knuto conficere studeamus. Itaque nunc homines disertos et astutos subornemus, qui conventum cum Knuto habeant; interea alii clandestina comitia agitent, in eisque Haraldum regem creent. Quo consilio ab omnibus probato, sic factum; missus Eyvindus Bivra cum magna colonorum multitudine, qui conventum cum Knuto haberet. Positis comitiis, Knutus eo venit, surgensque longam disertamque orationem habuit, petens a colonis, ut sibi regium nomen darent, secundum pactionem antea factam. Hic respondens Eyvindus Bivra, hortatus est colonos, ut exspectarent, dum[4] dynasta ceterique principes, qui eo venturi exspectarentur, in comitia venirent: nam majori honori ducimus adesse quam plurimos, qui alicujus au-

[1]) consilia, *S, V, C, E.* [2]) Knuti, *S.* [3]) principibus, *S, V, C, E.*
[4]) Asbjorn, ad. *F.*

ctoritatis sint; speramus vero, neminem his contra dicturum. Deinde eo orationem flexit, ut virtutes Knuti enumeraret, in quibus deprædicandis multus ac disertus fuit, dicens, eum ex omnibus regis Sveinis filiis maxime idoneum esse, qui rex crearetur, quam rem cum multis, atque veris, argumentis adstrueret, orationem diutius traxit. Ante vero quam finem dicendi fecisset, venerunt in comitia nuntiantes, Haraldum Sveinis filium regem totius Danici imperii creatum esse. Quæ relata cum Knutus audisset, extemplo surrexit, et ad naves suas discessit. Ut in naves venit, omnes videntes mirari, qualis esset; quidam putare, eum ægrotare[1], facies enim ejus sangvinis instar rubuit. Consedit in arca celsæ sedis, nullam vocem proferens, neque quisquam alloqui eum ausus est; sic magna pars diei transiit. Eyvindus Bivra [Haraldum et[2] Asbjornem dynastam, [ceterosque principes, qui hujus consilii participes erant[3], confestim adiit, hisque, quæ acta erant, retulit, addens, sibi manifestum videri, bellum intestinum erupturum. Illi confirmant, necesse esse, rem quo nunc esset loco manere, se regem a se creatum in possessione regni tuituros. His Eyvindus: itaque auctor sum, ut Knuto satisfactio offeratur; nam si ad hostilia se converterit, intractabilem experiemini. Dynasta: superbiam Knuti novimus, cujus animus conditionibus pacificatoriis deleniri non possit. Eyvindus: Knutus quidem crudelis est vehementisque ingenii, at prudens et pius; itaque, quantum incommodi habeat, cum fratre prœlio decertare, intelliget; [sed, si res cum successu conficienda est, nulli rei, præterquam soli regiæ dignitati, parcendum est. Dynasta: quid ei offerendum

[1]) sic *S, V, C, E*; saucium esse, *A*. [2]) omitt. *S, V, C, E*. [3]) omitt. *S, V, C, E*.

existimas? Eyvindus: offerte ei dynastæ dignitatem, adjecta provincia Selandia, quo accedat omnium principum Danorum jusjurandum, fore ut Knutus, si fratri Haraldo supervivat, rex fiat, quicunque ex ceteris regis Sveinis filiis tum superstites fuerint[1]. Dynasta: Knutus nihil nisi rex esse volet. Eyvindus: haud sciri inexpertum potest; ego, si[2] vultis, iterum Knutum adibo, has conditiones propositurus. Quo ab omnibus probato, Eyvindus ad Knutum proficiscitur. Quem cum in nave versari reperiret, eum adiens, mandata exposuit. Knutus tardius respondit; ut autem loqui incepit, sic orsus est: eligam, quod vobis abjectioris animi forte videatur; ad eam potius conditionem descendam, ut regio nomini renuntiem, quam ut de principatu cum fratre Haraldo decertem, remque Dei arbitrio decernendam permittam. His dictis, Eyvindus, manum Knuti osculatus, hanc ab eo pactionem accepit, veniamque impetravit, rem sic transactam ad regem Haraldum deferendi. Quæ transactio confecta et juramentis sancita est.

Obitus regis Haraldi.

27. Rex Haraldus Sveinis filius modo, quo dictum est, regiam dignitatem in Dania post patrem accepit; tum quoque Knutus Sveinis filius dynasta Selandiæ factus est. Quorum transactio et consanguinitatis necessitudo, dum vixerunt, integra mansit. Ceteri vero regis Sveinis filii, qui nullas regni provincias[3] administrandas obtinuerant, sorte sua male contenti erant; unde ingentes in civitate turbæ extiterunt, ut sequentes versus testantur:

Meditamur carmen:
bellum in Dania gliscit,

[1]) a [omitt. *S, V, C, E.* [2]) proposita a me conditiones probare add. *S, V, C, E.* [3]) hic explicit *E.*

non concordes sunt Sveinis
filii, patre suo mortuo.
Defendet armis Haraldus
magnis regnum viribus
(tum bene carmen habet)
ab undecim fratribus[1].

Erat rex Haraldus tranquilli animi, alienis negotiis abstinens, parci sermonis, in conventibus non disertus, qua re alii verba pro eo fere facere solebant; idem in necessariis negotiis transigendis segnior, minime bellator, quietus et in cives mansvetus, adeo officii negligens, ut quæ cuique civium libuisset, pæne facere liceret. [2]Dani eum Haraldum Coticulam cognominarunt. Qui cum quatuor annos rex fuisset, morbo mortuus est.

Knutus rex creatus[3].

28. Mortuo rege Haraldo, Dani comitia Vebjargensia habuerunt; quibus comitiis Dani, auctoritate omnium civium, regem totius Danici imperii creare semper debent. Hic Knutus rex creatus est. Is se mox severum et imperiosum præbuit. In quibusdam comitiis, cum verba faceret, sic locutus est: Vos Dani Haraldi fratris mei benignitatem et clementiam, qua in vos usus est, ita remunerastis, ut eum Coticulam appellaretis, quod contumeliæ caussa in eum fecistis. Cujus ingratitudinis præmia nunc a me capietis, nam ego vobis ero improba silex. Rex Knutus,

[1]) Constructio: *vèr stundu a) til stikka: styrr vex í Danmörku, Sveins synir er-at sáttir at dauđan föđur sinn. Haraldr skal verja jörđ vigi af ørnu b) magni fyrir ellifu brøđrum; þá er stiki vel tamiđr c).*

a) stundum, id., *C, V; skundum*, festinamus (ad carm. faciendum), *C, F*, ingrate ad metrum. *b) yrnu*, id., *S, A*; *yrum*, mendose, *C*. *c) tamdr*, id., *S, V*; *tauudr*, *C*, corrupt. ex *tamiđr*.

[2]) ea de caussa, add. *S, V*. [3]) hic incipit cod. membr. *B*.

cum regnum obiret, delatus in Hallandiam, ibi conventum habuit, in quo ipse verba faciens postulavit a colonis, ut sibi provinciam obeunti jumenta concederent; eo enim navibus advenerat. Colonorum aliquis, qui in ea regione disertissimus[1] erat, surgens verba fecit: ostendit, postulare colonos, ne gravioribus a rege oneribus premerentur, quam priscis legibus consentaneum esset. Qui quum dicendi finem fecisset, coloni orationem ejus magna acclamatione exceperunt, dicentes, [nolle se ulla in re vexari, ultra quam leges antiquæ juberent[2]. Quo sedato fremitu, rex: bene fecistis, coloni, inquit, quod conceditis, mihi legitima, neque ultra, præstari a vobis oportere, neque dubito, quin, quæ legibus consentanea sint, mihi præstaturi sitis, qua re postulo, ut libero jure possessionis meæ per vos uti mihi liceat. Concesserunt omnes. Tum rex: itaque veto, ne quis vestrum, Hallandiæ incolarum, silva quæ mihi est, quæque hoc loco prope a vobis abest, utatur, neu sues vestras aliave pecora in ea pascatis. Coloni ad hæc dicta obmutuerunt, intelligentes, ista sibi minime expedire; nam silva regia supra totam Hallandiam porrigitur, illi vero magnum habent porcorum numerum, qui per silvam fageam et querneam pascuntur. Quare id consilii ceperunt coloni, ut regi omnia, quæ postulasset, concederent. Hæc inter regem colonosque stipulatione sunt confirmata; hi enim salvis regiis postulatis, res suas integras servare non potuerunt. Interea is ex colonis, qui regi maxime fuerat oblocutus, interfectus est. Inde rex[3] in Skaniam delatus, frequentem ibi con-

[1]) summæque inter colonos auctoritatis, add. *F.* [2]) ita se facturos, ut nulla onera, nullas servitutes subituri essent, *F.* [3]) cum, ut constituerat, Hallandiam obiisset, juraque civibus dixisset, ad. *F.*

ventum colonorum habuit. Quibus cum in exigendo justo severior videretur, omnes una exclamantes, quæ postulasset rex, se facturos negarunt[1]. Facto silentio, rex: vos Skanienses estis homines prudentes; ex eo, quod facere incepistis, intelligo, ad vos famam pervenisse de rebus me inter et Hallandiæ incolas intercedentibus. Scilicet rationem multo quam illi prudentiorem, negando quæ postularam, excogitavistis; nullum enim unum hujus provinciæ incolarum de responsis accusare possum. Id vero a vobis peto, uti prius ab Hallandiæ incolis petieram, ut mihi libero jure possessionis meæ uti per vos liceat. Concesserunt omnes. Tum rex: minime dubium est, quin omnes Daniæ incolæ sciant, quæ sit regis, quæ colonorum hac in provincia possessio, nimirum regis esse omnia deserta; conceditisne? Omnes ita esse concesserunt. Deserta vero mare aliaque loca inculta rex appellavit. Tum rex: itaque fretum Oranum meæ possessioni adsero, vobisque omni piscatu, quem ibi antea exercuistis, interdico, siquidem neque meis verbis obsequi, neque meæ necessitati subvenire vultis. Quæ cum dixisset rex, omnes coloni intellexerunt, maximo sibi damno fore, si halecum captura in freto Orano prohiberentur. Id itaque captum consilii est, ut res solius regis arbitrio permitteretur. Sic, concessis postulatis regiis, concio dimissa.

De rege Knuto.

29. Rex Knutus erat valde[2] severus et rigidus pœnarum exactor, graviterque malefacta puniebat. Dum Haraldus Hein (Coticula) rex Daniæ erat[3], maleficia, tam ab incolis patrata,

[1]) neque se unquam regi tributa aut mercedes, ultra quam lex juberet, præstituros dixerunt, add. *K.* [2]) omitt. *F.* [3]) hic explicit prius fragmentum *F.*

quam a piratis, qui eo tempore populationes in Dania fecerunt, Kurlandis et aliis maris Balthici accolis, parum punita fuerunt. Ut vero Knutus rex creatus erat, regnum magna strenuitate defendebat, omnes ethnicos ex imperio Danico expellebat, quin etiam mari prohibebat, adeo ut nulli prædones ante litora Danica populandi gratia excubare auderent, potentia regis Knuti et bellandi peritia deterriti. Quemque furti manifestum, item omnes homicidas et latrones, sive peregrinos, sive indigenas, occidi jussit. Qui alterum manu pedeve truncasset, aliisve mutilationibus affecisset, eandem ipse pœnam luebat. Tantus terror ab eo, severitateque et pœnis ejus, ad omnes pervasit, ut nemo intra regnum ejus furtum facere auderet Decrevit rex Knutus, ut quicunque ædem suam sine claustro reliquisset, aut si cui equus esset sine pedica furtoque surreptus fuisset, aut quicquid per furtum amisisset, is ad se veniret, et res suas apud se reciperet; ipse sibi pœnas ab eo, qui furtum fecerat, expetendas reservavit. Æquam sententiam, tam de viris potentioribus, quam de humilioris conditionis hominibus, dixit; id quod grave odium excitavit eorum, qui amplæ sortis cognatos suos, quamvis a rege ob justa crimina condemnatos, amiserunt.

Matrimonium Knuti.

30. Rex Knutus Eirikum fratrem suum dynastam Selandiæ constituit, eique hanc provinciam, quam ipse antea administraverat, dedit. Hi, dum vixerunt, ex consangvinitatis necesssitudine alter altero familiariter usi sunt. Benedictus, frater ejus, perpetuo apud eum in aula versabatur, vir magna statura, viriumque robore omnium facile princeps. Olavus, Sveinis filius, Knuto regi æqualis, parva erat statura, [valde

deformis[1], disertus, insignis bellator. Rex Knutus in matrimonio habuit Edlam, filiam ducis Baldvini ex Flæmingia; horum filius erat Karl.

De rege Knuto et sacerdote.

31. Accidit aliquando, quum rex Knutus cum aulicis convivia obiret, ut amplo convivio aliquo loco exciperetur. Hic rex primo convivii vespere pulcram aliquam mulierem conspexit, qua pulcriorem fere nullam sibi visam existimavit. Hanc sacerdos aliquis magnæ auctoritatis in matrimonio habebat. Rex, conspecta femina, amore ejus captus, procuratorem suum ad se vocavit, eumque jussit ita rem instituere, ut ista femina lecto apud se nocte insequenti accubaret. Nemo erat, qui contra voluntatem regis loqui, nedum facere quidquam auderet; factum itaque, ut præceperat rex. Vespere cum rex lectum accederet, aderat ibidem hæc femina; rex vestes exuit, lectum conscendit; famuli, cum regi more solito ministrarant, discedunt; quo facto rex lecto se componit, seque ad eam amice convertit. Cui illa: Deus tui nunc, ut perpetuo, curam habeat! Jam te ita geras, quæso, ut tuæ majestati convenit; noli mihi vitium, tibi damnum adferre. Te, qui subditos tuos, hujus regni incolas, tam pulcris moribus ornes, Te, qui omnibus hujus regni civibus præstes, Te mores pulcerrimi decent. Obsecro, quum te coram illo rege stiteris, qui est omnipotens, ut ita preces tuas exaudiat, uti tu nunc meas. Cui rex: faciam, quæ petis, inquit, cum et multo præstare videam, et te hoc ex magna benevolentia petere intelligam, meliusque decere rem ex tua sententia agi. Et quanquam in præsenti non nullius continentiæ est, propriæ voluntati non satisfacere, tamen parvi momenti est ad ingentes illas res,

[1]) formosus, *F.*

quas dominus noster Jesus Christus nostri caussa pertulit. His dictis rex surgit, discedit, alium sibi locum, ubi pernoctaret, conciliat. Postero mane sacerdoti, cujus hæc uxor erat, advocato rex: bonam habes uxorem, sacerdos, inquit; hanc liberaliter habeas, velim, paucas enim reperiri puto[1] feminas, quæ hanc animi generositate æquiparent. Rex, detracto manu annulo aureo, magno et eximio, pergit: hunc annulum, munus amici amico datum, a me accipito, sacerdos, unaque meam amicitiam, et si qui te injuria afficient, ad me veni, ego tibi jus restituam. Sacerdos regi multis speciosis verbis pro munere et amicitiæ testificatione gratias egit. Rex, non esse, quod prolixe gratias ageret, significavit: nam primo te ad inimicitias provocare institueram, nunc vero oro, ut mihi id condones. Sacerdos se id libenter facturum ostendit. Quo facto rex inde se ad aliud convivium recepit.

Descriptio Daniæ.

32. Daniæ regnum late, sed sparsim, patet. Maxima Daniæ pars appellatur Jotia, quæ se a plaga meridiana secundum oceanum extendit. Hic situs est Heidabæus, sedes episcopalis Daniæ, plagæ meridianæ proxima; in qua diœcesi sunt templa trecenta quinquaginta, naves regiæ centum triginta. Altera sedes episcopalis in Jotia est eo loco, qui Ripæ dicitur; in qua diœcesi sunt templa trecenta viginti quatuor, naves regiæ ad expeditionem destinatæ centum decem[2]. Tertia sedes episcopalis in Jotia Arosi est; in qua diœcesi sunt templa ducenta decem, naves regiæ nonaginta. Quarta sedes episcopalis in Jotia Vebjargis est; in qua diœcesi sunt templa ducenta quinquaginta, naves regiæ centum. Est in Jotia ingens sinus, Limafjordus ap-

[1]) in nostra terra, add. *K.* [2]) viginti, *K.*

pellatus, qui a plaga cori[1] meridiem versus porrigitur. Borealis recessus Limafjordi ab oceano occidentali angusto isthmo disterminatur, qui isthmus Haraldi dicitur, qua rex Haraldus Sigurdi filius pertractis navibus suis e manibus regis Sveinis, fugientem insequentis, elapsus est. A regione Limafjordi in occidentem versa provincia est, dicta Vendelskagius, ad plagam septemtrionalem vergens; ibi quinta Daniæ sedes episcopalis est, loco qui Jorungus[2] dicitur, in qua diœcesi sunt templa centum et sexaginta, naves regiæ quinquaginta. Latus Joticum appellatur totum litus occidentale, a Vendelskagio Ripas meridiem versus se extendens. Jotiam et Fioniam fretum Medalfarense interluit. Sexta Daniæ sedes episcopalis est Odinseyæ in Fionia; in qua diœcesi sunt templa trecenta, naves regiæ centum. Fioniam et Selandiam fretum Belticum intermeat. Septima Daniæ sedes episcopalis est Roskeldæ[3] in Selandia; sunt in diœcesi Selandica templa quadringenta undecim, naves regiæ centum viginti. A regione Selandiæ in septemtrionem versa est fretum Oranum, a boreali parte freti Orani sitæ sunt Skania et Hallandia. Lundi in Skania est cathedra archiepiscopalis, octava Daniæ sedes episcopalis; in qua diœcesi sunt templa trecenta quinquaginta tria, naves regiæ centum et quinquaginta; hæc Daniæ sedes episcopalis locupletissima est. Inter has provincias, Jotiam et Skaniam, multæ sitæ sunt insulæ, antea non nominatæ. Samseya episcopo Arosiensi subjecta est, Leseya episcopo Vebjargensi; hæ ab regione Fioniæ in occidentem versa sitæ sunt. Alseya Heidabæo subjacet. Lalandia, Erroa, Thjorslundus[4], Alseya[5], Langa-

---

[1]) boreali, *K.* [2]) Nordungus, *B, C.* [3]) Roiskeldæ, *K.*
[4]) Thorslundus, *M.* [5]) omitt. *M.*

landia[1]: hæ quinque insulæ episcopo Fioniensi subjectæ sunt. Mana et Falstria episcopo Selandico parent. Borgundarholmus in oceano situs est a regione Skaniæ in orientem versa, ingens diœcesis, [episcopo Skaniensi[2] subjecta; ibidem duodecim villæ regiæ et quatuordecim templa. Provinciæ modo memoratæ, quæ et latæ sunt et incolis frequentes, regi Danorum parent. Quæ provinciæ antiquis temporibus multorum regum regna effecerunt.

Principia Egilis Sangvibibi.

33. Vir erat nomine Ragnar, natione Danus, a meridiana Jotiæ parte oriundus; erat vir potens, incoluitque prædium, Ragnarstadi dictum, situm in diœcesi Ripensi; ibidem et lacus est, dictus *Ragnarsjór*. Ragnar regi Sveini amicissimus fuerat, eique perpetuo, quamdiu vivebat rex, apparuerat. Erat Ragnari filius, nomine Egil, artis naturæque bonis instructissimus, maxima statura summoque virium robore, armorum tractandorum peritissimus, insignis bellator.

De Egile.

34. Accidit in Dania, ut vir quidam magnæ auctoritatis, nomine Akius, in Borgundarholmo obiret, is duodecim illas villas, quas in Borgundarholmo possidet rex, administraverat. Quæ provincia cum jam vacaret præfectoque careret, missi ad regem Knutum sunt, qui has res ei nuntiarent, petentes, ut hujus muneris curam haberet, aliumque præfectum provideret. Eodem tempore Egil Ragnaris filius ad regem Knutum venit, ei suum ministerium, operam fidemque pollicetur: etenim hanc ipsam provinciam, inquit, majores mei, qui ante me fuerunt, ut notum tibi est, administraverunt. Cui rex: magna quidem statura es, Egil, speciemque viri principis præ

[1]) sic *M*; *Konúngaland*, *B*. [2]) add. *S*, *V*.

te fers, sed fortuna tibi haud omni ex parte successum spondere videtur. Quum autem te in rebus gerendis perquam strenuum esse sciam, comittam tibi eam, quæ in Borgundarholmo est, administrandam præfecturam, tu vicissim omnes expeditiones bellicas et negotia regia administrato; ita, detractis tribus villis, quas ibi possidemus, ceteras tuæ procurationi mandamus. Egil, hac conditione accepta, hujus provinciæ procurator existit, brevique magnam auctoritatem, magnam adseclarum multitudinem comparat, seque frequenti stipatorum numero circumdat; erat pecuniis liberalis, splendide vivebat, piraticam quavis æstate faciendo magnas opes sibi adquirebat, quas suis per hiemale tempus alendis insumebat; erat apud suos gratiosus, provinciam magna cum strenuitate defendebat. Sumtus, quos magnos faciebat, procurationis commoda exhauriebant; nam reditus habebat, præ quam antea fuerant, exiguos, sumtus faciebat multo majores. Hæc cum regi Knuto parum placerent, Egilem deminuere stipatorum numerum jussit, seque piraticam intra regnum abrogasse significavit.

Egil sangvinem bibit.

35. Aliqua æstate Egil, e regno cum duodeviginti navibus profectus, appulsa ad Vindlandiam classe, prædas agere cœpit. Vendi adversus Egilem pugnaturi se conglobant; congrediuntur, fit ingens prœlium, multi utrinque cadunt. Egil fortissime pugnavit. Congressi sunt navibus, quæque præfectum Vendorum vehebat, proxima navi Egilis fuit. Prælio quam vehementissime ardente, cum in ancipiti esse vulgo existimaretur, utri daturi manus forent, Egil e navi sua in faselum Vendorum transiliens, præfectum gladio percussum letali vulnere affecit, quo facto confestim in navem suam aversus resiliit. Vendi

in fugam conjecti; Egil eximia victoria ingentique præda potitus. Ille adeo erat lassitudine exanimatus, ut parum abesset, quin animo linqueretur; cumque in navi sua erectus sedebat, potum sibi afferri jussit. Famulorum aliquis respondit: tantus hodie intra navem tumultus fuit, ut omnia dolia nostra fracta, omnis in sentinam potus effusus sit. Egil: ego vero nihilo minus bibere potero, opinor. Minime, domine, famulus inquit, nam maximam partem humano sangvine et cruore commixtus est. Tum Egil surgit, galeam capite demtam in sentinam demergit, tresque ingentes haustus bibit. Quo facto, splendida victoria potitus, in Borgundarholmum revectus est; neque ei jam pecunia ad sustentandos milites suos defuit. Hujus rei fama passim divulgata ad regem quoque Knutum pervenit, multis præclaræ fortitudinis specimen, ab Egile editum, victoriamque ab eo partam collaudantibus. Rex, quum de potu Egilis audisset, subtristis evasit. Ex hac re Egil postea Sangvibibus appellatus est.

De Egile.

36. Egil, cum brevi se domi continuisset, ad regem Knutum conveniendum profectus est, a quo liberaliter exceptus fuit. Regi de itineribus ejus percontanti singula exposuit; libenter enim de expeditione sua, præcedenti æstate facta, disserebat. Dein sevocatum in secretum colloquium rex interrogat, an verum sit, sangvinem humanum ab eo haustum. Egil hunc haud vanum esse rumorem fassus, se parum antea hac de re cogitasse ostendit. Cur adeo male accidit? inquit rex. Egil: tanta me sitis ac lassitudo invasit, ut ferre posse pæne desperarem, nullus autem alius potus ad manum erat. Rex: incommodissime factum est, nam hac re christiana re-

ligio magnopere est violata, et vulgo dicunt, leviora delicta solere graviter a me puniri. Quoniam vero tua procuratio, qualis hactenus fuit, mihi bene placet, hac vice non tam severe, quam multis forte conveniens videbitur, in te animadvertam, solummodo hortans, ut Deo satisfacias, rem quam primum sacerdotibus fatearis, teque pœnæ ecclęsiasticæ submittas. Quod autem meum jus violatum est, id tibi remitto. Ceterum hæc res, quod humanum sangvinem bibisti, non mihi levioris culpæ videtur, quam si coctam carnem humanam comederis. Egil se ita facturum pollicitus, antequam digrederetur, regem ad convivium domum suam invitavit: spero enim, domine, inquit, si domum meam inviseris, felicitatem aliquam ad me redundaturam. Rex se vergente hieme adfuturum promittit. Egil domum revertitur, seque domi in Borgundarholmo per hiemem continet.

De rege et Egile.

37. Insequenti vere rex Knutus in Borgundarholmum profecturus iter comparavit. Interea Egil splendidum convivium præparaverat. Advenit rex magno cum comitatu. Ibi ingens erat triclinium, regii palatii instar, totum clipeis dispositis ornatum. Rex tres noctes convivio interfuit, et se magnopere hilarem præbuit. Domi proficiscentem Egil magnificis muneribus prosecutus est. Hic rex Egili: quid, quæso, Egil, inquit, an rei, de qua te proxime admonui, animum advertisti, ut delictum a te commissum sacerdotibus fassus sis, numenque Dei expiaveris? Cui Egil: non adverti, domine, inquit, oblitus scilicet. Rege, ne rem diutius differret, monente, Egil se gesturum morem significavit. Sic amice digrediuntur. Æstate proxime insequenti Egil ad piraticam faciendam excurrit, ingentique

præda potitus, autumno domum redit, jamque ad regem conveniendum non proficiscitur.

De Egile.

38. Rex Knutus, cum cognovisset, Egilem hac quoque æstate piraticam fecisse, graviter offensus est, quod vetuerat, ne qui suorum rapinas facerent, neu turbas intestinas excitarent. Itaque nuntium Egili misit, ut ad se veniret. Egil ad conveniendum regem Knutum proficiscitur; liberaliter a rege excipitur. Incipiunt inter se colloqui. Quærente rege, an piraticam instanti æstate fecisset, Egil ita esse fatetur. Rex: tu vero malam rationem ingrederis, qui te, more ethnicorum, in prædonem convertas, quod fieri a te veto. Audivi etiam, te magnam hominum multitudinem, quantam reges solent, circa te habere, itaque vivere, ut regum ferat consvetudo. Sic omnibus pæne fortunis consumtis, deficiente pecunia, in aliena involare; de qua re multi ad me venientes questi sunt. Placet igitur, inquit rex, ut asseclarum numerum deminuas, neque te insolentius, quam generi tuo conveniat, efferas; volo, omnibus in rebus modum serves, si nobis operam tuam dicare vis. Quomodo vero, Egil, se habet res ista, inquit rex, quam teneas oportet, de qua te aliquoties admonui? tune de ea satisfecisti? Hic Egil, vultum præ se ferens majorem in modum iratum: opinor, domine, inquit, etsi mentionem ejus rei sæpius coram me injicias, mihi ipsi rem meam maxime cordi esse. Reposuit rex: jam eventurum credo, quod tibi primo tempore, quum congressi sumus, prædixeram, te non omni ex parte fortunatum fore. Itaque quum tu tantopere tuum ipsius commodum negligas, tuo ministerio uti amplius minime volo, neque tu ab hoc tempore meam possessionem curato. Egil contra: mene procuratore utaris,

an non, penes te esto, domine; id autem mirum tibi forte videbitur, si non minus splendide vixero in sola re mea: nam absum, ut tuum ministerium te invito cupidius affectem. Cui rex: noli, Egil, tantos sumere spiritus; equidem colla obtorsi obesiorum[1] corporum, quam tu es; nostram dissui amicitiam, tuo magis, qvam meo, incommodo fore auguror. Nimirum præsagit mihi animus, inquit rex, fore ut accidat tibi aliqua res gravior, quam quæ adhuc de tua vitæ ratione innotuerunt. His dictis digrediuntur rex et Egil nulla cum comitate. Rex alium quendam præfecturæ Borgundarholmensi præfecit. Egil asseclarum numerum non deminuit, imo majorem magnificentiam ostentavit et homines aliquanto plures adscivit. Sic domi in re sua familiari vixit.

Jactura navis.

39. Eo tempore Olavus Tranquillus Haraldi filius Norvegiæ imperavit, qui in matrimonio habuit Ingiridam, regis Sveinis filiam, Knuti regis sororem, intima inter affines intercedente amicitia. Accidit aliqua æstate, ut navis aliqua magna et copiosa a Norvegia solveret. Hanc mercatores possidebant. Qui, meridiem versus in Daniam navigantes, orientem versus freto Orano pernavigato ad Borgundarholmum cursum direxerunt. Hæc navis postea disparuit, ut nulla ejus fama superesset, nullæque reliquiæ reperirentur, aliis alia conjectantibus, quid ea factum esset. Rex Norvegiæ regi Danorum, affini suo, nuntium misit, ut exploraret, quid de navi ista factum esset, quod ille se facturum pollicitus erat.

Mors Egilis.

40. Aliquo tempore rex Knutus, naves ali-

[1]) vastiorum, *V.*

quot ducens, Borgundarholmum profectus est, comitatus fratre Benedicto, item duobus fratribus, Sveine et Astrado, Danis, magnæ auctoritatis amploque genere, qui ex matre denominati Thorgunniades appellati sunt. Horum mater Thorgunna erat filia Vagnis Akii filii; quos fratres rex Knutus magnis in deliciis habuit. Igitur rex Knutus cum copiis ad Borgundarholmum contendit; cujus profectionis ea maxime caussa fuit, quod scire voluit rex, ecquid posset de nave Norvegica, quæ interierat, expiscari; cujus rei magnam curam rex Knutus habuit, vehementer scire cupiens, quid ea factum esset. Brevi spatio quum a Borgundarholmo abessent, insulas quasdam prætervehuntur. Huc, jubente rege, appellunt; egrediuntur in terram. Rex secundum petrosa litoris obambulans, cum saxa oculis contemplaretur, animadvertit, omnia rubicunda esse. Quærit a suis, qui ita esse putarent. Respondent: hoc tu, domine, haud, dubie optime perspexeris. Rex: veri simile existimo, hoc loco ignem larga materiæ copia aliquanto temporis spatio alitum fuisse. Fieri potest, ut eveniat, quod dudum animo præsagivi de re, quæ ad me et Egilem pertinet; neque jam est, quod dissimulem, ait rex, putare me, hanc rem humana opera factam, quod mox experientia docebit. Hoc loco in præsenti diutius non hærebimus. Itaque rex, quo constituerat, pertendit, propeque a villa Egilis Sangvibibi strui sibi convivium jubet. Egil domi suæ magnam hominum multitudinem habuit, atque magnopere mirabantur homines, posse tantum ab eo numerum sustentari, quippe cui, deposita jam piratica, opum parandarum minime facilis pateret occasio. Multa homines coram rege loquebantur de Egilis suorumque institutis, et intelligi potuit, ea regi mi-

nus placere. Hac eadem vespera rex Knutus misit, qui Egilem domi invaderent, præfectis Benedicto fratribusque Sveine et Astrado. Qui, centum stipati viris, proficiscuntur, donec noctu veniunt ad villam Egilis, qui cum suis ad mediam noctem potare consueverat. Benedictus ac sui, ad villam delati, accedunt ad triclinium, ubi Egiliani etiamnunc poculis adsidebant, ædemque corona cingunt. Egiliani, hostem adesse sentientes, ad arma concurrunt, sese defensuri. Sed ostendente Benedicto, optimum eis factu esse, sese dedere, Egil, intelligens eos ingentem hominum multitudinem adduxisse, egressus in potestatem eorum se tradidit. Itaque captus et a Benedicto ad regem deductus est; fratres, Svein et Astradus, remanebant, qui curarent, ne qui ex Egilis consortibus elaberentur. Ut vero Egil ad regem venit, rex loquitur: diu est, Egil, cum nos congressi sumus, et optarem nunc ultimum congredi. Cui Egil: ejus rei nunc quidem penes te haud dubie arbitrium est, domine; verum puto, inquit, te neque principem meliorem, neque regem potentiorem a quopiam existimatum iri, eo quod innocentes homines occidi jubeas. Tum rex Knutus voce moderata respondit: nunc me meam agendi rationem, Egil, præstare, credo, oportet; si innocentes homines occidam, ratio Deo reddenda. Verum tua res, Egil, jam eo devenit loci, ut tibi fastus et pervicacia frustra sit futura; ea te custodia tenemus, ut necesse tibi sit, omnem vitæ rationem, quamvis, ut puto, non pulcram, patefacere; nunc enim severius de ea re inquiremus. Age, exprome de sociis illis navalibus, quos clam a te tuisque necatos, quorum bona a te occupata putamus, quæ res nimis diu celata fuit. Quin etiam eo venimus, inquit rex, atque in illum ipsum locum,

quo loco rem commissam esse putamus. Hic Egil, intelligens, nihil reliqui esse, nisi ut rem, ut erat utque gesta fuerat, aperiret, quod sciebat, tot esse facinoris conscios, quorum aliqui haud dubie severiori inquisitione cogi ad indicium possent, ita respondit: hæc ipsa navis, de qua perquiritis, ad illam ipsam insulam, ad quam appulistis, quum staret, itinere mercatorum per exploratores cognito, quod Norvegi, utpote locorum imperiti, brevia recessu maris navigantibus periculosa ignorabant, ab æstu decedente noctu derelictam crepusculo lucis adorti sumus, inquit Egil, atque haud multa præfati, omnes homines, qui navi vehebantur, prehensos vinculis constrinximus, omnia bona diripuimus; quo facto navem in saxeam planitiem subductam, injecto igne, unacum hominibus combussimus, ne qua vestigia, præter sola quæ ruborem traxerant saxa, exstarent. Quæ ubi locutus erat Egil, rex Knutus: evenit, quod suspicatus eram, ut capitalis delicti manifestus sis. Spectate, principes, quomodo tam scelesta facinora a nobis puniantur. Aderant complures Egilis cognati, magni æstimati, qui pecunias pro vita Egilis obtulerunt. Quibus rex: nunquam audietur, numen Dei a me tam impie violari, ut paucorum amicitia inductus, pecunia me corumpi patiar, ut sententiam adeo injustam feram. Nonne hæc capitalia crimina sunt, quæ, si vel unus homo clam necatus fuisset, tamen capitalia essent, cum hic multos furtim necaverit, deinque se solis furtivis rebus aluerit? Et res erat ad refellendum difficilis, neque regi contra dicere ausus est quisquam. Itaque Egil in silvam abductus, erectaque furca suspensus. Quo facto rex ad villam, quæ Egili fuerat, profectus, Egilianos pœnis affecit, alios occidi, alios mutilari jussit, alios in exilium egit,

neminem, qui horum consiliorum aliqua pars fuisset, impunitum dimisit, eoque modo hunc maleficorum globum exstirpavit. Sed hoc facto magnum sibi odium conflavit, erant enim Egili et multi et potentes cognati. Posthæc principes a rege discordare et animos adversus eum obfirmare cœperunt, quorum exempla plebes secuta est; cives enim, licentia antea adsveti, ejus in imperando et puniendo severitatem ægre ferebant.

De rege Olavo et rege Knuto.

41. Æstate aliqua rex Daniæ Knutus et Olavus Norvegiæ rex, condicto loco et tempore conveniendi, in Albi congressi sunt. Accepta redditaque salute, colloquia inter se habere cœperunt. In aliquo congressu rex Knutus Olavo Norvegiæ regi sic loquitur: cogitavi, Olave affinis, inquit, nisi tibi res dubii eventus fore videatur, classem e regno in expeditionem educere, regni recordatus, cujus postulandi magnum jus nos cognati habere nobis videmur: Angliam dico, cujus magnam partem nostri cognati potestate tenuerunt, quandoquidem Knutus potens, cognatus noster, totam Angliam in potestatem redegit, eique regno ad mortem usque imperavit, et post eum filii sui. Ad hanc ergo rem tuo, affinis Olave, auxilio adjuvari cupio. Propono tibi hanc conditionem, ut hujus expeditionis princeps sis, eo quod multas habes injurias in Anglis vindicandas, tumque te copiis et auxiliis mei regni adjuvabo; alioquin egomet nostrnm utriusqne nomine expeditionis princeps ero, etsi minus sim ad eam rem idoneus, et auxilium a te copiamque militarem accipiam. Tum rex Olavus: hæc res, de qua aliquamdiu, rex Knute, egisti, in eventum probabilem instituta esse vi-

detur. Nam clare docuit experientia[1], tuos cognatos his locis insignem gloriam magna felicitate consecutos esse, quæ felicitas a fortuna meorum cognatorum valde discrepat; nos enim in eisdem locis eam fecimus hominum jacturam, ut irreparabilis sit. Igitur, quum, rege Haraldo patre meo expeditionem suscipiente, vulgaris existimatio fuerit, copias strenuiores nunquam e Norvegia in unam expeditionem eductas fuisse: quum eo tempore omnium rerum apparatus exquisitior, quam pro hujus temporis facultate, fuerit: quum militum, quales ille secum habuit, hoc tempore nulla facultas sit: quum accedat multo majus imperatorum discrimen, ejus, qui tum erat expeditionis princeps, regis Haraldi, et mei: quum denique non eo minus illius expeditionis exitus tam funestus fuerit, perspiciamus et intelligamus oportet, non esse, quod nostram fortunam in tam anceps dicrimen committamus, ut regno Angliæ vi potiri conemur. Quoniam vero, rex Knute, hac re non minus necessitati meæ consulere, quam tuæ voluntati satisfacere cupis, tibi ad hanc expeditionem sexaginta ingentes naves tradam, ex aulicis cohortibus meis, quotquot strenuissimi sint, delectis, qui navium virorumque delectus non minori diligentia, quam si ipse princeps expeditionis essem, instituetur. Cui rex Knutus: hæc, quæ a te dicta et oblata sunt, magno sunt, ut poterat exspectari, principe digna. Accipio conditionem, eventum rei Deo permittens. Multa inter se de publica regnorum Daniæ Norvegiæque ratione disserebant, de omnibusque rebus amicissime consentiebant. Decretum igitur est, ut rex Knutus expeditionem bellicam in Angliam

[1]) *raun*] conjectura; *rauns*, *B*, quod transpositis literis pro *rausn* (ut habent *S*, *V*) esse videtur. Tum verto: Nam ingens magnificentiæ documentum est.

faceret, de cujus expeditionis eventu variæ fiebant conjecturæ. His actis reges, muneribus inter se datis, amice digredientes, Olavus septemtrionem versus in Norvegiam, rex Knutus meridiem versus in Daniam rediit.

De rege Knuto.

42. Rex Knutus, nuntiis evocandarum copiarum per totum regnum suum dimissis, quantus militum numerus ex quoque territorio exiret, constituit, totius regni militarem et navalem copiam imperavit; itaque proxima hieme ingens in Dania belli apparatus fuit. Eirikus dynasta ceterique proceres se huic expeditioni una cum rege Knuto accingebant. Primo vere insequenti rex Knutus exercitum contrahi, omnesque copias in Limafjordum convenire jussit. Advenit hoc tempore exercitus Norvegorum, ut rex Olavus regi Knuto pollicitus erat, quæ manus et militari specie et eximio armorum ornatu excellebat. Interea Danorum contrahitur exercitus, qui magnam hominum multitudinem effecit. Rex Knutus, qui nondum ad exercitum venerat, misso ad copias expeditionales nuntio, præcepit, ut se opperirentur, spem faciens non opus fore suum adventum diu exspectari. Ita quum septem exiissent noctes, ut rex non veniret, Dani, quod abesset, moleste ferre cœperunt. Regis autem adventus ea de causa tardabatur, quod venerant ad eum nuntiantes, Vendos exercitum contraxisse, et insequenti æstate Daniam bello invadere statuisse, ad ulciscendas populationes ab Egile Sangvibibo in Vindlandia factas. Itaque rex Knutus ad Vendos miserat, qui pacis conditiones ferrent monens, ne Daniæ arma inferrent: etsi eorum non esset virium secum prœlio contendere, tamen multos homines noxam inde incommodumque accepturos; itaque velle inducias pacemque

inter regna fieri, ut neutri alteros bello persequerentur. His propositis legati ad Vendos revertuntur, quorum reditum rex, qui regno excedere, nisi sedato hoc bello, nollet, septem noctes exspectaturum significavit. Transit hæc hebdomas, legatis non redeuntibus. Interea Dani, qui ad exercitum collectitium hærebant, regis adventum exspectare pertæsi, magno sibi esse incommodo existimarunt, eodem loco frustra hærere. Qua de re cum principes diu collocuti essent, convenit inter eos, ut legatos ad regem mitterent, cui legationi Olavum fratrem regis præfecerunt. Ille, ad suscipiendam legationem invitus, putare se dixit, velle regem proprio arbitrio itinera sua, quicquid Dani obmurmurarent, instituere: opinor, inquit, regem meis verbis haud multum tributurum, qui monitis se parum facilem præbere, quicquid ei propositum fuerit, suoque judicio uti plerumque soleat, vos vero Dani sæpius vacillatis, neque admodum fideles estis. Etsi autem Olavus ista loquebatur, tamen, motus precibús amicorum, se iturum pollicitus est, et aliquot viris comitatus regem adiit. Rex Knutus, simul ut fratrem Olavum conspicatus est, suos allocutus: comprehendite Olavum, inquit, pedesque ejus compedibus vincite, atque ne elabatur custodite; nullum enim quod loquetur verbum audire volo. Mira res visa, cur fieri ita rex juberet. Tantum vero omnibus metum verba regis incusserunt, ut nemo jussa ejus non facere auderet. Postero die rex Knutus viros conducit, qui Olavum occidentem versus in Flæmingiam ad ducem Baldvinium, socerum suum, deducant, huic significari jubens, ut Olavum in custodia retineat, nec unquam eum, nisi jussu suo, ex vinculis, in quæ conjiceretur, elabi patiatur. Hic multi interpellantes: hæc sententia, domine

rex, inquiunt, quam de hoc homine pronuntiasti, nimis aspera nobis videtur, neque enim videmus eum tam certis teneri criminibus, ut tali carceri includi meruerit. Rex contra: coram populo crimina Olavo minime sum objecturus, quæ an aliqua sint, Deus omnipotens novit. Fieri quidem potest, inquit, ut melius quam ego noveritis, qualis ejus vita sit; sed mea, inquit rex, opinio est, non diu fore, cum ipse Olavus de vitæ suæ ratione testimonium ferat. Hi, quibus præceptum a rege erat, Olavum occidentem versus in Flæmingiam deduxerunt, ducemque Baldvinium adeuntes, mandata regis Knuti Olavique recipiendi tesseras ostenderunt. Dux, regis mandato parens, Olavo in altam aliquam turrim incluso custodes apposuit; in qua arcta custodia Olavus aliquantum temporis consumsit.

De copiis a Knuto evocatis.

43. Nunc ad eos redeamus, qui Olavum Sveinis filium ad regem Knutum comitati erant. Hi calamitate, qua affectum Olavum videbant, perterriti, cursu se abripuerunt; venientes ad copias expeditionales rem, quæ acciderat, nuntiant; addunt, nunquam regem Knutum adfuturum: nunc ostendit, inquiunt, qua virtute sit; patravit facinus indignissimum, rari (quod melius) exempli: fratrem innocentem, reipublicæ administrandæ egregie idoneum, comprehendit et in vincula conjecit, veritus, ut putamus, ne principes eum potius, quam se, regem agnoscere velint, quod futurum sit, ut respublica Danica eo rege melius floreat, civesque a tam impotenti dominatione liberentur. Quum milites hoc nuntio vehementer commoverentur, principes, advocata concione, de re, quam agere rex instituerat, sermonem habuerunt. Singulis quod visum esset proponentibus, quidam principes aperte de-

monstrarunt, rempublicam Danicam rege Knuto nunquam vires assumturam; multo plures, etsi eodem quo ceteri animo essent, invidiam, qua regem prosequebantur, non tam manifesto prodebant, ut a multitudine repeti posset. Jam, quid capiendum consilii esset, cum multa essent a militibus disputata, essentque principum quidam, qui dicerent, se copias dimissuros, domumque redeundi veniam militibus concessuros: multitudo colonorum uno consensu exsilire, optare, ut nunquam secunda fortuna uteretur, qui eo loco diutius hæreret, se invitos in hanc expeditionem isse dicere. Hortantibus Norvegis, ut exspectarent moramque æquo animo ferrent, neu regis haud dubie brevi adventuri jussa irrita redderent, Dani acclamabant, Norvegos quantum liberet temporis illo septo inclusos fame macerari jubentes. Post hæc copiæ dilabi, omnes Dani velis sublatis suas quisque domos avehi; quo quisque celerius domum reveniret, eo sibi magis placere. Ut vero primum dilapsæ copiæ erant, rex Knutus in Limafjordum venit, classe Norvegica etiam tum eo loco manente. Qui regem adeuntes summa comitate salutarunt. Rex, Danis vehementer iratus, quod expeditionem dissolvissent, sic locutus est: nunc Dani, ut sæpius, qua fide sint, ostenderunt, quandocunque hoc rependere possumus. Rex, quamvis vehementi ira incensus, tamen verbis bene temperavit, quod facere semper consvevit, etsi intervenirent res, quæ ei impensius displicerent. Norvegi operam suam regi obtulerunt, quo ipsi placeret se ituros polliciti. Quorum studio et virtute collaudata, quodque domini ac principis sui jussa cum fide servassent, domum eos in Norvegiam redire rex jussit, ingentesque pro adventu eorum gratias egit, addens, se Danosque

aliquid negotii posthac inter se commutaturos. His gestis Norvegi in Norvegiam reverterunt. Rex Knutus, multis comitatus, in Selandiam rediit. Tum, quos in Vindlandiam miserat, ad eum reversi, nuntiarunt, Vendos grato animo oblatam ab rege Knuto pacem et reconciliationem accepisse, eosdem ideo copias evocasse, quod, cognito, eductas in Dania copias ad expeditionem, quo se rex inclinaturus esset, dubium existimassent; quam ob causam verba amicitiam testantia insuperque eximia munera regi remisisse. Quibus cognitis rebus rex Knutus magno opere lætatus est.

De rege Knuto.

44. Post hæc rex Knutus meridiem versus in Fioniam profectus, habito colonorum conventu, eos vehementer incusavit, quod se contumelia, ut putabat, affecissent, gravissimas pœnas minatus. Eirikus dynasta causam colonorum apud regem agebat, excusans, factum non erga regem malevolo animo: solet, inquit, ut notum tibi est, domine, multitudo recentibus sermonibus moveri, novaque consilia maxime probare; jam vero nuntium acceperant, te ad exercitum eo loco contractum nunquam adfuturum. Dynasta multa hac de re verba fecit, causamque colonorum benigne et fideliter egit. Rex, qui, majorem in modum offensus, verbis haud facile adiri posset, significavit, colonis quidem reconciliandæ secum gratiæ locum fore, se vero sibi soli arbitrium decidendi reservare. Post hæc, cum coloni rem solius regis arbitrio decidendam permisissent, rex graves multas eis, quos gravissimis criminibus insimulasset, irrogavit. Sic multi, magna pecuniæ summa multati, etsi hanc iniquissimam esse conditionem existimarent, tamen optimum factu esse duxerunt, quem in lo-

cum deducta res jam esset, solius regis decisioni aequiescere. Rex Knutus autem eis minime pepercit, nam in unumquemque, sive amplioris, sive humilioris conditionis esset, pro ratione delictorum animadvertit. Quam principes nimiam severitatem ducentes, alienatos animos ei opposuerunt, neque tamen quisquam regi contra dicere ausus est.

De rege Knuto.

45. Inde rex Knutus meridiem versus in Jotiam profectus est, quo ad eum magnus venit militum numerus. Hic cum solito majorem copiarum multitudinem haberet, sicubi diutius commorari vellet, convivia imperavit, omnemque sumtum colonis injunxit. In quovis territorio, conventu colonorum habito, eadem illa crimina proponit et in colonos jactat, dicens, se contumelia ab eis affectum, quod debitum officium ei præstare noluissent. Rex longa, diserta et aspera oratione colonos incusavit, cujus verbis fecunda inerat criminum jaciendorem materies. Coloni pro se respondere, singulaque crimina a se amovere; et tamen altera ex parte intelligebant, se cum rege Knuto contentione agere non posse, quod magnam habebat hominum multitudinem; multos enim ad se principes advocaverat. Nam tum cum rege Knuto versabatur Eirikus dynasta, frater ejus, [et Benedictus[1], Svein et Astradus Thorgunnæ filii; erant et apud regem Knutum duo fratres, quorum alteri nomen erat Palmari alteri Blakkmari, Edlæ reginæ, quam rex Knutus in matrimonio habebat, coalumni, staturæ viriumque magnitudine excellentes, magno honore a rege habiti. Multi apud regem erant viri magnæ auctoritatis.

---

[1]) omitt. *S, V.*

De Thordo Skorio[1].

46. Vir erat nomine Thordus Skorius, item alter Tolar Verpil, præfecti regis Knuti in præfectura Hjarandii, in Vendilskagio ad occidentem sita, quæ Jotiæ lingula est in occidentem versa. Eadem præfectura præ ceteris Daniæ provinciis inops est. Indidem oriundi Asbjorn dynasta et Eyvindus Bivra, qui loco, postea Tabernis Asbjorneis et Eyvindeis dicto, educati fuerunt. Thordus ac Tolar fama cognoverunt, regem Knutum in Jotia versari, eundemque, quacunque iter faceret, comitia et conventus colonorum habere, hisque ingentes multas irrogare. Audiunt etiam, statuisse regem incolas Vandilienses eodem, quo ceteros, loco habere. Quibus rebus commotus Thordus comitia colonorum indicit, omnes suos asseclas, in quibus plurimum esset consilii et auctoritatis, advocat. Positis comitiis, quo magna advenerat hominum multitudo, surgens Thordus Skorius hunc in modum verba facit: vos haud dubie nuntium accepistis de rege isto, qui rapinis et populationibus regnum peragrat, magna ad se collecta perditorum hominum[2] colluvie; quod cum multis gravissimo damno sit, sperandum est, ipsi multo perniciosissimum fore. Nam pæne nullos secum bonos viros habet, unde vix dubitandum, fore paucos, virtutis et honestatis studiosos, qui suam ei operam collocare velint. Est enim perfidus, et dominationis adeo avidus, ut modum tenere nesciat, jure pirata, potius quam rex, appellandus: alios principum interfe-

---

[1]) Dorrii, *constanter M.* [2]) *Vendil fólki*] Cum h. l. sermo non esse possit de incolis territorii Vendiliensis, secutus sum lectionem Cod. msc. *S, V, vendisfólki*, quod de malis hominibus haud raro usurpatur, confer *vendis*(*uændis*)*menn*, cap. 73. init., sec. Fragm. membr. *F, Fornm. S.* 9, 380, *Njálssaga* (Havn. 4to 1772) p. 137. var. lect. *C.*

cit, jureque cæsorum loco habuit, ut cognatis nullus sit locus satisfactionis, alios nullis criminibus e regno ejecit, omnes oppressione vexatos in servitutem redegit. Quæ servitus et tyrannis nunquam, quoad vivet, cessabit; et mirum est, æquo animo ferre cives, quæcunque demum nefaria facinora patrare incipiat. Igitur ipse, quid sentiam hac de re, aperiam, nolle me impotenti ejus dominatione opprimi, quippe qui intelligam, inopi illi multitudini, quæ inter nos versatur, minime expedire, eisdem, atque ceteris in locis obtinuere, oppressionibus vexari. Quare, cum hæc loca, uti nostis, non sine magna difficultate adiri ob paludes lacusque possint, si idem mecum sentitis, inferri nobis invidiam domi desides ne patiamur. Audire libet vestram hac de re sententiam, utrum consiliis a me propositis adstipulari, an aliam insistere rationem velitis. Illi affirmare, in re tam dubia ejus auspiciis obtemperaturos: sumus enim diu experti, tuam administrationem bene nobis profuisse. Thordus porro: rem adeo difficilem, ut hæc est, solus aggredi nolo; est universis uno consensu adgredienda. Si enim rex Knutus huc veniet nos iuvisurus, et vobiscum colloqui cœperit, futurum puto, ut negotium suum sic agat, ut quæ loquatur verissima esse existimetis; est enim disertus, consiliis plenus et perquam astutus; itaque calliditate consiliorum vos superabit, neque facile vobis ab eo cavebitis, si loquenti aures præbueritis. Jam postulo, quo vestram erga me fidem confirmetis, ut quicunque, qui aliquid possideat, omnes suas pecunias mihi det custodiendas, donec res ad exitum perducta fuerit. Quod si fideles erga me eritis, hæc, quæ jam locutus sum, observantes, res vestras recipietis. Sin fidem mihi datam fefelleritis, mea quidem sors haud in ob-

scuro est, vobis autem rex, si hæc consilia resciscet, graves pœnas irrogabit, quæ, facta vitæ gratia, meritæ existimabuntur. Respondet Tolar Verpil: novimus multitudinis hac de re sententiam, nolle quempiam negotia sua regis arbitrio permittere, etsi tantos spiritus sumat, ut totum hoc regnum infestis armis peragrare in animum inducat. Celere aliquod consilium capiendum esse censemus; placet, te, Thorde, utpote nostrum sapientissimum, universæ hujus multitudinis ducem esse. Tum Thordus: an hæc omnium, quotquot huc jam convenerunt, voluntas et consensio est? Affirmant omnes, qui aderant. Primum omnium eam ineundam rationem censeo, inquit Thordus, ut exercitum collectitium contineamus, neu quemquam, qui huc advenerit, discedere patiamur, sed potius plures adsciscamus; dein ad amnem, qui transeundus regi est, si huc ad nos proficisci cogitat, contendamus, regiosque huc trajecturos transitu prohibeamus. Inde finitis comitiis, universam istam multitudinem ad trajectum amnis movent. Hic cognoscunt, inde haud longe abesse regem, prædio, Sævarendio dicto, sito in interiori sinu Limico, convivantem. Dimissis speculatoribus, quid ageret rex quotque stipatus militibus esset, explorant.

De rege Knuto.

47.[1] Rex Knutus, ut ante dictum, Sævarendii convivans, legatos ad Vendilskagios[2] mittere, eisque multam imponere decreverat; cui legationi fratres, Sveinem et Astradum, Thorgunnæ filios præfecit. Qui sexaginta viris comitati, nullo de contractis a Thordo ac Tolare copiis nuntio accepto, ire perrexerunt, donec ad magnum quemdam amnem venerunt. Erat ab

[1]) Hoc loco incipit prius folium Fragmenti *G.* [2]) Vandilskagios, *G.*

altera parte amnis ingens multitudo hominum plena armatura instructorum, qui, quo tempore fratres equis ad amnem devehebantur, aciem in ripa juxta vadum instruere cœperunt. Hic Svein Thorgunnæ filius: hi obviam nobis, opinor, procedere cogitant, tributum ac stipendium soluturi, gnari videlicet, nos locorum imperitos esse; qui cum longe melius, quam multorum tulit opinio, de nobis mereantur, causam eorum (apud regem) benigne interpretabimur. Cui Astradus: pendet animus, nam dubiæ fidei mihi esse videntur. Quos inter se colloquentes quum Thordus ac sui audissent, Tolar Verpil infit: ne tam subita lætitia efferamini, spero enim vos eadem quæ meruistis stipendia hinc relaturos. Nam rationem plane inauditam insistitis, qui universum populum sub jugum servitutis mittere cogitetis; quæ ratio in vestra ipsorum capita recidat, necesse est. Vulgo quidem homines segniores, quam res postulat, sunt (ad propulsandam injuriam), alibi vero magis, quam hic, iniquitati vestræ locus erit; quare, si audetis, procedite! Tum Svein Thorgunnæ filius: hi insolentia verba jactant; quid faciendum censetis? nonne amnem transire conabimur? Huic Astradus: evenit, quod suspicatus eram, hos nullum nobis stipendium, quod ex usu regis sit, allatum ire; neque periclitandum amnis trajectum existimo, quum ingentem habeant multitudinem, quumque nunc cuivis appareat, quid animo agitent. Svein: at rex mandatum nobis negotium haud peractum, uti est, judicabit, si non plura inter nos agitemus; mea sententia est, ut non soli verborum insolentiæ cedamus, sed omnino procedere contendamus. Sic faciunt. Illi confestim tela saxaque jacere; equitantium processus impediri, tegimenta militaria (scuta loricæque) contundi, corpora conjectu telorum vulne-

rari. Hic Astradus: revertamur, inquit, id quod antea facere satius fuisset. Svein, id nunquam se facturum testatus, calcaria equo subdidit. Sed Astradus, qui rem in summo periculo versari intelligeret, arreptis freni habenis, conversoque quo Svein vehebatur equo, procurrentem retraxit, eximioque quo valebat virium robore omnes resistendi conatus irritos reddidit, quo factum est, ut omnes comites eorum se reciperent. Svein, maxima æstuans ira, iter remensus est, donec regem Knutum convenit. Huic exitum negotii renuntiant. Rex, ad proficiscendum a convivio, quo Sævarendii exceptus fuerat, paratus, verbis suorum graviter offendebatur. Svein, vehementer furens, regem hortabatur, ut arcessitis undique militibus, adversus hos homines duceret, commissoque prœlio nebulones istos ab se propulsaret: inaudita res est, inquit, istos, qui nullius sunt pretii, tumultuose insurrexisse bellumque tibi intulisse; quibus eam calamitatem afferre debemus, cujus memoria diu infixa hæreat. Rex: jam Svein furore raptus est; at vero, etsi talia demeriti sunt, tamen aliam prius rationem inibimus, quam ut cum subditis meis confligam. Iterum nostros ad eos mittemus, quo facto hic tumultus residet; ego, ut constitueram, boream versus in Fioniam proficiscar. Rex, advocato principe, nomine Tolio, generis nobilitate et urbanitate conspicuo, huic loquitur: tu ad Vendilskagios proficiscitor, eosque jubeto domos suas redire, collectum exercitum dimittere, deinque convenire me, ut controversias inter nos transigamus. His confectis rebus rex Knutus septemtrionem versus in Fioniam profectus, ea loca convivando obiit. Tolius, sexaginta viris stipatus, suum quoque iter persecutus est.

Cædes Tolii.

48. Hoc de profectione Thordi Skorii ac Tolaris narrandum, quod, qua Thorgunnæ filii præcesserant, eodem itinere subsequebantur, omnibus hominibus palam facientes, se multitudinem istam adversus regem Knutum ducturos. Hæc multitudo magno furore iter faciebat; et ut quisque hanc novitatem fama acceperat, sive eo forte advenisset, sive antea ibi constitutus esset, accurrere et societatem expeditionis flagitare. Inde brevi tempore ingens globus hominum colligebatur, qui, quocunque venirent, omnia quæ postulabant impetrarunt. His cognitis Tolius ac sui, qui interea prope ad oppidum aliquod accesserant, exercitu conspecto eodem ingressi sunt, oppidanis hortantibus, monentibusque, hos qui exercitui præessent nihil non ausuros. Tolius cum aliquot suorum in turrim quandam adscendit, prætereuntem multitudinem oculis lustraturus, ut quam exactissime numerum copiarum cognosceret; ex eodem loco negotium sibi a rege demandatum perorare statuit. Thordus ac sui, jam antea edocti, missos ad se aliquos a rege, quoque se tum loco continerent, oppidum prætereuntes exercitum sistere gradum jubent. Percontans Thordus, ecqui regiorum in oppido essent, audit adesse, seque convenire velle; itaque magno cum globo hominum in oppidum adscendit, prope ad turrim, in qua stabat Tolius, accedit, quid proponere negotii velit, quærit. Tolius sic locutus est: quo hanc multitudinem ducere cogitatis? multi magnopere scire gestiunt, quam ob causam aggressi sitis turbas intestinas in patria concitare; et vero tu haud dubie causam incepti vestri exponere non vereris. Thordus contra: recte conjicis, Toli, ea me virtute et libertate esse, ut aperire tibi, quamvis regi

amicitia juncto, hanc rem audeam. Ab hoc itinere non prius desistere statuimus, quam regem, si nos opperiri audeat, conveniamus, atque, si res ex sententia cedat, faciemus, ne rex Knutus salvus evadat. Tolius: hæc ratio ut est infelicissima[1], ita vos, sic facere perseverantes, in merita mala conjiciet. Immo quod vos oportet faciatis: hoc funestum consilium quam celerrime abjicite, nullo enim pacto committendum est, ut qualem habemus dominum adeo excellentem odiis persequamur. Ei potius quam possumus maximo studio operam navemus, quod nostri officii est, qui regem habeamus potentem et imperii diligentem, fidelem et bene moratum, prudentem et liberalem, omnibusque in rebus ceteris omnibus hujus terræ incolis humanitate instructiorem. Tum ipsa experientia testimonium de rege feret, veriora dicere, qui bene de eo loquantur, quam qvi vituperent[2]. Jam rex omnibus hominibus, qui ejus imperio subjecti sunt, quique aliquid in eum deliquerint, pollicetur, potestatem secum redeundi in gratiam concessurum; postulat, id quod consentaneum est, ut subditi causam suam ejus arbitrio et potestati permittant; leges juraque prisca patriæ vobis Danis inviolata servare, vestro vicissim obsequio et fideli præsidio uti vult. Agite, considerate quid vos deceat! Etsi nunc magnam habeatis hominum multitudinem, cum rege Knuto certaturi fortunam minime obsequentem experiemini, id quod usu venit eis, quibus major potentia, majoresque spiritus, quam vobis, fuerunt. Per ego vos Deum oro, cives, vestramque necessitatem (salutem), inquit, hunc tumultum reprimite, redite in gratiam cum rege vestro; quod vobis etiam nunc facile erit, dum vos factorum pœnitere animadvertet; etenim quo

[1]) nefaria, *S*, *V*. [2]) Hic explicit primum folium Fragmenti *G*.

quisque gravius in eum deliquit, eo majori clementia uti solet; et nos quoque vestram causam, quantum poterimus, interpretabimur, si nostris admonitionibus obsequi velitis. Ut finem dicendi fecerat Tolius, Thordus Skorius excepit: vir iste jam diu multa verba, eaque falsa pleraque, jactavit; hic re vera deceptor est, cujus verbis fidem ne adhibeatis, quippe qui subornatus ab rege, ut causam ejus agat, fidem talium rerum aliis se facere posse cogitet. Quam ob rem his, quæ proponit, animum nulli advertamus! Hic quum multi faterentur, Tolium bene verba fecisse veraque esse locutum, verbisque ejus obtemperandum, et in gratiam cum rege redeundum: Thordus ereptam e manu adstantium alicujus hastam in turrim, quo loco Tolius constiterat, subjecit; quæ medio corpori illapsa mortem homini extemplo facessivit; in quo magnum damnum factum esse, complures judicarunt.

De Thordo Skorio.

49. Post hæc Thordus ac Tolar ire perrexerunt, donec Sævarendium, ubi convivio interfuerat rex Knutus, pervenerunt. Hic opulentum erat prædium regium, a procuratore regis administratum. Procuratorem interficiunt, omnia bona diripiunt; audiunt, regem Knutum, parum comitatum, septemtrionem versus in Fioniam profectum. Missis nuntiis ad proximos principes potentesque colonos, significant, quem in locum ratio hujus consilii deducta esset, hortantes, ut acceptarum a rege Knuto injuriarum memores essent. Omnes magno opere mirabantur, tales homines, nulla pæne re insignes, rem adeo ingentem aggressos. Nunc evenit, de qua re supra scriptum est, multos principes grave odium in regem Knutum concepisse; nam quum exerceri ab eo jus non paterentur, hoc solo ferme

incitamento instigati plerique ad rebellionem adversus eum celeres erant. Igitur, ut quisque has res fama accepit, sese comparavit; unde factum est, ut paucis diebus tanta convenerit multitudo, ut numerus haud facile posset iniri; in quo numero multi erant etiam insignioris notæ principes. Advenerat Asbjorn Danorum insulanorum dynasta et Eyvindus Bivra, ex quorum cognatis, amicis et notis, qui ex occidente a Vendilskagio advenerant, complures in exercitu Thordi versabantur. Hic Asbjorn dynasta omnem curam hujus multitudinis suscepit. Quo facto exercitum septemtrionem versus Randarosum moverunt, ibique aliquot noctes sunt commorati; eodem magnus copiarum numerus ad eos confluebat.

50. Rex Knutus ad boream in Fionia versans, cognovit, Tolium interfectum, copias a colonis contractas, principes multitudinem in se concitasse, invictumque exercitum habere, seque unice peti. Quum vero copias ex proximis territoriis, gravibus additis minis, ad se vocaret, universi unum responsum prætendebant, se neutris, neque regi, neque colonis, opem laturos. Rex Knutus etiam nuntios ad Edlam reginam, uxorem suam, misit, eamque regno quam primum excedere, abductoque secum Karle, ipsius regisque Knuti filio, et omnibus quas posset rebus mobilibus, cimeliisque, quæ commode auferre posset, secum asportatis, in Flæmingiam ad patrem Baldvinium Ducem concedere jussit.

De colonis.

51. Jam de colonis horumque exercitu narrandum. Hi, Randarosi versantes, naves comparabant, copiasque boream versus fretum transportare cogitabant. Hic Asbjorn dynasta, advocata concione, milites his verbis adlocutus est:

quam rationem hujus congressus, qui habendus cum Knuto vobis est, insistere cogitatis? Qui etsi exiguum præ ingenti illo, quem vos habetis, numerum copiarum habeat, tamen aliud quodpiam excogitandum consilium est, si res successu non carebit; habet enim copias viritim lectas et rei militaris peritissimas. Regem Knutum, jam nunc per speculatores de nostro itinere edoctum, et consiliis plenum et ad fraudes acutum experiemini. Quam ob rem e ratione esse duco, aliquem e nostris virum prudentem cum pacis conditionibus ad regem mittere, qui numerum copiarum ejus et quæ agitet consilia cognoscere possit. Quæ ratio cum omnibus mirifice placeret, ceterique hanc profectionem inviti susciperent, dynasta locutus est: nonne e ratione fuerit, me, qui cum rege sæpius dolis contenderim, hanc ad eum suscipere profectionem? Dein dynasta, aliquot comitatus, navigio fretum trajecit; ceteræ copiæ postea transfretarunt, tum præfecto militum Eyvindo Bivra, quo nemo in regem malevolentior aut maledicentior erat, ad rem quam primum maturandam acerrimo hortatore. Constitutum est, ut dynasta, convento rege Knuto numeroque copiarum ejus et consiliis exploratis, ad exercitum rediret. Ut vero copiæ se ad navigandum Randaroso comparabant, Thordus Skorius Tolari Verpili, sodali suo: jam nos cum nostra manu redibimus, inquit, tot enim huc advenere viri potentes et insignes principes, ut nostræ auctoritati parum tributum iri putem. At tamen profectione nostra rem magnam consecuti sumus; nam maxima spes est, hunc exercitum non ante stiturum gradum, quam perfectum fuerit id, in quo summa omnium salus ac fortuna consistit, cædes Knuti regis. Dein suos ab exercitu segregarunt et digressi sunt, nemine in

tanto militum tumultu ac vociferatione animum advertente.

De Asbjorne dynasta.

52. Ceterum Asbjorn dynasta cum suis ad regem Knutum profectus, ut primum ad eum venerat, regem adiens salutavit. A quo non reddita salute, dynasta sic loquitur: audivisti haud dubie, domine, cœptatam esse adversus te rebellionem, quæ tanto opere invaluit, ut complures ex proceribus perduellium partibus se adjunxerint. Quorum hominum rationem et periculosissimam et flagitiosissimam esse judicamus. Neque vero infitias eo, domine, me hujus multitudinis globo immiscuisse; quæ multitudo tanta perversitate et insania agitur, ut sanis consiliis animum advertere dedignetur. Eam vero ob causam horum globo me immiscui, quod speculatorem agere volui, ut sic eorum consilii rationem diligenter explorarem. Verum enimvero eum animo statutum habueram, quod me decere meique officii esse scio, nunquam fidem tibi datum fallere, sed te confestim adire, remque quo esset loco significare, tibique auxiliis forte indigenti omnem quam possem opem adferre. Jam rem tuam cura, et aliquod utile celereque consilium arripe. Rex ei gratias egit, testatus, eum majorem pietatem, quam alii opinati essent, hac in re ostendisse. Quidve tibi, dynasta, potissimum e ratione esse videtur? age, aliquid in medium profer; es enim vir prudens, modo ut fides tua dictis respondeat. Dynasta: non habeo quidem quod tibi suggeram consilium, mei vero officii est, quæ potissimum e ratione esse existimem, proponere. Exiguas habes, quanquam admodum lectas copias; qua re sic comparata, rationem svadere puto, ut, ubi valentius regni robur est, eo concedas, quo facto copiis auctus

Q 2

cum colonis congrediare, ut scelerati isti verberibus castigati ad sanitatem redeant. Quo consilio ab Eiriko dynasta multisque aliis principibus probato, Benedictus, frater regis, respondit: absit, ut Danis unquam cedentes in fugam nos conjiciamus; primum svaserim, ut hic dynasta comprehendatur, ne salvus elabi possit; et mirum sane est, te, domine, verbis Asbjornis dynastæ, quem proditorem et perduellem esse pervideo, fidem habere. Cui rex: hoc, Benedicte, consilio utemur, congressum hostium nostrorum non vitare, qui qualis futurus sit, penes Deum esto. Tu vero, Asbjorn dynasta, eodem itinere ad colonos reversus, his indica, me velle cum eis in gratiam redire, meque ex mea parte has conditiones offerre, ut pleno in omnes partes jure fruantur, quemadmodum priscæ Daniæ leges jubeant, sic enim superiores regni præsides fecerunt; si quid autem est, in quo eos accusem, id mihi decidendum reservo, neque colonorum arbitrio submitto. Hæc apud colonos propone, qui si pacem reprobabunt, celeriter redi, teque mihi fidelem præsta, hoc enim tui officii est, cum mihi subjectus datam a me provinciam obtineas. Sin vero secus feceris, Deus tibi vindex erit, multique de fide tua dubitant. Huc celeriter ad me redi, te enim hoc loco exspectabo. Ego vero, domine, inquit, celeriter cum omnibus meis redibo, si meis obsequi verbis nolint[1], nunc enim tibi auxilio opus. His dictis regem inclinato corpore veneratus ad suos discessit. Serum erat diei, cum digressi a rege sunt. Gesta sunt hæc in Fionia, loco qui Odinsveum (Othinia) dicitur, ubi rex cum omnibus copiis convivans noctem transigebat.

---

[1]) *þèr vilið*] legendum putavi *þeir vilja.*

De proditione.

53. Asbjorn dynasta ire perrexit, donec colonos conveniret. Tunc multitudo fretum Medalfarense trajecerat atque navibus egressa erat. Quærentibus de numero copiarum regiarum et consiliorum ratione, dynasta quæ resciverat significavit, fatens se nescire, quorsum res ejus (regis) sint evasuræ; indicat, ubi se contineat rex, et quo loco pernoctaturus sit; dicit, jam adesse ejus invadendi opportunitatem; [hortatur, ne diutius moras nectant[1]; sperare se, si cœptis eorum fortuna velit adspirare, rem jam propemodum profligatum iri. Coloni quoque tanto furore stimulabantur, ut regem extemplo adgredi vellent. Jam venerunt ad amnem, oppido Odinsveo proximum, quo loco rex Knutus [convivio intererat[2]; qui amnis Kalva dicitur; huc coloni bene mane, brevi post ortum solis, pervenerunt. Hic Asbjorn dynasta, concione advocata, coram multitudine hunc in modum verba fecit: regem Knutum, ut notum vulgo est, adiens consilia ejus et numerum copiarum exploravi. Qua de re hoc referre habeo, quod cum rege collocutus ex verbis ejus animadvertere mihi visus sum, eum nemini jus suum reddere velle, quippe qui vobis colonis ultima quævis, simulatque occasio ferret, denuntiaverit, nec unquam graviores in vos Danos, quam hoc tempore, minas jecerit. Altera vero ex parte hoc dicere vobis habeo, quod, quantum oculorum judicio conjectare est, fatali necessitate regem præpeditum arbitror; erat omnino consilii inops, quod ei antea non accidit, est enim vir prudens; idem, etsi exiguum habeat militum numerum, tamen se solum omnia posse efficere arbitratur. Jam fieri potest, ut his rebus celeriter finem fortuna imponat, quo facto

[1]) omitt. S, *V.* [2]) hospitabatur, *S, V.*

apparebit, an hic, qui nullius hominis monitionibus locum dat, sibi solus sufficiat. Nunc igitur hoc solum vobis reliquum esse censeo, ut regem adoriri ne differatis. Ego meique comites primi impetum dabimus; hæc enim res ut confiat, summam postulare necessitatem judico; neque ullius pretii est, qui timeat in se admittere hoc facinus, cædem Knuti regis. Quot, quæso, huc principes convenere, quos non graviter læserit, quorum cognatos aut affines non interfecerit, quorundam bona occupaverit, aliave contumelia adfecerit? Quorum si memores esse non vultis, verborum adhortationes frustra erunt. Vivo rege Knuto, hac in terra libertatem nunquam recuperabimus. Qui si vobis crudelis videbatur, quum levius deliqueratis, cogitate, quæ vobis conditio destinata sit, si rex salvus evadat. Vere vobis affirmo, si rex Knutus imperio Daniæ iterum potitus fuerit, fore ut a nonnullis, qui nunc huic rebellioni facem addunt, crudeles pœnas expetat. Cujus periculi quum immunes esse libenter cupiamus, eum volumus regem, qui sit in omnibus rebus moderatus, neque nimiam in nos dominationem exerceat, neque quantam hic rex severitatem ostendat. Quum dynasta finem dicendi fecerat, Eyvindus Bivra excepit: hujus viri sermoni nos jam aliquantum temporis aures præbuimus, qui et prudens est et benevolus, hujusque exercitus princeps. Cujus salutari consilio, re tam diligenter præparata, utendum est, ut hoc propositum confieri possit. Jam se populus tam aperte regis hostem declaravit, ut nunc periculosum sit, ejus fidei se committere. Neque vos celatos volo, me regi arma intentare, neque has partes aliis demandare statuisse, et præsagit mihi animus, fore ut beneficio fortunæ compos voti fiam. Quum Eyvindus orationi suæ

finem imposuisset, alii ex aliis surrexerunt et verba prolixe fecerunt; quorum singulorum oratio eodem, quo intenderat dynasta, devenit; neque tum Danos verba insolentia defecere, omnibus vehementer hortantibus, ut rex Knutus vita privaretur. Tali igitur proposito animi multitudinis incitabantur.

De rege Knuto.

54. Interea processit dies, ut tempus missæ celebrandæ adpeteret. Tum rex Knutus missæ officio interfuturus ad ædem sacram se contulit. Hic quærenti, quid de rebus colonorum animadverti oculis posset, sui significarunt, concilium ultra amnem habere. Rex: at non advenit Asbjorn dynasta, amicus noster, qui de pace, si sperari non possit, certiores nos faciet. Benedictus respondit: at vero ille nihil boni nobis afferet; quem ut liberum dimitteremus, maxime fecimus inconsulte, quemadmodum primo statim tempore vobis significaveram. Rex hanc rationem sibi haud inconsultam videri, hominisque fidem haud vacillaturam asseruit. Dein rex ad missam se contulit; qua celebrata nuntiatum est, exercitum colonorum amnem trajecisse, magnaque vehementia ad oppidum ruere. Tum rex: quid consilii capiemus? jam dubitari non potest, velle colonos bello nos petere; quod quidem bene accidit, cum pacem civium nimium turbaverim; etenim nunc manifestum est, quid sibi hi homines velint. Excepit Eirikus dynasta: auctor sum, domine, ut equo conscenso te abripias, quod, cœptis adspirante Deo, adhuc prospere cadere potest; teque salvo, omnia salva. Rex contra: etsi hoc pacto vitæ meæ consulam, tamen tantam hoc loco stragem hominum edent, ut acceptum damnum sero sim reparaturus; quam ob rem hac uti conditione nolo, malo potius me

unum pro omnibus devovere, cum persuasum habeam, si me facili negotio sustulerint, plerisque meorum incolumitatem concessum iri. Tum Benedictus: ea ignominia nunquam accidet nobis, ut te telis hostium trucidandum prodamus, etsi eo faciendo certam sperare pacem possemus; illud potius universæ Danorum virgines audient hodie, nos gladiis ad cædendum uti, regemque nostrum tueri scire; minime enim ferre in oculis possum, te in conspectu meo, ipso adstante me, percuti; neque audivi unquam, ignavos nebulones Deo magis placere, quam animosos alacresque juvenes; multo malumus, tecum una cum fortitudine mori, quam cum flagitio supervivere. Idem eum in numero frugi hominum habendum negavit, qui nunc quidquam metueret aut timorem ostenderet, omnesque hortatus est, ut se viros fortes præstarent, eximium enim esse principem, quem tueri deberent. Cujus orationem omnes secunda acclamatione excipientes, alii alios hortabantur. Versabantur cum rege Knuto complures viri magni pretii, primo Eirikus dynasta et Benedictus, Svein et Astradus, Thorgunnæ filii; aderant etiam Palmar et Blakkmar, multique alii fortes juvenes. Hi se in æde ad defensionem comparabant, adversariosque aditu prohibere cogitabant. Ibi loci ingens erat templum ligneum, cui grandes inerant fenestræ vitreæ.

De rege Knuto.

55. Rex Knutus in interiori adyto templi constitutus, ante altare ad precandum procubuit, Deique opem lacrimabundus imploravit, orans, ut eveniret, quod ipsi maxime expediret. Qui cum a precando surrexisset, tunicam coccinam, qua eximie ornata indutus erat, exuit, advocatoque sacerdoti, ejus ædis ministro, locutus est: hancce tunicam, sacerdos, habeto, inquit rex; volo sup-

plicationes agas pro salute eorum hominum, qui hoc loco hodie occumbant, non magis meorum, quam qui ex colonis ceciderint. Dein rex ad confessionem accessit, omniaque peccata sua coram sacerdote confessus est, inimicisque quam moverant seditionem condonavit. Quo facto juxta altare consedit, sagum coccineum humeris superinjecit, subter indutus subucula bombycina. Tum rex, advocato Sveine Thorgunnæ filio, cingulum bracteatum, quo cinctus erat, rem pretiosissimam, unacum cultro crustato, sumsit, Sveinique locutus est: hocce cingulum habeto, Svein, inquit rex, quod nisi bene collocatum cave ne alienes; nam incertum est, an plura munera a me accepturus sis. Svein, gratiis de munere actis, extemplo se cingulo circumdedit, idemque vitæ suæ tutelam eo die esse jussit. Rex, vitam ejus Dei tutelæ commendans: vero similius duxerim, Svein, inquit, te hoc congressu non occubiturum. Dein rex psalterium sumsit, atque de eo recitavit.

Dispositio Knutianorum.

56. Hoc temporis momento advenit ad ædem multitudo colonorum, qui extemplo cum vociferatione et clamore aggressi quærebant, ubi esset ille Deo exosus, Knutus, hortantes, ut se conspiciendum præberet, neque delitesceret; finemque rei brevi instare significabant. His Benedictus: non est, coloni, quod tam magnifica verba jactetis, etsi nunc magnum habeatis militum numerum. Haud vobis in manibus victoria est; nam faciemus, ut melius arrideat rusticanis illis, qui domo a pultario cucurrerunt, hodie domi agere in messe flagellanda occupatos, quam ictus nobiscum, regiis satellitibus, commutare. Benedictus sic erat vestitus: gerebat rubram vestem coccinam, cui loricam superinduerat, ex-

tremam gerebat tunicam sine manicis; galeam inauratam, rubrum clipeum, in quo eques auripigmento notatus erat; manu gladium tenuit bracteatum; erat omnium hominum specie strenuissimus. Stans in medio templi introitu, colonos intrare templum, si convenire regem vellent, jussit. Ad alteram partem aditus Eirikus dynasta, frater ejus, et Thorgunnæ filii, ad alteram Palmar et Blakkmar adstiterunt.

Initium prælii.

57. Post hæc coloni impetum in ædem fecerunt, regiis tanta se fortitudine defendentibus, ut magna pars diei processisset, antequam ulli ex regiis caderent, cum jam complures colonorum occubuissent; sed cum horum ingens numerus esset, alii ex aliis indefessi ad oppugnandum accesserunt. Inter prœliandum oppugnantes coloni hoc symbolo usi sunt: nunc tibi rependo vaccam, rex Knute! nunc tibi bovem, nunc tibi equum rependo. Quibus cum oppugnatio templi lentius succederet, Asbjorn dynasta: summum flagitium est, quam (segniter) oppugnatio hodie procedat, paucis tantum loci aditum tuentibus, quorum nulli adhuc ceciderunt, quum ipsi multos amiserimus. Hæc multitudo stolida est inopsque consilii. Quin circumeuntes ædem oppugnate, fenestras vitreas confringite, eaque tela saxaque in eos ingerite. Sic deinde factum; tela saxaque in eos ingeruntur, quo facto multi vulnerantur, quidam conjectu lapidum contunduntur, quidam penitus ad necem percutiuntur. Tum Benedictus hortatus est, ut in interiorem templi partem ad adytum recederent, indeque se, quoad liceret, defenderent; sic itaque fecerunt. Quibus regressis coloni in ædem irruperunt, Benedicto ac ceteris aditum adyti fortiter tuentibus. Interea parte colonorum ædem exteriorem op-

pugnante, iterum pugna recruduit, multo quam antea acriore impetu. Jam strages regiorum edi cœpta est, etsi multo plures colonorum caderent; et ferunt, cruorem ad talos insistentium in pavimento templi pertinuisse. Asbjorn dynasta, magna cum cohorte militum ædem circumiens, multitudinem ad oppugnandum stimulabat et qua impetus fieret præcipiebat. Benedictus, stans in medio aditu adyti, perquam audaciter se defendebat, multorumque hominum necis auctor fuit, apostatas istos acriter impetum facere jubens. Cujus exemplum secuti omnes sui, diras imprecabantur ei, qui colonis quidpiam parceret. Pugna vehementissime fervente, rex Knutus lapide per fenestram conjecto ictus est. Qui ictus supercilio incussus cum magnam vim sangvinis eliceret, ne vestes cruentarentur, sumtam pelvim gremio rex imposuit, atque, ut antea, de psalterio recitare perrexit. Jam pugna hominum cæde perquam calamitosa extitit, multique regiorum egregia sui fama relicta occubuerunt, omnibus principibus adhuc integris.

Cædes Knuti regis.

58. Interea colonis ab oppugnatione desistentibus, pugna nonnihil intermissa est, regiis tum quoque requiescentibus. Benedictus, stans in medio aditu adyti, clipeo suo innitebatur, nondum quidem saucius, sed vehementer pugnando fessus; constat enim inter omnes, nunquam alacriorem defensionem præstitam fuisse a viris æque paucis, tanta adversariorum multitudine circumfusis; neque tamen ex his ullus laude fortitudinis magis celebratur, quam ille. Jam Benedictus ac sui animadvertunt hominem in templum ingredientem, sago holoserico circumplicatum, inermem; hunc hominem agnoverunt, scilicet Eyvindum Bivram, qui sic locutus

est: quænam verba nunc ita faciemus, ut omnibus maxime expedire possit? Nam, quum res in locum tam iniquum deducta sit, summa postulat necessitas, ut, si qua fieri possit, in statum meliorem restituatur. Populus iste, qui furiose et præcipitanter prorupit, nunc telis vestris, regii, nonnihil labefactatus est. Animum, quæso, dictis meis advertite! parati sunt coloni redire in gratiam cum rege. Qua re quum magno opere læter, idcirco confestim in vestrum, Benedicte, congressum veni; etenim nemo non perspicit, summæ necessitatis esse, reconciliationem fieri; et exspectari poterat, istos cum rege Knuto certaturos fortuna destitutum iri. Etsi vero, milites, inquit, magna jam inlata acceptaque clades est, tamen res ad majus discrimen spectabit, si quid acciderit regi; neque enim sciri potest, ubi multitudo hominum fidei minus probatæ convenerit, annon aliqui facinus in se libenter admittant. Jam universi animum advertamus, quid factu optimum sit, iram interea remittentes, qua invalescente nemo verum perspicit. Itaque vos per Deum obsecro, inquit Eyvindus, ut mihi veniam regis conveniendi concedatis, quem pacis amantem esse confido. Benedictus reposuit: tu nunquam in regis congressum venies; omnes enim norunt, te quovis homine magis esse perfidum; atque si non ita in manus nostras processisses, paucos hinc gradus ambulaturus fuisses: nunc vero, quum inermis sis, si te interfecero, flagitium me commissurum existimo, quanquam haud in male factis ponam. Quorum sermonem audiens rex, infit: liberam ei admissionem concedite, sæpe Eyvindus voto meo satisfecit; hunc ego majoresque mei ad dignitatem evexerunt, cujus digna ab eo præmia referam, rem enim nobis salutarem et utilem mecum haud

dubie communicabit. Benedictus contra: hæc tuo arbitratu, domine, fiant, mihi vero haud insperanti accidet, si me hujus mox pœnituerit. Itaque Eyvindus Benedictum præteriens adytum ingressus est; qui cum ad regem venisset, inclinato corpore eum veneratus: salve, domine, inquit. Rex ad eum respexit, nullo responso reddito. Tunc Eyvindus, sago ab humeris rejecto, gladio, quem nudum sub vestibus habebat, regem transfodit. Quo facto rex ad tabulatum reclinatus, implorato divino auxilio, extemplo mortem oppetiit. Eyvindus confestim in altare subsiliit, nam supra altare ingens erat fenestra, cujus vitreæ tesseræ confractæ erant, eaque excurrere cogitavit. Ut vero Benedictus has res, quæ acciderant, animadvertit, omnes una in interius adytum se proripuerunt, quorum ceteros cursu antevertens Palmar, cum ad altare venisset, erepturi se per fenestram Eyvindi tergo ictum inflixit, idque tam impigre, ut corpus Eyvindi, quamvis lorica tectum, medium dissecaretur, trunco anteriori e fenestra excidente, posteriore in templum relapso. Post hæc fremitus inter satellites ortus est, nonnullis hortantibus, ut aufugerent, salutique quo possent modo consulerent. Quo consilio probato, Eirikus dynasta e meridiano ædis conclavi effugiens fratrem Benedictum compellavit, hortans ut se sequeretur: neque enim id cuiquam, inquit, doloris levamentum afferre poterit, quod hoc loco omnes fortissimi trucidentur. Cui Benedictus: id faciant, quibus hoc magis libitum est[1]; aufugiant[2], qui fugam pugnæ præponant; pugnent, quibus id volupe[3] magis; tu vero, frater, vale vigeque! in regno cælesti congrediamur! Sic Eirikus dy-

[1]) hic incipit Fragm. *H.* [2]) hic incipit secundum folium Fragm. *G.* [3]) commodum, *G*, *H.*

nasta et aliquot cum eo viri salvi evaserunt, quum et ob paucitatem parum observarentur, et Eirikus dynasta, quamvis cognitus, apud multos tantum gratia valeret, ut nemo ei nocere vellet.

Cædes Benedicti.

59. Jam Benedictum tantus furor invasit, ut dejecto clipeo ex adyto procurreret, correptumque ambabus manibus gladium ad utrumque latus vibraret, et quemvis obvium sibi cæderet. Omnes, quibus effugiendi facultas data, sese abripuere, neque tamen eo minus complures in templo prostrati jacuere. Sic viam sibi fecit ad [fores et[1] exitum templi, nullo resistente, comitatus fratribus Palmare et Blakkmare, gradum non referentibus. Ut vero ad limen templi pervenerunt, adstantium colonorum multitudine ab ulterius procedendo sunt prohibiti, ut exire nequirent; itaque Benedictus ac socii ab omnibus partibus oppugnari cœperunt. Qui etsi insigni fortitudine essent præditi, tamen multitudine adversariorum obruebantur; hocque loco evenit, quod vulgo dicunt, multitudini resisti non posse. Eo loco Benedictus cum omnibus suis cecidit, magna cum gloria, ut horum in propugnando strenuitas ac fortitudo magnis laudibus elata sit. Mox cessante prœlio superstites regii incolumitatem pacti sunt. Fratres, Svein et Astradus, Thorgunnæ filii, non ceciderant.

De Asbjorne dynasta.

60. Coloni, quorum complures domum redeundi erant cupidi, statim a prœlio se ad abeundum parabant. Asbjorn dynasta eos, qui hujus facinoris maxima pars fuerant, monuit, ut sibi caverent et cognoscerent, quid consilii Eirikus dynasta ceterique regii caperent: neque vero

[1]) omitt. *G, H.*

hoc ideo dico, inquit, quod mihi meisve metuam. Puto plurimos dicturos, me præ ceteris omnibus hujus rei effectorem fuisse, quod etiam fateor; neque me pœnitet facti, quum in exsequendo modum non transgressus videar. Igitur et ego domum revertar. Tum quoque exercitus collectitius distrahi copiæque dilabi cœperunt, quo quisque domicilium habuit digrediente.

Horrenda mors Asbjornis dynastæ.

61. Asbjorn dynasta statim post prœlium septemtrionem versus ad fretum Oranum profectus est, hospitium nocturnum in oppido quodam conduxit, et aliqua nocte in cœnaculo quopiam quiescebat. Hoc loco terribilis res accidit: eodem ingressi multi mures Gallici (glires), multo antea visis majores, dynastam tam vehementer impetiverunt, ut extemplo cubitu surgere et se ab eis defendere cogeretur. Illi nihilo secius eum incesserunt, et quamvis complures homines in cœnaculo versarentur, nullum alium curabant. Fugientem e cœnaculo continuo persequuntur, forasque egressum vehementissime oppugnant. Itaque decurrit ad litus, et in navem evadens a terra solvit. Illi confestim in mare proruunt, atque in navem ad eum conscendunt, in faciem et nares hominis e vestigio involant, eo tandem exitu, ut eum leto darent, quo facto hæc monstra statim e conspectu ablata sunt. Quæ portenta, mors Asbjornis dynastæ, fama late divulgata ingentem hominibus terrorem injecerunt, qui quidem regi Knuto maxime fuissent adversati. Hinc dubitatio multis suborta, an hoc factum, quod regem Knutum interfecissent, Deo tam probatum esset, quam ipsis sæpius inculcatum fuisset. Itaque vulgaris existimatio erat, hanc ultionem a Deo profectam.

Obitus Thordi.

62. Sed illuc, unde digressi sumus, revertamur. Thordus Skorrius[1] ac Tolar Verpil cum suis reversi mane alicujus diei ad magnum fluvium ipsis transeundum, ingenti ponte tabulato junctum, pervenerunt. Hunc quum quisque, ut advenerat, equo admisso trajiceret, et jam plurimi transmisissent, Thordus Skorrius infit: hi homines temere iter faciunt, qui hunc pontem admissis equis, veluti in aperto campo, trajiciant. Responderunt, qui transierant, hortantes, ut intrepide (pontem) ingrederetur[2]: tu enim (inquiunt) equo veheris, qui in optimis habetur; et haud dubie succedet tibi res, cum jam ceteri[3] omnes[4] transieriut; quæ res minus periculi habitura nobis videtur, quam decertare[5] cum rege Knuto; quanquam sunt, qui arbitreutur, tibi hanc rem non magis animo destinatam esse. His Thordus ira incensus equum calcaribus concitavit; qui cum esset effrenis et frumento saginatus, ubi in pontem venit calcium succussione resonantem, lascivire cœpit, atque se magno nisu altius sub eo in ponte erigebat; quo facto Thordus ex ephippio rejectus in fluvium decidit, et continuo mortem oppetiit. Comites Thordi hac re miro modo affecti, re sic comparata domum reverterunt. Id autem perhibent viri, certa rerum cognitione instructi, Tolarem Verpilem verminantem putredine vivum diffluxisse. Quorum hominum morte Deus ostendit, quantopere hoc facinus tam Deo quam probis hominibus detestatum esset.

Sepultura regis Knuti.

63. Postquam multitudo colonorum a Fio-

---

[1]) Skórius, *S*, *V*. [2]) adequitaret, *G*. [3]) ferme, *add. H*.
[4]) antea, *add. G*. [5]) id, quod modo animo agitavisti, prœlium conserere, *G*, *H*.

nia discesserat, ii, qui regi Knuto amici fuerant, Odinsvei convenientes, eo accesserunt, quo loco corpus Knuti regis jacuit; tum vulnera ejus coierant; corpus, quod lucidum et spectabile erat, honesto apparatu, ut par erat, conditum; corpus Benedicti, ceterorumque, qui ibidem occubuerant, lavata et composita; inde templum purgatum, funera elata et sepulturæ mandata. Corpori regis Knuti loculus factus, magna arte elaboratus; [alii loculo corpus Benedicti, fratris regis, inlatum[1]; quod funus maxima solennitate celebratum est. Rex Knutus, ut et Benedictus, frater ejus, Odinsvei in Fionia humati sunt. [Rex Knutus cecidit[2] die Saturni 6. id. Jul., qui dies est biduo post festum Selianorum; tunc Daniæ rex fuerat septem[3] hiemes, quod regnum magna temperantia et auctoritate rexerat et administraverat. Tum ab incarnatione domini nostri Jesu Christi elapsi erant anni mille octoginta septem.

De Thorgunnæ filiis.

64. Post mortem Knuti regis creandum sibi regem esse Dani duxerunt. Secundum præscripta legum priscarum, quibus cautum erat, ut regis filius maximo natu rex crearetur, Olavus Sveinis filius secundus ad regium principatum erat. De hac re, quæ gravissimi momenti erat, Dani[4] crebro disserebant, multisque placuit, Olavum ad regium principatum arcessi; quæ res, quo loco tum constitutus erat, difficultate haud carere visa est; nam propter eas res, quæ brevi ante acciderant, parum humanitatis a duce Baldvinio exspectabant. Tandem id consilii[5] ceperunt, ut a Thorgunnæ filiis peterent, ut occidentem versus

[1]) omitt. *H.* [2]) pugna, in Fionia facta, qua rex Knutus cecidit et vitam posuit, accidit, *H.* [3]) sex, *H.* [4]) sæpius concilia habebant et, *add. H*; explicit secundum folium Fragm. *G.* [5]) h. l. explicit *H*; incipit posterior pars Fragm. *F.*

in Flæmingiam proficiscerentur ad ducem Baldvinium, tentatum, an aliquo pacto redimere Olavum possent; etenim maxime idonei existimabantur, qui eum recuperarent, cum regi Knuto amicissimi fuissent. Fratres vero ita responderunt: vos quidem Dani[1] haud meruistis, ut vestras legationes obeamus, vestrave negotia agamus, ista autem profectio non tam longinqua est, ut[2] perfici facile non possit, cum nos liberaliter [a duce[3] exceptum iri speremus. Etsi vero talia loquerentur, tamen auctoritate amicorum permoti hanc rem in se receperunt, atque se ad hanc profectionem compararunt. Igitur, ut primum parati erant, profecti in Flæmingiam pervenerunt ad ducem Baldvinium et Edlam reginam, filiam ejus, a quibus prolixe excepti sunt. Regina, adventu eorum lætata, diligenter de rebus nuper in Dania gestis perquisivit. Referunt ei omnia, quæ interrogabat. Dein causam adventus sui duci exponunt, mandata principum Daniæ populique preces aperiunt: nimirum ut Olavo[4] veniam domum redeundi concedere velis[5]; speramus, inquit Svein, te nobis nostræque intercessioni hac in re multum[6] tributurum. Respondit dux: ita de me Dani meruerunt, ut digni sint, qui et damno et ignominia afficiantur, ob illud, quod modo patravere, nefarium facinus, quam ob rem multi[7] male illis merito imprecantur; tametsi non immerito accideret Danis, ut tali, qualis est Olavus, principe utantur. At tamen hic ita sub meam traditus est potestatem, ut sero futurum sit, ut dimittatur; nunquam enim, quæ rex Knutus mihi dixit, vana esse deprehendi; qui ea

[1]) plurimi Danorum principes, *F.* [2]) ideo, *add. F.* [3]) in Flæmingiam delatos, *F.* [4]) Sveinis filio libertatem et, *add. F.* [5]) vellet; iidem et pecuniæ, qua redimatur, quantum tibi ipsi placuerit, pollicentur, *add. F.* [6]) nonnihil, *S.* [7]) omnes, *F.*

mihi ultima mandata misit, ut hunc hominem nunquam dimitterem. Hic uterque frater uno ore: vulgo dicunt, domine, inquiunt, regem hac in re potissimum deliquisse, quod idem vel amici ejus fatentur, Olavus enim ei fideliter operam dedisse existimatus est; neque cuiquam pariter ac nobis fratribus, si qua in re erraverit rex, resarciendi officium incumbit. Quam ob rem nostro nomine omnia, quæ tibi placeant, quæque postulare velis, pollicemur, ut hunc hominem, Olavum, hinc recuperare nobis contingat. Quibus dux: haud equidem eventu probatum iri arbitror, inconsulte factum esse, quod Olavus jussu regis Knuti in custodia retineatur; vos autem honesto proposito et amore in regem Knutum impelli[1] intelligo. Igitur, quum vos semper bonos viros expertus sim, certoque sciam, vos strenuam fidelemque operam regi Knuto præstitisse[2], has vobis proponam conditiones: Olavus se triginta auri selibris redimat, ea quidem lege, ut vos, donec Olavus dictam pecuniam pependerit, interea in vinculis sitis; volo enim vos ita experiri, qua virtute Olavus sit, et utri melius ejus humanitatem perspexerint. Id quoque animo teneatis, si Olavus pecuniam ex pacto solvere noluerit, vos nunquam ex his vinculis et custodia exituros. Ita vosmet ipsi vestro maxime periculo rem suscipietis, inquit, neque vero quidquam Olavi fidei committendum existimo, neque vos ad hanc rem hortari volo. Quam conditionem quum proposuisset dux, fratres se convenire Olavum velle significarunt. Ducti ad carcerem, quo inclusus erat, omnia ordine ei exposuerunt, Danorumque principum mandata, esse horum voluntatem, ut totius Daniæ imperii rex creetur: quam rem

[1]) ad hanc rem tentandam, *add. F.* [2]) magnique ab eo æstimatos fuisse, *add. F.*

quum duci proposuissemus, primo quidem obstinate negavit, sed precibus nostris motus tibi tui redimendi potestatem concedere vult, cum eo tamen, ut nos fratres, donec hæc summa expensa fuerit, iisdem, quibus tu teneris, vinculis includamur. Quod si faciemus, plerique dicent, nos nostro cum periculo tuæ fidei et arbitrio nimium confidere; sed speramus, nos rem non frustra facturos, teque, cujus tantopere hæc res intersit, benevolentiam nostram pro meritis repensurum; [paucos enim talia tui causa facturos arbitror. Olavus contra[1]: placet hæc conditio, neque est quod ultra petam; ista pecuniæ summa nihil me movet: nam promitto, me regium nomen triduo non gesturum, ante quam hanc pecuniam confecero et persolvero; hæc pecunia præmium erit virtutis, quam mihi tantis difficultatibus implicito præstatis; et fieri potest, si mea potestas aliquid valebit, ut ampliora præmia referatis. Deinde, duce in colloquium cum eis congrediente, peracta res est, Olavo fidem suam obstringente, se, quum primum ferret occasio, hos homines redemturum, et insuper jusjurandum interponente, se pecuniam secundum data promissa duci persoluturum. Hac lege Olavus e carcere eductus, Svein et Astradus eodem inclusi sunt, pedes manusque catenis revincti, id solum alimenti nacti, quod ad vitam sustentandam ægre sufficeret.

Olavus rex creatus.

65. Itaque Olavus in Daniam proficiscitur; quo cum venisset, multitudo ad eum confluere cœpit. Delatus in Jotiam, indictis comitiis Vebjargensibus, rex totius Daniæ[2] creatus est; adscitis satellitibus regnum obiit, jus dixit, rem publicam administravit. Haud proditum memo-

[1]) *add. F.* [2]) Danici imperii, *F.*

riæ est, pensionem pecuniæ, quam ad se redimendum duci pollicitus erat, ab eo præstitam esse, neque tamen longum tempus prætererat, quum existerent, qui eum admonerent, ut animum huic rei adverteret, nimirum cognati et amici Thorgunnæ filiorum. Quibus rex indignabundus respondit, vetans de talibus rebus inferri mentionem: hi fratres (inquit) haud dubie læta, uti convenit, sorte fruuntur apud ducem Baldvinium, diu enim[1] socero generoque operam suam locaverunt, cujus non dubium est quin dignum præmium referant.

De sanctitate regis Knuti.

66. Quum rex Olavus convivia in Fionia obiret, venit ad eum sacerdos, rei divinæ in æde sacra, ubi rex Knutus quiescebat, minister. Hic regi in secretum colloquium vocato remotis arbitris significavit, in regione sepulcri regis Knuti, fratris ejus, sæpius sibi claram lucem visam: multaque ibidem alia fiunt, inquit, signa, quæ magni nobis momenti videntur; putamus, eum hominem esse vere sanctum. Tua igitur auctoritate uti, domine, volumus, ultrane sit hoc propalam faciendum[2], re ita comparata. Cui rex: ne tu adeo sis audax, ut tale mendacium ore proferas; multa enim inesse in vita agendique ratione Knuti regis novi, quæ sanctitati repugnent; et certo scias velim, si quis talia præsente me ab hoc tempore loquatur, hunc capite pœnas daturum. Quam rem quum rex tam gravate acciperet, sacerdos finem dicendi a rege quam citissime fieri lætatus est; neque tamen eo minus exortus est in Dania sermo, regem Knutum vere sanctum esse, quanquam vivo rege Olavo non

[1]) regi Knuto ducique Baldvinio, *add. F.* [2]) an exspectandum, *add. S.*

editus in vulgus est, quum talia nemo ob tyrannidem regis Olavi loqui auderet.

De Thorgunnæ filiis.

67. Interea Thorgunnæ filii catenis et custodia in Flæmingia tenebantur, durius habiti, eo quod dux Baldvinius, qui, etsi precibus fratrum adductus, tamen ægerrime tulerat, Olavum Sveinis filium e vinculis redimi, nihil de severitate remittendum existimabat. Edla regina, cui hoc magnopere displiceret, adsidue pro eis deprecata, a duce petiit, ut potius aliquem fructum inde caperent, quod versati cum rege Knuto fuissent, quam improbitatis a rege Olavo exhibitæ pœnas darent. Cui dux iratus his verbis respondit: illi hic in Flæmingia eam diem exspectanto, qua Olavus, amicus eorum, eos redimat, aut hoc loco mortem oppetunto. Qui si eos redimere omittat, merito pœnas luunt; nam hanc rem supplices petierunt, multa afferentes argumenta, qua re petita eis negari non par erat. Nunc aliquanto melius, credo, cognoscunt, quod præmium laboris sint laturi, qui omni studio id egerint, ut Olavus dimitteretur. Quæ res, ut mihi animus præsagiverat, evenit, frustra fore, rem suam fidei Olavi committere[1]! Ita proxima post cædem Knuti regis hiems exiit, ut fratres apud ducem Baldvinium vinculis tenerentur.

Miraculum regis Knuti.

68. Insequenti vere, nocte paschatis, Sveine et Astrado in carcere agentibus, sequentia evenerunt. Hi, quum brevi antea nihil fere alimenti accepissent, neque quisquam nuper ad eos venisset, inopia cibi et adtritu catenarum, quæ pæne ossium tenus impressæ carnem urebant, viribus deficere cœperunt. Post eadem nocte circa ho-

[1]) Illa, cum frustra esse intelligeret, hoc negotium ulterius tentare, a proposito destitit, *add. F.*

ram tertiam Svein, cui levis somnus obrepserat, ita ut non tam dormire, quam vigilare sibi videretur, hominem ad se accedere animadvertit, splendide vestitum, adeo lucida facie, ut vix posse se adversam intueri crederet; eundem regem Knutum esse, sibi persuasit. Is ad Sveinem accedens infit: duriter tractaris, Svein sodalis, neque merito; jam te ex hoc carcere liberabo, tu vero mea verba duci Baldvinio perfer, ut ab hoc tempore tuæ causæ patrocinetur (res tuas sublevet). His dictis prehensam quæ injecta pedibus erat catenam, instar potentillæ argentinæ, manibus dirupit, itemque eam, quæ manibus injecta erat. Quo facto rex: quum jam solutus sis, hoc portentum quam plurimis præsentibus enuntia. Spero Deum mihi hoc beneficii tributurum, ut, ubicunque homines nomen meum benevola mente invocaverint, levamenta malorum inveniant. Carcerem clara luce collustrari vidit, svavissimumque odorem animadvertit. Post hæc rege e conspectu ablato, Svein somno, si qui fuit, experrectus, vinculis se solutum sensit. Visum sibi oblatum Astrado aperit. Quum Astradus idem sibi oblatum visum esse significasset, amboque jam soluti essent, hortante Astrado, ut extemplo[1] aufugerent, Svein monuit, ne quo pacto prius abirent, quam postridie, quo tempore dux mensis accumberet, id temporis plurimos præsentes adfore testatus. Sic faciunt; accedunt ad aulam, quo tempore dux mensis accumbebat, adeo deserti viribus, ut non tam gradi, quam repere viderentur. Ingressos in aulam conspicatus dux, prehendi vinculorum profugos educique [ad eos, quorum[2] antea fuerant [custodiæ commissi[3], jussit. Hic Svein: haud fieri jubebis, domine, credo, si scies, a quo simus liberati. Dux arbitrari

[1]) si qua possent, *add.* *F*, *K*. [2]) eo, ubi, *F*, *K*. [3]) omitt. *F*, *K*.

se dixit, quibus custodia commissa fuisset, partes suas perfunctorie peregisse. Svein, hos in culpa non esse testatus: rex Knutus, inquit, præcedenti nocte advenit, et vincula, quibus nexi eramus, manibus torquendo dirupit. Quæ vera esse, signo sunt fragmenta catenarum in carcere relicta. Duce, quid[1] dicerent, se nescire simulante, Edla regina: haud dubito, inquit, quin eis per festum incolumitas, domine[2], concedatur, quidquid in eos in posterum consulatur; velim explores, veraue sint, quæ dicant, nam magno nobis gaudio foret, si vera essent, neque vero hæc res contra opinionem meam accidit, novi enim multa regis Knuti instituta a ceterorum hominum moribus discessisse. Duce rem ejus arbitrio permittente, commodus eis, ubi quiescerent, locus paratus, ipsique omnibus rebus, qua fieri potuit diligentia, curati. Adolescentulus Karl, regis Knuti et Edlæ filius, ad lectum, in quo quiescebant, forte accedens, cingulum, quo se Svein Thorgunnæ filius discinxerat, quodque juxta se in pulvinum coujecerat, quum splendidum esse videret, sustulit, eoque ludere cœpit. Cui Svein: quo modo tibi placet, Karl, cimelium hocce? Laudante puero: si possidere cingulum cupis, pergit, te dignissimum censeo, qui eo potiaris, mihi enim id rex Knutus, pater tuus, dedit; sic alienando secundum præcepta patris tui rem bene locare arbitror. Karl confestim ad ducem accedens, ei hanc, quæ sibi data esset, rem pretiosam ostendit, patrique suo fuisse significavit: quam ob rem spero, cognate, te mihi tributurum, ut hi homines aliquo pacto in gratiam tecum recipiantur. Regina multis adjectis verbis pro eis deprecante, Dux respondit: haud facile mihi erit, vobis ambobus resistere; sed primum verba cum

[1]) veri, *add. F.* [2]) quiesque, *add. F.*

eis faciam. Dein eos[1] colloquio adiens, quo pacto evasissent, perquisivit. Illi rem omnem, quæ gesta erat, narrarunt, et præterea, regem Knutum nuntium ei misisse, ut ipsos dimitteret; quo accedebant certa indicia, de quorum veritate dubitare non potuit. Quo factum est, ut Dux se ita facturum polliceretur. Thorgunnæ filii vires celeriter receperunt; nam, ut Dux eos antea duriter tractaverat, ita nunc non minori studio eos recreabat, omniaque remedia ad eos refocillandos adhibenda curabat. Qui cum justis itineribus faciendis pares essent, veniam domum redeundi expetiverunt. Quorum optatis annuens dux: jam reconciliationis, inquit, inter nos faciendæ conditiones edicam: primo regem Olavum adeuntes, ab eo petitote, ut quam pecuniam pro se redimendo spoponderit, expendat, vobisque in manus det, quam pecuniam mihi adfertote. Quodsi hanc pecuniam, ut reor, pendere nolit, vos eandem pecuniæ summam mihi solvitote, quod vos præstituros jurejurando interposito fidem vestram obstringitote. Qua conditione accepta fratres se ad proficiscendum e Flæmingia[2] pararunt, præsidio a Duce dato. In Daniam delati, regem Olavum adeuntes petunt, ut quam pro se redimendo spopondisset pecuniam sibi in manus tradat: nondum enim, quod te facturum speraveramus, quæ es pollicitus, domine, præstitisti. Nunc autem te eo melius facturum, inquit Svein, pecuniamque liberaliter ac celeriter soluturum credimus; quod etiam nunc nostris usibus bene convenit, quum fidem nostram duci Baldvinio obstrinxerimus, fore ut hac pecunia non excidat. Reponit rex: aliter de nobis meruerunt Flæmingi, quam ut eis solvamus pecunias pro ea contumelia et ignominia, qua me affecerunt. Imo,

[1]) fratres, *F.* [2]) Flamingia, *F;* i. e. Flandria s. Belgio.

par pari referam; nam, ut primum fidem Daniæ principum consecutus ero, evocatis ex toto imperio meo copiis, bellum duci Baldvinio inferam, istosque omnes tot calamitatibus adficiam, ut se recipere nunquam possint. Inde regem tanta incessit animi vehementia et indignatio, ut ne digito quidem adtingi posset. Quam ob rem Svein omnibus gaudiis gavisus est, quod salvo abire licuisset. Post hæc fratres ad res suas redierunt, omnes pecunias in unum redegerunt, quasdam ab amicis aut cognatis mutuas sumserunt, prædia sua partim vendiderunt, partim pignori opposuerunt. Quumque constitutam pecuniæ summam effecissent, occidentem versus in Flæmingiam ad ducem Baldvinium profecti, ab eo liberaliter excepti sunt. Hic quum paulisper morati essent, pensionem pecuniæ præstiterunt, quæ omnis pecunia auro et cocto argento constabat; insuper duci [res pretiosas lectissimas[1], sua in terra raras, dono dederunt. Tum dux: hanc rem liberaliter et cum fide præstitistis; quum vero sciam, vos non adeo divitiis abundare, ut non maxima[2] pars fortunarum vestrarum in tam grandi pecuniæ summa ad me redierit, hanc ego vobis pecuniam remitto, adjectis gratiis meis amicitiaque; hæc vero dona accipiam. Illi multiplices ei pro sua generositate gratias egerunt. Ibidem brevi commorati, quum ad abeundum parati essent, eximiis muneribus a Duce donati amicissime discesserunt. In Daniam reversi prædiis suis quieti consederunt, neque regi Olavo operam suam locarunt. Thorgunnæ filii in numero fortissimorum virorum semper habiti sunt.

Obitus regis Olavi.

69. Olavus Sveinis filius in matrimonio ha-

[1]) munera, eximios equos et accipitres aliasque res, *F.* [2]) magna, *F.*

buit Ingiridam, filiam regis Haraldi Sigurdi filii, Norvegiæ regis, sororem regis Olavi Tranquilli. Fuit Olavus Sveinis filius vir potens, crudelis, amicitiis non valens, dominationis et pecuniæ cupidus. Eo imperante in Dania magna erat annonæ caritas temporaque injuriis plena. Tum multi, qui regi Knuto non fuerant adversati, dicere, regiminis mutationem infeliciter cessisse, magnamque civibus calamitatem adtulisse: istum enim regem nullius libertatem integram pati[1]. Olavus octo hiemes rex Daniæ erat; morbo obiit, ejusque mors minime[2] luctuosa Danis[3] extitit.

De dynasta Eiriko Sveinis filio.

70. Eirikus dynasta concessam sibi a fratre Knuto provinciam Selandiæ, imperante rege Olavo, retinuerat. Idem auctoritate multum valebat, amicitiisque florebat, semper magnam hominum[4] multitudinem [circa se[5] habebat, adsidue terras orientales piratica vexabat, bella cum ethnicis gerebat, omnes christianos, itemque mercatores, incolumes[6] dimittebat. Qua agendi ratione gloriam sibi amicitiasque per omnes terras orientales adquisivit[7]. Quin in regnum usque Gardorum profectus, [multos egregios[8] principes invisit, a quibus liberaliter et honorifice exceptus multa munera dono accepit. Sic Marcus Skeggii filius in Encomio Eiriki[9]:

Egregiorum parens consiliorum ad terræ custodes
in regno Gardorum ad orientem profectus est;

[1]) multoque severius imperium, quam pro superioris temporis consvetudine, exercere, universis comprobantibus contendebant, *add. F, K.* [2]) parum, *F.* [3]) plebi, *F.* [4]) aulicorum, *F.* [5]) secum, *F.* [6]) quo cuique maxime libitum esset, *add. F.* [7]) ut quisque, qui alicujus momenti videretur, nomen ejus haud ignoraret, *add. F.* [8]) proceres et, *F.* [9]) suo (ab se composito), *S, V*; Marcus Skeggii f. prætor erat Islandiæ annis 1084—1107.

viri excellentes, tenacitatem circumscribentes,
elegantem populi dominum divitiis beaverunt.
Svaviloquens imperator insignem nominis
celebritatem nactus est per totum regnum
orientale;
nemo erat, quin nomen hujus viri, honore
conspicui, laudibus divulgare sciverit[1].

Primo vere Eirikus dynasta ab oriente Gardis profectus[2], principio æstatis pelago se commisit, et in Daniam, regnum suum, navigavit. Sic Marcus:

Novo vere, Vendorum qui delevit copias,
Gardis ob oriente navem splendidam instruxit.
Principio æstatis copiarum antesignanus
proras navium fluctus deduxit in cavos.
Knuti frater, furenti ingruente tempestate,
latas navium tabulas pluteis munivit.
Dein exstirpator perfidorum hominum,
fortitudine insignis, ad Daniam adpulit[3].

Eirikus Bonus rex creatus.

71. Mox Eirikus, mortuo fratre Olavo,

[1]) Constructio*): *Fæðir fremdar ráða a) sótti foldar vörðu b) austr í Görðum c); itrir menn d), er slita hneyki e), gæddu prúðan allvald auði. Hinn mærðar bliði stillir f) varð einkar tiðr g) um allan Austrveg; [hinn var engr h), er kunnit i) reiða í lofi nafn hans, heiðarmanns k).*

*) Metrum est trochaicum quaternarium, octastrophum; quod attinet ad situm literarum et syllabarum harmonicarum, maximam partem sequitur regulas bitremulorum (Edd. *Sn.* ed. Rask. p. 242.). Ad idem carmen pertinent fragmenta Eddæ Sn. p. 122. (190?). 191. 192. 194. *a*) i. e. rex Eirikus. *b*) i. e. regni principes. c) *Garða*, Gardos, *F.* *d*) *þeir*, add. *F.* *e*) *hnöggvi*, usitatius, *F*, *K.* *f*) *stillr*, *F*, adversante justo syllabarum numero. *g*) *F*; *tiðum*, *B*, prave. *h*) *K*; *honum varð engi*, *B*, dub. *i*) *F*; *kunnigt*, *B*, prave. *k*) *herðar-*, *B*, prave.

[2]) ut primum solvi glacies cœpit, naves deducendas et, quantum facultas erat, omni adparatu adornandas curavit, *add.* *F*, *K.*

[3]) Constructio: *Vinda ririr a) bjó vegligt flaustr b) öndvert*

secundum legum præscripta regium principatum in Dania[1] capessivit; erat enim natu maximus filiorum regis Sveinis, qui quidem id temporis in vivis essent. Ut vero Eirikus rex Daniæ creatus erat, leges civiles restauravit, mores incolarum emendavit; vivo enim Olavo multa perversa, multa honestati repugnantia in regno invaluerant. Sed rex Eirikus cives ad meliorem frugem revocavit, optimum quemque sibi amicum conciliavit; pecuniis erat liberalis, et erga principes et erga amicos[2] suos; omnibus, qui ejus congressum petebant, [3]ingentes pecunias largitus est, et his maxime, qui e terris remotissimis ejus visendi gratia advenere; multa quoque pauperibus[4] distribuit; brevi omnium Danorum gratiam sibi conciliavit. Appellatus est Bonus, quod cognomen ei vere convenire vulgo existimatum est; quotquot enim ad eum venerunt, aliquid boni se ab eo consequi putabant. Sic Marcus:

Homines divitias ab rege dono acceperunt;
munificus princeps donavit enses navesque;
crebro magnoque numero viris excellentibus
Eirikus brachiorum largitus electrum est.
Regulorum exagitator, virtute bellica insignis,
annulos distribuit. Moderator solii
Frodiani homines ita muneribus beavit,
ut plurimi illo auctore divites redderentur[5].

---

vor austan úr Görðum; helmings oddr skaut hlýrum á hola báru í sumars broddi. Bróðir Knúts studdi c) *breiðan borðvið (með) hlýðu* d) *í óðu veðri; snilli kendi svikfólks eyðir knáði* e) *síðan lenda við Danmörk.*

a) *tírir, B*, prave. b) *flaust*, usit., *F, K; veglig, K*, plur. c) *F, K; studdu, B*, plur., minus recte. d) *lýðum*, plur., *K* in notis. e) *knátti*, usit., *F.*

[1]) voluntate et consensu omnium principum et populi Danici, *add. F.* [2]) aulicos, *F.* [3]) gratiæ conciliandæ ergo, *add. F.* [4]) si in ejus congressum venirent, *add. F.*

[5]) Constructio: *Drengir þágu auð af* a) *ýngva, örr fylkir*

De Eiriko.

72. Ut vero rex Eirikus brevi tempore Daniæ imperaverat, idem sacerdos, qui antea sanctitatem regis Knuti regi Olavo declaraverat, ad eum venit. Quem simul ut conspexit Eirikus rex, in secretum colloquium arcessitum interrogavit, quid de signis illis, quæ sanctitatem regis Knuti declararent, referre haberet: jam pridem speraveram, inquiens, rem eo spectaturam; quare hoc quam exactissime cognoscere cupio, nobis enim omnibus summo debet gaudio esse, si ea res cum veritate dici possit[1]. Cui sacerdos: sanequam et pulcra et vera, domine, inquit, possunt ea de re referri; nam vere adfirmari potest, neminem[2] mente benevola nomen ejus invocare, quin omnium malorum levamentum, quidquid ei acciderit incommodi, brevi inveniat. Cujus rei multos veraces homines testes habuit. Tum complures regem Knutum votis vocare cœperunt, multaque evenere clara indicia, quæ sanctitatem ejus adstruerent; unde factum est, ut ejus sanctitas per totam Daniam innotesceret.

De rege Eiriko.

73. Jam rex Eirikus potentiam et nominis celebritatem adeptus est. Erat omnium principum gratiosissimus; perversitates hominum severe

---

gaf sverð ok knörru; Eirekr veitti dýrum b) seggjum armleggjar röf c) opt ok stórum. Hildar rammr harra d) slaungvir eyddi hringum. en stillir e) Fróða stóls framdi f) kyn firða, svá g) at flestir urðu góðir af honum.

a) *at*, eodem sensu, *S, V.* b) *dýrðar*, *F*, eodem sensu. c) i. e. aurum. d) *herra, S, V.* e) *stild, B,* prave; *stillir Fróða stóls*, qui possidet, occupavit solium Frodii, rex Danicus. f) *frami, S, V,* prave h. l. g) hanc voculam add. *F, K.*

1) cavendum tamen, id quod maximi momenti est, ne mentio de ea re prius injiciatur, quam, quid dicendum sit, vere constiterit, *add. F.* 2) ferme, *add. F.*

castigabat, prædones et malos homines exstirpabat, fures et latrones interficiendos, aut manibus pedibusve mutilandos, aut aliis gravibus suppliciis adficiendos curavit, ut eo administrante nulli in Dania malefici recte provenirent; in sententiis ferendis justus, leges divinas religiose observabat. Sic Marcus:

Deletor Vendorum maleficos exstirpavit;
prædones rex magna vi repressit; imperator
præcidi manus furum jussit; is perversam
civium agendi rationem castigare novit.
Nunquam fama auditum est, Eirikum
a justa sententia declinare voluisse;
auctor victoriæ leges divinas diligenter
observavit, eaque re saluti suæ consuluit[1].

Rex Eirikus erat insigni sapientia et eruditione instructus, multarum linguarum gnarus, excellenti memoria, ore disertissimo. Sic Marcus:

Glorioso pugnæ flagitatori erant
splendidæ divitiæ pectusque animosum,
copiosa memoria, maxima præterea rerum
humanarum scientia, vitiis immunis.
Liberalis ille rex, omni parte excellentissimus,
multas linguas juvenis didicerat.
Eirikus, qui plurimos reges potentia
vicit, summa animi fiducia præditus erat[2].

---

1) Constructio: *Vinda fergir eyddi vörgum, konúngr hepti víkíngum fíkjum; þengill lèt stýfa hendr þjófa: hann kunni hegna þegnum ósið. Aldri fráttu a), at Eirikr vildi b) halla allrèttligum dómi; sigrs valdari c) kunni halda guðs lög hála d) sèr til sælu.*

a) ad verbum: fama accepisti; *frèttu*, id., *F*; *fanstu*, reperisti, *S*, *V*; *frást*, fama innotuit, *K*. *b*) *at*, h. l. inserit *A*, omiss. in *F*, *K*. *c*) i. e. victoriosus ille rex. *d*) *F*, *K*; *haga*, *B*, prave.

2) Constructio: *Hróðigr brynþíngs a) beiðir átti bjartan auð ok fræklikt b) hjarta, gnógt minni ok annat mest mannvit, lestir fylgdu því hvergi. Öðlíngr hafði alla snilli: úngr nam*

Peregrinatio Eiriki.

74. Rex Eirikus profectionem e Dania comparavit, omnibusque civibus palam fecit, se meridiem versus Romam profecturum; lectos comites sibi adscivit, reipublicæ administrationem amicorum curæ interea commisit, et haud multis comitatus totum iter Romam usque pedibus confecit. Sic Marcus:

> Illud commemorabitur, quod cupiebat princeps longum viæ spatium Romam pedibus proficisci, ut suos gloriæ adsuefaceret. Eo itinere rex terram pacatam Venetiorum circumseptam vidit[1].

Inde Venetias usque Bariumque profectus, multa loca sancta adiit, semperque pedibus iter fecit. Sic Marcus:

> Quinque summorum regum frater deinde Barium iter pedibus fecit; voluit enim rex insignem reddere Dei gloriam. In vicem divina principem gratia proteget[2].

---

hann margar túngur. Eiríkr, sá er c) mátti meira flestum jöfri d), var mestr ofrhugi.

a) *F, K; byrðings*, navis onerariæ, *B*, h. l. haud dubie mendose. b) *F, S, V*; *frækligt*, id, *K*; *frægligt*, id., *B*. c) *eigi*, non, *S, V*. d) *í ófrið*, *S, V*, qui forte cogitarunt: *sá ei* (ɔ: *æ*) *mátti meira í flestum ófrið*, qui ex plurimis præliis victor discessit.

[1]) Constructio: *Hitt skal lýst, er lofðúngr fýstist at gánga lángan veg til Róms, at venja a) lið b) dýrð; fylkir sá þar bálkat c) friðland Feneyjar.*

a) *F, K*; *nema*, perciperet, *A*, contra metrum; per sequens *dýrð* intelligitur splendidus cultus Romanæ ecclesiæ. b) sic *F*; *hlið*, *A*, quod jungendum foret cum *bálkat*, ɔ: a lateribus circumseptam. c) intelligi puto insulas Venetiorum, aggeribus et munimentis circumdatas.

[2]) Constructio: *Bróðir fimm a) höfuðskjöldúnga gekk síðan út í Bar; bragníngr vildi magna guðdóm; hylli guðs mun hlífa stilli b) at gjöldum.*

a) *finn*, *S, V*, prave. b) *stillir*, id., *V*.

In hoc itinere rex Eirikus[1] monasteriis aliisque sanctis locis magnos pecuniæ sumtus insumsit. Inde reflexo itinere, a meridie reversus iterum Romam venit. Sic Marcus:

Eximias sanctorum reliquias, quæ
ultra Romam erant, visit Haraldi frater.
Yngvia progenies locupletia scrinia
rubro auro circumcirca exornavit.
Fesso pede liberalis princeps regionem
monachorum pertransiit, ut animæ consuleret;
rector populi ab ulteriori regione comites magno
studio reduxit, in quo itinere Eirikus Romam
venit[2].

Rex Eirikus, aliquantum temporis Romæ moratus, multorum principum, tam hujus urbis, quam aliis in locis, gratiam sibi conciliavit, et in intimam eorum amicitiam pervenit. Quocunque veniret, nullo ei interprete opus erat. Fuit eo tempore Romæ pontifex Pascalis, ejus nominis secundus; is regem Eirikum liberaliter excepit eumque in intimam suam amicitiam admisit. Eirikus veniam a pontifice impetravit, ut cathedra archiepiscopalis in Dania institueretur, quum antea nulla esset septemtrioni propior, quam Bremis in Saxonia. Sic Marcus:

Eiriko contigit ultra fines Saxonum
cathedram archiepiscopalem transferre.

---

[1]) multas sedes principales visit et, *add. F.*

[2]) Constructio: *Haralds hlýri sótti stóra helga dóma út frá Rómi; áttkonr a) Ýngva varði b) auðig skrín hríngum með c) rauðu gulli. Mildíngr fór móðum fæti um múnka veldi d) at bæta sál; allvaldr e) kniði f) sveitir utan; Eirikr var g) til Róms í þeirri h).*

a) sic, *F*; *at kom*, *B*, mendose, pro *átkonr.* *b*) sic *S*, *V*; *vandi*, *B*; *eyddi*, *F.* *c*) sic *F*; *ok*, et, *K*; *i*, in, *B.* *d*) i. e. terram Romanam s. Italiam. *e*) *allvalds*, *B.* *f*) *kendu*, *B*; *F* ut in textu. *g*) h. l. idem quod *kom.* *h*) subintell. *för.*

Nos, qui hanc borealem plagam incolimus,
auctore rege meliorem conditionem lucramur[1].

Multas res alias, quæ regnis septemtrionalibus utiles fuerunt, Eirikus a Pontifice impetravit. Idem pontifex ei permisit, ut sanctas reliquias Knuti regis ex terra colligeret. Sic Marcus:

Abest, ut alius quisquam rex similia
efficiat ad promovenda hominum commoda.
Pontifex Romanus, Christum amans,
omnia, quæ postularet rex, concedebat[2].

Deinde pontifex et Eirikus amicissime et humanissime digressi sunt. Rex Eirikus ad domum reditionem conversus, quum ad urbem Placentiam venisset, prope ab urbe hospitium fundavit; veniens ad oppidum, Luccam dictum, ei loco pecunias adtribuit, ut omnes peregrinatores, Danica lingua loquentes, illic[3] vini quantum satis esset gratis bibendum acciperent liberaque mansione (nocturna) uterentur. His confectis rebus rex Eirikus in Daniam, regnum suum, rediit, magnamque gloriam ex hac peregrinatione consecutus est.

De Henrico imperatore.

75. Hoc tempore imperator Saxoniæ erat Henricus, filias Henrici munifici[4], ingens bellator. Qui quum regem Eirikum regno profectum fama

---

[1]) Constructio: *Eiríkr náði at fœra erkistól utan um Saxa merki; vèr hingat norðr hljótum þat, er bætir vorn hag, at a) orðum skjöldúngs.*

a) *af*, eod. sensu, *V.*

[2]) Constructio: *Hitt eyðist, at [annarr gramr ráði jafnstórt a) til þurftar mönnum; [pávi sunnan, unnandi Krists b), leyfði allt, sem konúngr krafði.*

a) *jafnan stórræði annan gram*, *B*, quod constructionem h. l. turbat. *b*) omitt. *S*, *V.*

[3]) in hospitio ab se fundato, de quo ante facta mentio est, *F.*

[4]) potens princeps et, *add. F.*

accepisset, ingenti ex imperio suo exercitu conscripto, in Vindlandiam movit, magnamque populationem fecit in ea provincia, quam Danorum reges ibidem diu possederant[1]; cujus provinciæ universi incolæ imperatori obsequium polliciti sunt. Eo tempore omnes Vindlandiæ incolæ ethnicismo addicti erant. Huic provinciæ, quam in potestatem redegerat imperator, custodiendæ multos principes præfecit. Quorum qui auctoritate plurimum valebat, nomine Bjorn, imperatorem allocutus: quum tantas res in regno Danorum regis gesserimus, vestris opibus nobis in primis opus est. Quam ob rem abs te petere volo, uti me jungenda tecum adfinitate digneris; quæ petitio mea ad dominam Botildam, sororem tuam, spectat; neque enim periculo carere mihi videtur, hoc loco Danorum incursionibus expositum sedere; tibi autem genus meum et agendi ratio cognita Imperator se ei hoc[2] concessurum pollicitus est, si hanc provinciam a Danorum, aliorumque qui eandem sibi vindicare sustinerent, incursionibus omnibus nervis defendere vellet. Dein imperator dominam Botildam Bjorni collocavit in matrimonium; de cujus genere memoriæ proditum est, quod soror erat imperatoris eadem matre nata. Patri ejus nomen erat Thorgoto, genere Dano, regis Sveinis Ulvidæ quondam aulico, formæ pulcritudine excellenti, quem rex Haraldus Sigurdi filius Fogrumskinnium (pulcre pellitum) appellare solebat. Hujus patri nomen erat Ulvo, qui dynasta[3] insignisque in Dania bellator fuit; is piraticam in terris occidentalibus faciens, terram Galliciam[4] subegit et vastavit, ibique magnam populationem fecit, unde cogno-

[1]) hanc provinciam imperator sibi subjecit, *add. F.* [2]) quæque alia honoris promovendi caussa optaret, *add. F.* [3]) præfectus aulicorum, *F.* [4]) occidentalem, *add. B.*

men Ulvi Galliciani adeptus est; idem in matrimonio habuit Botildam, filiam dynastæ Hakonis Eiriki filii, matrem Thorgoti Fogrumskinnii. Igitur imperator Bjornem, affinem suum, provinciæ[1], quam in Vindlandia subegerat, præsidem præfecit; quo facto Henricus imperator domum in Saxoniam reversus est. Bjorn provinciam regis Danorum insedit, eaque Danos prohibere cogitavit. [Hoc tempore, quo Vendi se Danorum regi subtraxerant, rex Eirikus a meridie Roma rediit; quorum defectio eum, quem mox exponemus, exitum habuit[2]. Sic Marcus:

Provinciam, quæ regi erat, Vendi
retinere non sunt ausi. Male illis
defectio succedebat. Fama de rupto
a proditoribus fœdere a meridie allata est[3].

De Eiriko.

76. Rex Eirikus in regnum suum reversus quum cognovisset, Vindlandiam armis imperatoriis infestatam, habito cum principibus et colonis concilio, hunc in modum verba fecit: omnibus hominibus notum est, irruptionem a Germanis factam esse in eas provincias, quas reges Danorum, majores mei, diu in Vindlandia possederunt; igitur omnes mei subditi sciant, me hanc vexationem a nobis depellere, aut mortem oppetere statnisse. Misso dein per totnm regnum

---

1) Danorum regis, *add. F.* 2) *a signo ita F;* Rex Eirikus tum primum Roma venit, quum Vendi se Henrico subjecerant, quæ defectio quem habuerit exitum, postea dicetur, *B;* Regi E. a meridie allatum est, Vendos se, cett. *S, convenienter sequ. semistrophæ.*

3) Constructio: *Vindr a) þorðut b) at halda þat veldi, er buðlúngr átti; villan gjörðist þeim at illu. Sáttarof svikdómsmanna kom þá sunnan c).*

a) Vindar, B. b) þorðu, S, V, omissa negatione. *c) hic explicit, F.*

belli nuntio, ingentem exercitum contraxit, comparatisque navibus universam classem in Vindlandiam trajecit. Sic Marcus:

Princeps naves eo direxit,
furentibus fluctuum assultibus;
pluteus tremuit, mare vero concussit
adspersas proras ante Vendorum habitacula[1].

Præfecti Vendis ab imperatore impositi, cognito, Danorum exercitum adversus se comparari, convocatis copiis, prœlio decertare statuerunt. Rex Eirikus, quum audisset, Vendos regno suo se prohibere statuisse, in terram cum copiis egressus est. Mox utrique aciem instruunt. Rex Eirikus suos ita ordinavit, ut prima acies cuneata, totaque a lateribus clypeorum testudine munita esset. Sic Marcus:

Rex ingentem aciem cuneatam instruxit;
munificus ille princeps cohortes suorum
contiguis clypeorum ordinibus circumsepsit; tum arma defensoria clangere potuerunt[2].

Quo facto rex Eirikus vexillum suum proferri jussit. Hic acerrima pugna commissa est. Rex Eirikus in primore acie constitutus rem audaciter gerebat, lorica indutus, galeam capite gerens. Sic Marcus:

Pugna increbuit circa munificum regem;
milites principis perticas (signa) proferebant.
Liberalis princeps in ardentem pugnam processit,

---

[1]) Constructio: *Ýngvi hèlt skipum a) þángat i óðastraungum öldugángi; hlýðan b) skalf, en c) græðir hristi hèlug d) börð e) fyrir Vinda görðum f).*

a) *skiðum, S, V,* mend. b) *M, K; hlundan, B,* prave. c) *er,* quum, *B.* d) *M; herlug, B.* e) *borð,* id., *B.* f) *gerðum, B.*

[2]) Constructio: *Hildíngr fylkti hamalt miklu liði; risnu maðr a) lauk röndu um rekka kindir, svá at hver tók aðra; þá knúttu hlífar glymja.*

a) *mar, S, V,* siglis male intellectis.

metallo ornatus et galea caput velatus[1].
Dein Vendi in fugam se conjecerunt, et se diversis locis, arcibus et castellis, continuerunt. Dani insecuti prœlium cum eis commiserunt, magnumque numerum eorum interfecerunt. Sic Marcus:

Paganorum multitudo se arcibus defendebat;
eo celeri gradu ad prœlium itum est.
Fortes milites ad cædem faciendam ruebant,
vexillo circa robustum principem expanso.
Eirikus imbres mucronum ciebat,
tela vitam virorum perdiderunt;
gladii insonuere, homines exspirabant,
sanguis in calidum cæsorum acervum decidit[2].

Ruber clypeorum ordo cruore aspersus est;
ultor perfidiæ immensam vim hominum stravit.
Juvenis rex gloriam sibi comparavit, quo loco
arma militaria crepitarunt loricæque dissiluerunt[3].

Vendi optimum factu judicarunt, ut regi Eiriko se dederent, ejusque sese fidei committerent. Sic Marcus:

Tandem paganorum multitudo militum

---

[1]) Constructio: *Styrjöld óx um örvan stilli; vísis drengir a) báru fram stengr; mildíngr, skrýddr málmi ok faldinn hjálmi, gekk at miklum hjaldri.*

a) sic S, V, K; drengi, B.

[2]) Constructio: *Hörga a) herr varðist i borgum, hjaldrgánga var snörut b) þángat; harðir c) menn kniðust d) at morði, merki blés um sterkan hilmi c). Eiríkr vakti odda skúrir, eggjar týndu lifi seggja; járn súngu, sveiti fèll á heitan valköst, en drengir sæfðust f).*

a) *hörða, B*, contra metrum. b) *snarut, B*, id., vocali non mutata. c) *harðar, B.* d) *tindust*, sensim adfluebant, *S, V*, haud dubie mendose ex *cniðuz*; *kindr, B*, perp. e) *hilmir*, id., *S, V.* f) *sic K; svæfðust*, sopiebantur, *S, V*; *svæfðumst*, sopiebamur, *B*, inepte.

[3]) Constructio: *Blóði dreif á rauðan randgarð; rógs hegnir drap ótal þegna; úngr fylkir framdi sik, þar er fólkvopn glumdu, en brynjur sprúngu.*

ex antiquo castello excedere cupiebant.
Illi, qui munimentum agro proximi
defendebant, se dedere coacti sunt[1].

Eo loco tanta strages hominum edita erat, ut numerus cæsorum nullo pacto iniri potuerit; ceciderat et Bjorn, affinis imperatoris, propeque omnis, quæ eum secuta fuerat, multitudo. Hic rex Eirikus ingenti præda potitus est, quam omnem suis dispertivit, ipse sibi nihil reliquit. Rex Eirikus multis terræ locis tractus habitatos inflammavit, tantumque metum incolis injecit, ut in omnes partes aufugerent. Sic Marcus:

Pagana incolarum pectora in Vendorum
territoriis plena sollicitudinis erant;
ignis circa innumeram multitudinem
circumvolitavit, Eiriko domicilia incendente.
Flammæ, ædibus injectæ, sublimes ardebant,
domicilia multis locis collapsa sunt.
Labente jam quarta vigilia incendium,
alnis noxium, cœlum lambere videbatur[2].

Factum est hoc prœlio, quod Marcus commemoravit, ut complures homines igni et armis absumerentur. Itaque pars Vendorum ad regem Eirikum confugiebat, quibus rex grandem pecuniæ multam imposuit, easque provincias, quas reges Danorum in Vindlandia possedissent, ex quo rex Svein Furcobarbus hanc terram in po-

---

[1]) Constructio: *heiðinn vigs hömlu a) herr vildi um siðir úr gömlu porti b); þeir, er vörðu virkit næst vángi, urðu at gánga á hönd.*

a) *vigs hamla*, tigillum cædis, gladius v. hasta; *vigs hömlu herr*, hastati milites. *b*) porta castelli.

[2]) Constructio: *Heiðiu hjörtun lýða voru hrygðafull i Vindabygðum; eldrinn sveif um ótal hölda, Eirikr brendi sali þeirra. Eisur kyndust hátt i húsum, hallir náðu vitt at falla; óttu leið, en elris grand þótti standa uppi i himni a).*

a) *himin, S, V; himnum, B,* sensu eodem manente.

testatem redegerat, suos fundos hæreditarios adseruit. Sic Marcus:

Eirikus rem ingenti successu gerebat;
Vendi e vestigio fugam capessiverunt;
tunc incolæ crudeles pecunias spoponderunt,
nam homines victoria exciderant.
Rex eam regionem in herediis suis numeravit;
populus regi morem gerere coactus est.
Carus populi amicus eas provincias in perpetuum
retinuit, quæ antea Sveini subjectæ fuerant[1].

His Vindlandiæ provinciis rex Eirikus custodes imposuit, qui eas sub ditione regum Danicorum tenerent. Quibus confectis rebus, insigni victoria potitus, domum in Daniam rediit. A meridie profectus quum Vindlandia navigaret, primo classem ad Ölandiam adpulit. Sic Marcus:

Confirmator militum latus terræ, æstu
marino adflictum, navibus circumdedit;
munificus rex humidum litus cuspidibus
et algidis clipeis circumcludi jussit.
Exhilarator ducum perquam strenuus
exteriorem terræ oram clipeis circumstipavit.
Rex terram Danorum insularium, in sævo
bello, rubra clipeorum testudine inclusit[2].

---

[1]) Constructio: *Eirikr var með hárri uppreist: Vindr flýðu undan af stundu; grimmir höldar festu a) þá gjöld, gumnar voru numnir b) sigri. Ýngvi taldi þángat erfðir; alþýða varð at hlýða stilli; ástvinr c) aldar rèð einatt því veldi, þat lá fyrr und Sveini.*

a) *feldu, K*, dub. b) *unnir*, devicti erant, *B*, mend. c) *ástvin*, id., *S, V.*

[2]) Constructio: *Fólka treystir lukti flaustum a) brimi kníða foldar síðu; örr vísi bað læsa úrga strönd oddum ok svalri b) röndu; harðla nýtr hersa reifir keyrði hlífum um landit ytra; hilmir lauk hauðr Eydana c) rauðri skjaldborg, við ólman hernað.*

a) *flaustrinn, S, V*, qui haud dubie voluerunt *flaustrum*, forma, ut puto, recentiori. b) *snjalki, S, V*, puto purum putum

Post hæc rex Eirikus in regno suo quietus consedit, magnamque ex hac quoque expeditione gloriam et nominis celebritatem consecutus est.

Sublatæ sanctæ reliquiæ Knuti regis.

77. Rex Eirikus prudentissimos quosque sui regni viros, tam clericos, quam laicos, convocari jussit, significans, placere sibi, si voluntati sacerdotum non repugnaret, quo rex Knutus sepultus esset locum quæri; eorum tamen curæ et auctoritati rem permittens. Universi rem regis arbitrio mandarunt; qua re, consentientibus episcopis universoque populo, accedente auctoritate regis, magna cum hominum multitudine in Fioniam profecti sunt, excellentissimis in Dania viris regem comitantibus. Dein sepulcrum Knuti regis investigatum, arca sublata, sanctæque reliquiæ ejus inter hymnorum concentum circa ædem sacram comportatæ. A regione templi in orientem versa vir quidam forte sedebat, qui longo tempore membris debilis fuerat. In hunc forte inciderunt, qui sanctas reliquias portabant; qui quum arcam super eum protulissent, ille incolumis surrexit, ædemque sacram cum ceteris hominibus circumivit, Deum laudans sanctumque Knutum regem. Dein sanctæ reliquiæ intro in ædem latæ, et in medio templi pavimento collocatæ; quo facto, rege sacerdotibusque accedentibus, arca regis Knuti reclusa est; cujus corpus omnino erat integrum, ut nuper mortui, quod multis perquam memorabile visum. Mox corpus ex arca sublatum, et feretro impositum. Hic quibusdam hortantibus, ut sanctæ reliquiæ explorarentur, universi rem regis sententiæ sub-

rnendum ex *snjallri*, quod habet *B*; verum *snjallr* h. l. significare debet aut eximium aut fulgidum. c) sic *K, S, V*; *ey Dana*, *B*. Hinc, ut aliunde, patet, nomen *Danir* latius patuisse, et ad plures, quam Danos, sic proprie dictos, pertinuisse.

miserunt. Itaque rex: placet explorari, inquit, nam, nisi exploratæ sint, fieri potest, ut nos Dani hæc dolo et novandi studio excogitasse putemur; sed speramus Deum[1] ob merita martyris sui, Knuti regis, daturum, ut sanctitas ejus omnibus eo manifestior magisque indubia reddatur, quo diligentiori examini subjiciatur, ut nulli ulla relinqui dubitatio possit. Tum rex Eirikus [linteum impurum[2] sumi, et in pupam complicari jussit, tam grandem, ut neque longior[3] neque brevior esset, quam corpus Knuti regis. Dein hæc pupa corpori imposita; mox ignis consecratus sumtus et pupæ injectus, quæ quum ita exarsisset, ut soli cineres reliqui essent, corpus Knuti, igni intactum, adeo incolume erat, ut ne unus quidem pilus violatus, ipsumque corpus multo quam antea candidius esset. Quo facto clerici *Te Deum* incinuerunt, omnesque Deum omnipotentem et hunc ejus martyrem[4] collaudarunt. Tum statim ejusdem dies emortualis magna solemnitate agi cœpit, qui dies anniversarius, ritu maximorum festorum, tota Dania celebratur. Eodem tempore arca funebris Benedicti, regii fratris, e terra sublata, cujus vulnera, quotquot regi Knuto obversa erant, coierant. Rex Eirikus splendidum scrinium fabricandum curavit, quo sanctæ reliquiæ regis depositæ, ipsumque scrinium super altari collocatum est. In alio scrinio quiescit corpus Benedicti Odinsvei[5] in Fionia. In hac eadem æde, nunc regi Knuto sacra, Deus, eo deprecatore et intercessore, insignia beneficia multaque miracula exhibet: hic cæci visum

[1]) h. l. incipit posterior pars Fragm. *H.* [2]) purum, *S*; linum in fila non deductum, *K, V*, et *H*, qui habet *lín óreint*, haud dubie eod. sensu, quam verissimam lectionem arbitror. [3]) tenuior, *H, V*, verius, ut puto. [4]) sanctum Knutum regem, *add. H.* [5]) Odinsoæ, *H*; i. e. Othiniæ.

recipiunt, claudi incedunt, leprosi purgantur, dæmones ab hominibus ratione captis aufugiunt; quæ beneficia multis quoque (aliis) locis, sicubi idem vera fide votis colitur aut voce vocatur, exhibentur, cooperante domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat unus Deus in æternum sine fine, amen.

De filiis regis Eiriki.

78. Rex Eirikus captivam duxerat dominam Botildam, imperatoris Henrici sororem, quam Bjorn, quemadmodum supra scriptum est, in matrimonio habuerat. Ea regem Eirikum in Daniam revertentem comitata erat. Ex ea rex Eirikus filium suscepit, qui puer nomen Knuti sancti, fratris ejus, sortitus, primo statim tempore magnam sui spem fecit, formæque venustate conspicuus erat. Qui quum adhuc tenera ætate esset, rex Eirikus dominæ Botildæ ita locutus est: tua, quæ aliquamdiu heic loci fuit, commoratio jam cessabit; te enim ad tuos cognatos reducendam curabo. Cui illa: quos inter nos agitavimus conventus amatorios parum prospere successisse arbitror, nam tu magis ulciscendi studio, quam amore impulsus, mecum commercium habuisti; mihi igitur eam, domine, veniam dabis, opinor, ut me Knutus, filius noster, solatii ergo comitetur. Rex contra: haud tam bene de me meruere cognati tui, ut hunc puerum apud eos adolescere concedam, quippe quem animus mihi præsagiat honori et consanguineis fore et multis aliis. Dein splendido præsidio ab rege dato domum ad consanguineos reducta est[1]. Knutus vero in aula patris adolevit, omnium animos sibi conciliavit, naturæ artisque bonis instructissimus, regi totique populo acceptissimus. Erant regi

[1]) quæ ab imperatore ceterisque cognatis suis prolixe excepta est, *add. H.*

Eiriko alii filii duo, natu majores, quorum alteri nomen erat Eiriko, [alteri Haraldo Kesiæ, optimæ spei juvenes; eidem una filia, nupta viro, dicto Hakoni Norvego, etiam Sunnevæ filio appellato, quæ Sunneva erat filia dynastæ Hakonis, Ivaris filii, et Ragnildæ[1], filiæ regis Magni Boni. Filio Hakonis Norvegi et Ragnildæ, regis Eiriki filiæ, nomen erat Eirikus *Lamb* (ovicula), cujus infra mentio fiet. Regem Eirikum, quamdiu Daniæ imperavit, varia negotia occupatum tenuerunt: reipublicæ administrandæ et legibus custodiendis insignem operam dedit; magnæ quoque ei curæ fuit, ut publica ædificia, aut collapsa aut ruinosa, restauraret; quinque templa lapidea proprio sumtu ædificanda curavit, eisque pecunias adtribuit. Sic Marcus:

Sapientiæ promotor multis locis templa
principalia arte elaborata ædificavit.
Sincerus populi amicus quinque sacras ædes
splendidas e lapide exstruendas curavit.
Templa, quæ magna soliditatis laude ædificanda
curavit rex bellicosus et omni nomine
excellentissimus a regione Saxonum in
boream versa, ad perticam descripta erant[2].

---

[1]) quæ a signo [sunt, in *H* abrupta sunt.

[2]) Constructio: *Vísdóms a) græðir setti viða höfuðkirkjur, skrýddar b) virki; hollvinr c) herjar d) lèt gjöra e) þar f) [fimm hrein musteri af steini g). Þau tiða flaustr, er gramr, böðvar snjallr ok beztr at öllu, lèt smiða h) með trygðar tíri i) fyrir norðan Saxa k), voru merkt l) borði m).*

a) *vísdóm*, *B.* b) *skrýdd at*, *H*; accepi *virki* de opere, possit et de sepimento sumi. c) sic leg. putavi; *hollr vinr*, id., *B*; *hollr um*, *K* in not.; *helzt um*, *S*, *V*. d) conjeci; *herjat*, *H*; *hèruð*, cet., ɔ: *um hèruð*, per territoria. e) *gerva*, id., *H*. f) *hann*, *S*, *V*. g) sic *H*, *K*; *af hreinum ok musteri steini*, *S*, *V*; *ok musteri fimm af steini hreinum*, *B*, metro utrumque respuente. h) sic *H*, *K*; *siðan*, *B*. i) forte verba *með trygðar tíri* re-

Regis Eiriki Hierosolymam profectio.

79. Aliquo tempore rex Eirikus celebrem conventum habens, hunc in modum verba fecit: Deus vobis, Dani, pro illo amore et obsequio magnaque illa benevolentia, qua me vestri consortem imperii prosecuti estis, gratias persolvat. Nunc domo profectionem Hierosolymam, incertus an[1] redire contingat, suscipere statui, filio Eiriko aliisque, quos constitui placuerit, principibus comitatus. Filius Haraldus reipublicæ Danicæ me absente administrandæ gratia remaneto. Knuto filio ducis dignitatem, simulque Heidabyum provinciamque eo pertinentem donare volo. Hoc autem omnibus notum est, Nicolaum, fratrem meum, ex præscripto legum secundo esse ad regium principatum ordine; quem debito honore et dignitate fraudare minime volo, confidens, cum mihi hoc digne repensurum; etenim me fraterna necessitudine eum ita devinxisse arbitror, ut Knutum filium meum, qui ætate puer est, amicitia et opibus sit sublevaturus, quo magis provinciam ipsi a me traditam retinere queat. Optarim[2], ut hi cognati familiariter conviverent, omnesque amicos meos rogatos volo, ut adolescentem bene ac liberaliter tractent. Dein rex Eirikus profectionem magno sumtu[3] adornavit; quod consilium ejus quum fama late divulgaretur, multi proceres, tam indigenæ quam exteri, hujus profectionis societatem petierunt[4]. Circa hoc tempus rex Franco-Gallorum regi Eiriko,

ctius referuntur ad *gramr* ɔ: rex fidelitatis laude inclytus. *k*) *Saxland*, Saxoniæ, *H*, *K*. *l*) *merktr*, *B*; *merkti*, *H*; neutrum apte h. l. *m*) in *H* dub., *boði* an *borði*.

[1]) huc in Daniam, *add. H.* [2]) plurimi interesse duxerim, *H.* [3]) festinatione non usus, *add. H.* [4]) compluresque principes, de consilio ejus edocti, illum pecuniis ad hanc profectionem adjuverunt, *add. H.*

ante quam domo proficisceretur, ampla munera misit. Plurimorum hominum relatio est, tunc pacem inter imperatorem Henricum et Eirikum Danorum regem factam, ut ipsi munera inter se mitterent. Imperator regi Eiriko[1] magnum militum numerum[2] ex imperio suo misit[3]. Sic Marcus:

Rector Francogalliæ elegantem Bjornis
fratrem splendidis divitiis donavit;
ampla munera, a potente imperatore
missa, clypeorum consumtori placuerunt.
Donicum Jotiæ terræ princeps in Cæsaris
congressum venisset, amicus regum strenuos
ei comites, ad prœlium instructos, dedit,
qui eum per totum viæ spatium deducerent[4].

De archiepiscopo.

80. Hoc tempore Ossur, filius Sveinis Thorgunnidæ, Lundi in Skanoa episcopus erat, vir potens, amplo genere, summæ auctoritatis, necessitudinibus multum pollens. Qui quum ad suscipiendum munus archiepiscopi aptus a multis judicaretur, auctoritate regis Eiriki consensuque omnium incolarum, archiepiscopus Daniæ

[1]) ampla munera dedit et, *add. H.* [2]) præsidiumque, *add. H.* [3]) qui eum totam viam Constantinopolin usque comitarentur, *add. H.*

[4]) Constructio: *Stýrir Frakklands gœddi bliðan a) Bjarnar hlýra b) björtum auði; raudgarðs c) rýrir d) lèt sèr lika stórar gjafir riks keisara. Harra spjalli e) lèt honum snjalla f) laðmenn g), búna til h) hervigsi i), alla k) leið, áðr öðlingr Jóta grundar næði l) Cesars m) fundi n).*

a) bliðum, gratis, *B*, ut referatur ad *auði*; h. l. incipit ultima pars Fragm. *G.* *b*) i. e. regem Eirikum, v. supra cap. 23. et Saxonis ed. Steph. p. 225. c) *rauðgarðs, S, V; randgriðs*, clypeorum otii (disturbator), eod. sensu, *H.* *d*) *reyrir, S, V*; i. e. rex belliosus. *e*) ɔ: Galliæ rex. *f*) *alla, B*, male permutatis vocibus. *g*) *leiðmenn*, viæ duces, *V.* *h*) h. l. explicit *H.* *i*) *hvorigs, S, V*, dub. *k*) *snjalla, B*, conf. *f.* *l*) sic *G*; *náði*, cet. *m*) ɔ: imperatoris Constantinopolitani. *n*) *fyndi*, id., *B.*

electus est, quum constitutum esset, ut sedes archiepiscopalis, cui omnes Dani subjecti essent, Lundi institueretur. Sic Marcus:

Indefessa fortitudine spectatus terræ princeps
sedem archiepiscopalem, quam omnes Danica
lingua loquentes venerantur, in Dania prope
a Lundo, in gratiam hominum, ponendam curavit.
Rex sacrosanctam potestatem promovit.
Constat, Ossurem, civium commodis ubique obvium,
cui hominum explorator viam cœlestem
commonstrat, (archi-)episcopum inauguratum esse[1].

De rege Eiriko.

81. Ubi rex Eirikus copias suas, ut visum est, adornarat, pulcre[2] comitatus e regno profectus est, magnum habens equitum peditumque numerum. Sic Marcus:

Jam demonstrabitur, quod rex, fortitudine
insignis, interna vulnera sanari cupiebat:
domitor præfectorum forti cum præsidio a borea,
animæ medendi gratia, profectus est.
Princeps, gloriosam vitam consequi cupidus,
iter ad plagam orbis præstantiorem paravit,

---

[1]) Constructio: *Eljun a)- þúngr dögling b) grundar lèt settan dróttum c) erkistól i Danmörk, skamt frá Lundi, þann er öll þjóð dýrkar á danska túngu. Hildíngr framdi heilagt veldi d); fregna má hvargegnan Özur vigðan til biskups: hölda reynir e) visar honum himna stig f).*

a) elli mun, S, V, perp. *b)* i. e. *dögling r; döglings, G, K,* vide mox *c.* c) *drottinn,* dominus, *G, K,* qui junxisse videntur: *drottinn grundar* (rex) *lèt settan erkistól skamt frá döglings lundi,* ut *döglings lundr* (=*konúngs lundr,* lucus regius) nomen fuerit luci, haud procul ab oppido Lundo siti, unde oppidum nomen traxerit. d) i. e. imperium ecclesiasticum. *e)* i. e. Deus. *f) stigr, B.*

[2]) bene, *S.*

profectionem peregre suscepturus ad visendum territorium Hierosolymitanum, pace securum[1]. Rex Eirikus magnifice ac splendide iter fecit. Quamcunque urbem accederet, ei præcipuus honor habitus est, sacerdotibus cum solenni pompa sanctisque reliquiis obviam procedentibus. Sic Marcus:

Scrinia, rebus pretiosissimis ornata, crucesque
ex amplis urbibus portaverunt viri,
obviam intrepido principi procedentes,
cantu inter pulsatas campanas audito.
Nullus unquam princeps tali honore
in alterius imperio mactabitur; id quod
minime mirum fuit, quum nemo se
cum Danorum rege comparare posset[2].

Rex Eirikus iter facere perseveravit, donec Con-

---

[1]) Constructio: *Hitt skal lýst, er liðhraustr a) konúngr fýstist (at) læknast [en iðri sár b); mæðir hersa [fór norðan með harðan helmíng c), at græða sál. Harri bjóst til ins dýrra d) heims: böðlúngr vildi öðlast bjart líf; hann gjörði för út e), at kanna Jórsala bygð, trygða f) friði.*

a) liðharðr, id., *S.* *b) fór sá norðan*, ille a borea profectus est, *B.* c) a [*hörðum enn með hilmir vörðu*, *S*, *V*; *en með helmíng hörðum vörðu*, *B*, utrumque sine commodo sensu. *d) dýra*, *B*, quod idem valere potest; *hýra*, *S*, *V*, mend. *e)* h. l. iterum incipit *G*, *K*. *f)* voculam *í*, quam h. l. inserunt cet., omittit *G*.

[2]) Constructio: *menn báru skrín, göfguð hnossum, ok krossa, á móti bleyðiskjars harra a), úr stórum borgum; súngit var, þá herr b) tók hríngja. Jöfra ríkir c) fær d) aldri slíkan metnað í annars veldi; eitt var sère), þat er engi maðr mátti jafnast við Dana þengil.*

a) ad verbum: in obviamitione intrepidi regis, i. e. quum intrepido regi obviam itum est; ceterum *S*, *V* legunt *herra*, domino. *b)* sic *G*; *hèr*, hic, *B.* *c)* sic *G*, *K*; *ríkr*, cet., deficiente justo syllabarum numero. *d) fæst*, *S*, *V*, quod in hac constructione non procedit. *e)* ad verbum: ea res singularis erat, quod, qs. d. ea res naturæ quodam bono regi Eiriko contigit, quod etc.

stantinopolim venit, ubi ab Alexio, tunc temporis Græcorum rege, liberaliter exceptus et splendido convivio honoratus est. Rex Alexius Eiriko regi optionem dedit, utrum mallet quadraginta auri talenta[1] accipere, an ludum in honorem suum exerceri, dictum a Græcis Hippodromia, qui a rege in loco, Hippodromo dicto, institui solet; omnesque confirmabant, regi ludum non minori constare, quam quantum regi Eiriko auri obtulerat. Quoniam vero rex Eirikus, qui magnum hominum numerum suo sumtu aleret, ingentes sumtus facere cogebatur, multumque supererat faciendi itineris, exhausta admodum quam in numerato habebat pecunia, eam ob causam munus auri prætulit. Idem rex Græcorum Alexius post hæc Sigurdo Hierosolymipetæ, Norvegiæ regi, eandem dedit optionem; qui quum maximis jam factis sumtibus domum iter faceret, ideo ludum præoptavit; et variant sententiæ, utra optio principe viro dignior sit existimanda. Rex Græcorum regi Eiriko vestes suas solemnes, et quatuordecim naves bellicas dedit, multaque alia munera magnifice largitus est. Sic Marcus:

Præpotens rex ab ipso imperatore
Constantinopolitano graves rubri
auri divitias, quadraginta talenta,
summa cunctorum laude, accepit.
Nuper ornatum imperatoris Eirikus
dono accepit. Explorator præfectorum
potentiæ quatuordecim ei naves bellicas,
præter alia plura munera, largitus est[2].

---

[1]) *hálfa lest gulls*] unam *Lest* continuisse 4152 libras pondo, docet P. Vidalinus (*Fèlagsrit* 4, 263).

[2]) Constructio: *Harðau*) *ríkr hildíngr þá af sjálfum harra í Miklagarði höfgan auð* [*í rauðu gullib*), *hálfa lest, við hæst c*) *lof aldar. Eiríkr tók áðan við skrúði allvalds; reynir*

Quum rex Alexius et Eirikus rex summa comitate et amicitia digressi essent, Eirikus Constantinopoli cum magna classe solvit, appulsisque ad insulam Cyprum navibus, morbum nactus est, qui ei letalis extitit. Mortuus est in urbe, Basta[1] dicta; cujus mors non solum omnibus suis, sed etiam multorum aliorum locorum incolis, ad quos ea fama pervenisset, gravem luctum attulit. Sic Marcus:

Omnium rerum moderator animosum
regem animam peregre depoposcit;
senectutem non vidit strenuus ille princeps,
cujus mortis fama late pervagata est.
Exinde fortes viri per totum orbem habitatum
regis mortem lugent, populusque post obitum
fidelis hostium debellatoris in mœrore jacet;
id quod communem omnibus dolorem monstrat[2].

Mors Eiriki regis luctuosa extitit omnibus, quibus cognitus erat, ut vere dictum sit, nullum Danorum regem illo quidem tempore apud uni-

---

hersa máttar veitti honum sex ok átta herskip, þó at fleira var gefit.

a) *G*; *harðla*, id., cet. b) *ok gullið rauða, S, V.* c) *hæðst, S, V.*

¹) Vide *almenn Landaskipunarfræði*, Havn. 1827, P. 4. pag. 9, et Werlauffii Symbol. p. 27 not 150. Hujus loci *Basta* forte ex *Baza* profectum.

²) Constructio: *Allsstýrandi krafði snjallan konúng a) andar út í löndum; ofvægr stillir b) beiðat elli: aldr c)- strið, er frægt d) er viða. Snjallir menn harma siðan dauða siklings e) um alla heimsbygð; herr f) drúpir g) at h) dyggan dólga i) steypi k); [þat tær l) hryggva m) veröld.*

a) *konúnginn*, add. articulo, *B.* b) *stilli*, *S, V.* c) *aldrei, S, V*, vix recte. d) *fregit*, eod. sensu, *S, V.* e) *sikling*, *S, V.* f) *heimr*, orbis terrarum, *B.* g) *draup*, *S, V.* h) *en*, *B.* i) *dólgum*, *B.* k) *stypi*, *B.* l) sic *K*, i. e. id monstrat, ea res indicio est; *þótti*, visum est, cet.; tum *hryggva* est verb. impers. cum accus. subjecti. m) *hryggja*, *S, V.*

versum populum eo fuisse magis gratiosum. Octo annos Daniæ rex fuerat, quod regnum magna potestate et auctoritate administraverat; nulli principes provincias ejus aut filiorum invaserunt, ut horum potestas quidquam detrimenti per eos pateretur. Fuit in inimicos crudelis, quibus eam ob causam terrori fuit; erga amicos comis et hilaris, unde eorum gratiam sibi conciliavit. Sic Marcus:

Nusquam clypeorum quassatores
iram regis perferre potuerunt;
re vera nunquam ei resisti potuit,
quamvis regibus periculum facientibus.
Terrori aliis fuit dynastarum coercitor.
Nullus alacer rex eum rege Danorum
contendere ausus est; nam plerique
fortem terræ custodem pertimescebant[1].

Familiæ Danicæ.

82. Postquam rex Eirikus e Dania profectus erat, Haraldus Kesia administrationem reipublicæ totiusque regni Danici imperium, prouti rex Eirikus præceperat, suscepit. Is tum ætatis habita ratione maturus erat, et apud suos gratiosus, et tamen filium ea, qua pater in primis valuerat, gratia maxime commendabat. Erat Haraldo Kesiæ unus filius, nomine Bjorn, cognomine Jarnsida, qui filiam Ingii Steinkelis filii Svionum regis, Katrinam, in matrimonio habuit. Horum filia erat Kristina, quam duxit rex Svio-

[1]) Constructio: *Hjörva borgar hristi a)-meiðar stóðust hvörgi reiði konúngs; raunar b) varðat reist rönd við hánum, jöfrar gjörðust (þó) freista þess. Ógnin stóð af jarla hegni c); engi snarr fylkir þorði at strengja kapp við Dana harra d): flestir ugðu e) hraustan foldvörð f).*

a) *hreisti, S, V; hjörva borg*, arx ensium, est testudo clypeorum. b) *rannar, B*, mend. c) conjeci; *heyni, M; meiði, A.* d) *hjara, S, V*, perp. e) *hugðu, S, V.* f) *foldna, S, V*, mend.

num, Eirikus[1] Sanctus Jatvardi filius; ex quibus nati, Knutus, Svionum rex, regina Margareta, quam in matrimonio habuit Sverrer Norvegiæ rex, et Katrina, quam duxerat Nicolaus Blaka, quorum filia fuit Kristina, quam Hakon *gamli* (Galinus), dynasta Norvegiæ, in matrimonio habuit, ex quibus natus Knutus[2] [Norvegiæ dynasta[3]. Haraldus Kesia in matrimonio habuit Ragnildam, filiam Magni Nudipedis, Norvegiæ regis; ex his nati Magnus et Olavus, quorum infra mentio fiet, Haraldus et Knutus.

De rege Nicolao.

83. Nicolaus Sveinis filius, mortuo fratre, rege Eiriko, principatum regium in Dania suscepit; tunc (ceteri) omnes filii regis Sveinis mortui erant. Eadem æstate Pascalis pontifex Romanus, rogatu et cura Eiriki regis, Ozuri archiepiscopo pallium misit. Ozur longo inde tempore archiepiscopus Lundensis fuit; magnaque se auctoritate gessit. Rex quoque Nicolaus potens princeps evasit; is duxit Margaretam Ingii filiam, quam rex Magnus Nudipes antea in matrimonio habuerat. Haraldus Kesia[4] regi Nicolao, cognato suo, amicissimus erat, diutiusque se in aula ejus continebat; quandoque Roiskildæ in Selandia, ubi magnum satellitum numerum suo sumtu aluit, sedem habuit, quam urbem admodum ornavit. Eirikus, filius Eiriki regis, eundem apud Nicolaum regem amicitiæ gradum non tenuit.

Initium Knuti Lavardi.

84. Knutus, filius Eiriki regis, ducatum Heidabyensem, sibi a patre rege Eiriko datum, tenuit. Ceteros homines gratia et pecuniæ liberalitate superavit, et populo acceptissimus erat,

[1]) *h. l. explicit G; iterum incipit M.* [2]) Stunpa-Knutus *M.*
[3]) sic *M;* omitt. *B, C, S, V.* [4]) Eiriki filius, *add. M.*

etsi rex Nicolaus et Magnus filius ejus potestate plus valerent; quam ob causam dictus est Knutus Lavardus[1]. Cujus favoris ea in primis causa fuit, quod omnibus opus habentibus bonorum suorum liberum usum concedebat. Quum vero illi, qui his uti voluerunt, modum non servarent, minorque quam postularet usus remuneratio fieret, pecuniæ profusionibus exhauriri cœpit. Regem Nicolaum inter et Knutum Lavardum infrequens familiaritas fuit; pater enim filiusque gratiam, qua valebat Knutus, limis oculis adspiciebant, nam dici re vera potuit, quemvis in Dania ita, uti voluisset Knutus, et sedere velle et stare; quanquam Magnus semper animo in eum magis alieno fuit. Aliquot post mortem regis Eiriki annis obiit Henricus imperator Saxoniæ, succedente imperatore Henrico filio ejus. Knutus autem, cognito, Henricum, avunculum suum, obiisse, filiumque Henricum imperatorem creatum esse, imperatoris cognati sui conveniendi cupidus, splendide comitatus domo profectus est. Cujus adventu præcognito imperator, splendido convivio ad excipiendum cognatum præparato, ipsum advenientem comiter excepit. Apud quem Knutus aliquantum temporis summa amicitia et honore habitus manebat.

De Knuto Lavardo.

85. Aliquo tempore, colloquentibus inter se imperatore Henrico et Knuto Lavardo, Dux imperatori: veni ad te, domine, eo consilio, ut cognationis necessitudine fretus utilia a te consilia peterem, sperans, te honori meo consulturum, magisque rationem habiturum, quæ mihi te-

[1]) i. e. dominus, adjuncta benignitatis, liberalitatis et excellentiæ notione. Quidam derivant a *lá* et *vörðr*, quasi sit custos maris, quod piratas portubus prohibuit; alii, qs. *láðvörðr*, custos terræ v. regionis.

cum est, consangvinitatis, quam earum rerum, quæ meos tuosque majores intereesserunt. Nam, quum mea dignitas in magno diserimine versetur, animusque meus pereupiat honores mihi eoncessos retinere, potestatem mihi a patre traditam deponere refugiat[1], tuis uti sinceris consiliis, quæ sit ineunda ratio, pervelim. Cui imperator: audivi, te ab omnibus diligi et laudari, qua re summa necessitas postulat, ut tuum imperium dignitatemque retinere queas. Verum apud nos Saxoniam ineolentes, quemadmodum multis aliis locis, consuetudo est, inquit imperator, ut occlusis litorum portubus portorium exigatur, omnesque a navibus in portum invehendis, nisi persoluto portorio, prohibeantur. Fieri quidem potest, ut hæc duriora videantur eis, qui talibus insveti sint, tuus vero honos jam antea tantos fecit progressus, ut hac re imminui non posse videatur. Etenim multis orbis terrarum locis ea consvetudo est viris potentioribus, ut portus in ora regionis sitos occludant, unde et ingens redit summa pecuniæ, et belli tempore insigne regno præsidium paratur. Præterea aliquantum tibi peeuniæ dabo, ut honorem tuum retinere eam ob rem possis. Dux, aetis imperatori pro dato consilio gratiis, significavit, portus in ora suæ regionis sitos commode oecludi posse, talem enim esse multorum locorum naturam, ut magnam hujus rei facilitatem præstet. Deinde dux, amplis muneribus multisque rebus pretiosis ab imperatore acceptis, in provinciam suam rediit.

Portus occlusi.

86. Eo tempore pagani homines, qui per æstates diutius in piratica excubantes mercatores aut incolas diripuerunt, Daniæ fines infe-

[1]) accisis jam admodum fortunis meis, *add. M.*

stabant. Quum vero Knutus Lavardus brevi tempore in provincia sua se continuisset, ab utraque parte sinus Sleici, qua brevissimus per fretum, ab exteriori parte Heidabyum versus se infundens, trajectus erat, duo castella exstruenda curavit; hic traductis catenis ferreis ac trabibus effecit, ut præcludi aditus freti posset; dein custodes castello impositi, qui eos solos ingredi portum paterentur, qui pecunias pro singulis navibus solvissent. [Sic Dux, ab omni hostili incursione tutus, plurimum se Heidabyi continebat; is, pecuniis jam auctior, uti conjecerat imperator, pristinum favorem integrum retinebat[1].

De Vidgoto.

87. Vidgotus[2] nomen fuit viro, e Samlandia (Semigallia) oriundo; is paganæ religioni addictus erat, mercaturæ operam dedit, prædives, multarum rerum peritia instructus; itinera mercatoria in terras orientales crebro faciebat. Æstate quadam, quum ab oriente navigans Kurlandiam adpropinquaret, Kuri navibus bellicis ei insidiantes extemplo impetum in eum fecerunt et interficere[3] cogitarunt. Qui quum unicam tantum navem duceret[4], diffisus rebus suis, vela vento dedit et in Samlandiam renavigare statuit. Ab insequentibus Kuris a Samlandia adeunda interclusus, duas præsto esse conditiones intelligit, unam, ut rem in discrimen certaminis committat, alteram, ut velis in altum datis ad terras christianas confugiat; quarum neutra optabilis visa. Verum tamen id consilii cepit, ut velis in altum datis ab oriente navigans Daniam peteret. Scilicet famam de Knuto Lavardo perceperat, hocque insuper, quod omnes, qui in congressum

[1]) a signo [*omitt. M.* [2]) Thjodgotus Smalandus, *M in margine.* [3]) bonisque despoliare, *add. M.* [4]) Kuri vero magnam classem haberent, *add. M.*

ejus venirent, aliquid boni ab eo consequerentur; quare a quo multi bene excepti fuissent, ab hoc ad se quoque aliquid ornamenti profecturum sperans, Heidabyum navigare decrevit. Freto, quod occlusum erat, adnavigans, custodes castello impositos inclamat, se portum ingredi velle significans. Custodi, quis esset, quærenti: Vidgotus mihi nomen est, inquit. Custos: vetuit Knutus Lavardus, ne cui ignoto portus aperiamus. Vidgotus: aperi portum, sodes, Knutum enim convenire volo; qui si hujus rei culpam in te transferat, ego te verbis defendam. Custos: benigne petis, inquit. Aperiunt fretum; Vidgotus navi ingreditur: ad ducem se confert. Knuto, cujates essent, interrogante, ab Samlandia esse adseruit. Cui Knutus: fama tui ad aures meas perlata comperi, te paganæ religioni addictum esse. Se suosque paganos esse profitente, dux: duæ præsto sunt conditiones, una, ut christianam religionem amplectamini et baptismum admittatis, quo facto vos omnes exoptatos adesse jubeo, altera, ut, quid eventurum sit, fortunæ permittatis. Vidgotus: nonne una ratio præstat, domine, meliorem oblatam conditionem præoptare? ego vero libenter christianam religionem amplecti volo, ut eo facto a te beneficiis orner. Dein baptizati sunt, hiememque apud Knutum Lavardum magno habiti honore transegerunt. Vidgotus, a duce sermonibus crebro adhibitus, multa quæ referret memorabilia habuit; erat enim multarum rerum peritus, multaque loca obierat. Dux ab eo multis de rebus terrarum orientalium perquirebat: ille multa, quæ de iis terris referret, habebat.

Matrimonium a Knuto Lavardo initum.

88. In terris orientalibus Holmgardi rex erat Haraldus, filius regis Valdemaris, filii Ja-

rislavi, filii Valdemaris[1]. Mater Haraldi erat Gyda, filia Haraldi Anglorum regis, Gudinii filii. Haraldus in matrimonio habuit Kristinam, filiam Iugii, Svionum regis, Steinkelis filii, sororem reginæ Margaretæ, quam eo tempore in matrimonio habuit Nicolaus, Danorum rex. Filiæ Haraldi et Kristinæ erant Malmfrida, quam rex Sigurdus Hierosolymipeta in matrimonio habuit, et Ingibjarga[2]. Quum vero Vidgotus apud Knutum Lavardum unam hiemem amicissime habitus transegerat, dux ab eo petiit, ut suo nomine orientem versus Holmgardum proficisceretur, nuptiasque Ingibjargæ, regis Haraldi filiæ, sibi peteret. Cui Vidgotus: una res est, domine, quæ me mandato tuo perferendo idoneum reddat, quod mihi pecunia non deest. Etsi vero multa sunt, quam ob rem ad tua perferenda mandata minus sim idoneus, tamen me tuæ voluntati in omnibus rebus, ad quas mea uti opera volueris, satisfacere oportet. Agit ei gratias dux, significans, se ideo hanc rem cum eo communicasse, quod et prudentiæ et strenuitatis habita ratione ad perficiendum hoc negotium maxime idoneus visus esset eorum, qui sub suo imperio essent. Cujus profectione comparata, Vidgotus, ante quam digrederetur, duci loquitur: me, domine, præcedenti hieme honorificentissime habuisti et magnificentissime tractavisti, quam benignitatem leviora, quam par est, præmia rependunt. Accipias a me, quæso, quadraginta „*Serkos*" pellium mustelinarum (continet autem quisque „*Serkus*" quinque „*Timbera*", quodque „*Timber*" quadraginta[3] pelles). Dux ei pro munere gratias egit,

1) regis Olavi Tryggvii filii nutritoris, *add. M.* 2) Engilborga, *M, K, ubique.* 3) quinquaginta, *V.* *Timbr* convenit cum Germ. *Zimmer*, Angl. *a timber of furs*, 40 pelles mustelarum erminearum zibellinarumque et martium.

seque donum præstantius a quoquam accepisse negavit. Igitur Vidgotus cum comitibus avectus, eursum non ante stitit, quam orientem versus Holmgardum ad regem Haraldum veniret. Aditu regis largitione conciliato, liberaliter exceptus est; erat enim fama inclytus, magna utens loquendi libertate, multarumque linguarum gnarus[1]. Mandatum sibi negotium coram rege exposuit et prudenter commendavit. Mentionem faciens Knuti Lavardi, omnium de eo sermonem constare dixit, neminem esse, neque in Dania, neque pluribus locis, qui comparari cum eo possit: genus ejus vobis omnibus notum est, atque hæc conditio omnibus vobis honori erit. Cui rex: tu vero causam ejus magnopere verbis commendas, et res brevi ad effectum veniet, si tuo utemur consilio. Ille: enimvero te, domine, experientia docebit, inquit, ea, quæ de eo prædicarim, re superiora non esse; constat enim inter omnes, Knutum Lavardum omnium, qui hoc tempore in Dania regnisve borealibus adolescant, excellentissimum esse. Ad quæ rex: quandoquidem te veracem esse scimus, tuque nobis de meliore nota cognitus es, ipsique aliquam de Knuto Lavardo famam accepimus, huic negotio liberaliter respondendum existimamus; sed, quum unum tantum ducatum in Dania teneat, exiguum imperii in ditione habere nobis videtur. Vidgotus: at ille contra ea habet, quæ multo sunt præclariora. Rex: quænam? Vidgotus: virtutes præ ceteris hominibus plerisque; quod multis pecuniis magnoque imperio præstat. Deinde rex, habito cum filia[2] ceterisque consiliariis suis colloquio, negotium illis proposuit, omnibus, ut hæc conditio acciperetur, hortantibus; et constitutum est, accedente consensu Ingibjargæ, ut Knuto

[1]) ut interpretis opus non haberet, *add. M.* [2]) amicis, *S, V.*

Lavardo nuberet. Quo negotio peracto Vidgotus in Daniam rediit, ducem Knutum convenit, legationem renuntiavit. Cui dux Knutus pro opera sua gratias egit; idem ea, quæ ad nuptias celebrandas opus erant, comparavit; rex autem Haraldus Ingibjargam filiam suam ab oriente Holmgardo, tempore constituto, splendido cum comitatu misit. Quæ quum in Daniam venisset, a duce cunctoque populo liberaliter excepta est; ejusque ac ducis nuptiæ magna cum festivitate[1] et celebritate actæ. Hi aliquot liberos procrearunt, quorum infra mentio fiet.

De Magno Nicolai filio.

89. Magnus Nicolai filius in aula patris adolevit, omnesque homines tota Dania staturæ magnitudine superavit, vulgo quidem apud incolas gratiosus. Etsi vero rex Nicolaus Magnusque filius ejus amplius imperium haberent, tamen Knutus Lavardus apud omnes erat gratiosissimus et populo acceptissimus; eademque res in causa fuit, quod eorum familiaritas frigidiuscula erat; nam pater filiusque favori ejus invidebant, amicique ejus nimis multi videbantur. Magnus Nicolai filius Rikizam, Burizlavi Vendorum regis filiam, in matrimonium duxit; ex quibus nati Knutus et Nicolaus. Magnus semper magnam secum cohortem habuit, crebroque se in aula apud regem Nicolaum patrem suum continebat; interdum diversis locis agebant. Erat virium magnitudine præstans, et ad omnia brevi maturus; ideoque Magnus Robustus appellatus est.

De Knuto Lavardo.

90. Knutus Lavardus profectionem domo altera vice comparavit, iterumque ad imperatorem Henricum, cognatum suum, profectus est.

[1]) *h. l. explicit B; sequentia ex K et M desumta.*

Cujus adventum quum fama præcepisset imperator, splendido præparato convivio eum prolixe excepit. Aliquo tempore duci imperator: magnam mihi, cognate, voluptatem adfert, quod omnes uno ore laudes tuas prædicant; omnes enim, qui aliquid sapiant, tuique nominis mentionem fieri audiant, in te laudando consentiunt, adeo ut nemo pariter atque tu gratia valeat. Dux: dedit mihi hoc fortuna, domine, inquit; tu vero me opibus et consiliis adjuvisti. Tum dux merces griseas (pelles mustelinas), ipsi a Vidgoto datas, proferri jussit, et imperatori locutus est: has merces velim a me, domine, accipias, etsi levius, quam par esset, grati animi testimonium præstent. Imperator, inspecto munere, gratias egit, his usus verbis: majora quidem accepi munera, pauca vero gratiora. Dux aliquantum temporis magno honore amicissimeque habitus apud imperatorem egit; quum vero sese ad redeundum pararet, imperator ei multas dedit res pretiosas, pollicitus, quoad utrique viverent, eum pecuniæ inopia non laboraturum: quæ vero mihi attulisti munera, ea separatim remunerabor; vestes a me dono accipias, velim, quarum similes tua in patria pluribusve locis haud facile invenientur; quas si possidebis, fortunam tibi imperioque tuo prosperitatem comites fore auguror; quam ob rem peto abs te, cognate, ne has vestes alienes; nam, si alienaveris, vereor, ne voluptas, quæ ex tuo honore vulgo percipitur, brevi sit peritura. Hæ vestes erant solemnis imperatoris habitus, totæ auro pictæ, et in rebus pretiosissimis numerandæ. Dux, actis gratiis pro muneribus omnibusque sibi præstitis ornamentis, in provinciam suam rediit, semperque vir excellentissimus habitus est. Neque ita multo post obiit imperator; et ferunt, solemni illi habitui,

quem imperator Knuto Lavardo, cognato suo, dederat, eam infuisse naturam (virtutem, vim), ut, qui has vestes alienasset, haud diu ab eo tempore vita frueretur. Post eum imperium suscepit Ljodgeir, dux Saxonicus, postea Lotharius dictus.

De Knuto Lavardo.

91. Knutus Lavardus, quemadmodum supra demonstratum est, tantum gratia valebat, ut optimi quique in Dania viri non minus ei, quam regi Nicolao filiove Magno, amici essent; quam rem pater filiusque, ut antea dictum est, invidia tacti adeo ægre ferebant, ut eam ipsam ob rem ducem multosque ex amicis ejus odio persequi inciperent. Quo animum adverso Knutus Lavardus, nullius sibi in patrem filiumve injuriæ conscius, quid faciendum esset, deliberavit. Aliquo tempore, quum rex Nicolaus et Magnus filius ejus in Jotia versarentur, Knutus Lavardus, aliquot comitatus, eos adiit. Qui quum convenissent, ducem comiter exceperunt. Hic Knutus: ea de causa huc veni, quod vos, patrem filiumque, invitare ad convivium statui; nimirum velim, ut multas res amice inter nos communicemus, sicuti nos respectu necessitudinis facere oportet, neu familiaritatem nostram ab obtrectatoribus temere corrumpi patiamur. Illi responderunt, se id percupere dicentes, nullas enim intercessisse res, quæ mutuæ familiaritati obesse possent. Inde Knutus Lavardus domum Heidabyum pervectus, convivium, quo regem Nicolaum Magnumque filium ejus exciperet, ibidem apparandum curavit. Illi, tempore constituto, convivio adfuerunt, splendidisque epulis excepti sunt. Quum adesset dies, quo veherentur, dux regi Nicolao gratias egit pro eo honore, quem sibi adventu suo præstitissent; regique multas

res pretiosas dedit. Quo facto accedens ad Magnum: Magne cognate, inquit, ecce vestes, quas imperator Henricus, cognatus meus, mihi dedit; has tibi nunc dare volo amicitiæ ergo integræque familiaritatis restaurandæ gratia; ideo autem optimas tibi, quas possideo, res muneri do, quod et hic ornatus te bene decet, et eodem te frui minime invideo; digno enim me præmio remuneraturum te confido. Magnus statim vestes induit, omnesque illum intuentes affirmabant, eo formosiorem aut specie augustiorem inventum iri neminem, dicentes, id quod verum erat, munus lectissimo præmio dignum esse. Rex Nicolaus Magnusque filius ejus Duci gratias egerunt pro iis honoribus, quos sibi tum invitando tum magnificis muneribus præstitisset; et ante quam digrederentur, eum ad se ad convivium jolense, proxime insequenti hieme celebrandum, invitarunt; quam invitationem grato animo accepit. Sic cognati amicissime digressi sunt.

Cædes Knuti.

92. Regi Nicolao hieme proxime insequenti convivium jolense Ringstadis in Selandia obeundum erat; ad quod convivium Knutus Lavardus, uti constitutum erat, adfuit, aliquot viris comitatus, et per festum jolense cum rege Nicolao versabatur. Hic eximium convivium agitatum est, magnaque inter regem Nicolaum Magnumque filium ejus et his cognatum Knutum Lavardum amicitia intercedebat. Ut vero aderat dies, qua convivio discederetur, dux se reditum comparare velle significavit. Hoc die convivæ quam vehementissime tractati sunt, comitesque ducis potu se valde inebriarant. Tum Magnus ducem adlocutus: etsi minora tibi, domine, quam pro meritis munera tribuantur, inquit, tamen grati

in te animi testificationem non omittendam duxi; nam quadraginta equites pleno ornatu instructos tibi dare statui. Octo autem auri selibris cuique equiti ornatus suus constare dicitur. Dux gratias Magno pro munere egit, donumque et eximium et magno viro dignum esse declaravit. Interea procedente die, quum equites, quos duci daturus erat Magnus, nondum adessent, quod non omnes ex uno loco arcessendi erant, dux infit: jam prævecti, Magne cognate, quo tibi placebit loco turmam[1] exspectabimus. Cui Magnus: sic faciamus, inquit, ego vero te, cognate, in viam eques deducam, neque prius a te discedam, quam quæ promiserim præstitero. Sane vero, inquit dux, omnia sic præstabuntur, uti tu constituisti; a te vero deduci, magno semper honori mihi duco. Quo dicto Knutus Lavardus regem Nicolaum cognatum suum aliosque, quos visum esset, osculatus est. Post hæc equis conscensis avehuntur. Silvam aliquam pervecti, in locum arboribus vacuum deveniunt. Tum Magnus hortatus est, ut equis descenderent equitesque opperirentur, haud longa mora opus fore causatus. Sic faciunt; descendunt equis, in loco puro consident, multis, ut primum equis descenderant, somno oppressis, quippe quod præcedenti die immoderatius potaverant. Knutus Lavardus trunco caducæ arboris insidebat, juxtaque Magnus cognatus ejus, cæruleo indutus amiculo. Mox conspiciunt hominem ex vicina silva procurrentem; qui quum in locum arboribus vacuum, ubi considebant, pervenerat, detracti quo indutus erat amiculi alteram manicam abrupit, nihilque eos allocutus in silvam recurrit. Dux Magnum interrogavit: quid, cognate, inquit, talia significare autumas? hoc indicium aliquod esse vi-

[1]) equites, *C.*

detur. Nescio, domine, inquit Magnus; talia parvi momenti esse arbitror; tunc vero ista aliquo spectare putas? Dux: suspicor, nescio quam significationem esse aliquibus, qui prope nos constituti sint, copiasque in silua adesse nobis insidiantes. Haud ita esse arbitror, cognate, inquit Magnus; tu enim tantum gratia vales, ut nemo tibi mali quidquam illaturus sit. Tum dux humerum Magni manu contrectans, quæsivit: cur me, cognate, ita deduxisti in viam, inquit, ut cum lorica esses? Magnus reposuit: quia non sum tam gratiosus, quam tu, cognate. Interea dum hæc colloquuntur, primo silua undique tubarum strepitu personare, dein homines ex silua advolare. Has copias ducebat vir, nomine Henricus Claudus, filius[1] Sveinis, filii regis Sveinis Ulvidæ, a Knuto Lavardo gradu uno patruele remotior. Sed hæ insidiæ consilio regis Nicolai Magnique filii ejus profectæ sunt. Dux, copias e silva in eos advolare conspicatus, et intelligens hostes esse, infit: quid hoc sibi vult, Magne cognate, inquit; an tu hujus multitudinis præfectus es? Magnus, raptim ad eum conversus: qui præfectus sit, nihil ad te, inquit, tibi hæc nunc abunde erit. Hæc dicens ad Henricum Claudum transiit. Cui dux: si quid hac re deliquisti, cognate, inquit, Deus tibi ignoscat; ego tibi ignosco. Magnus et Henricus Claudus acrem in comites Knuti Lavardi impetum dederunt, Knuto suisque ad resistendum conversis. Acre prœlium ortum, sed iniquum, multis singulos circumstantibus. Knutiani quoque imparati erant, quippe qui nihil periculi, nullum hostem eo die præmetuerent; etiam multi adeo erant vino se-

[1]) sic et *Fornm.* 7, 278, ut in textu excludendæ sint voces *manni firnari cnn*, et in versione pro „a Knuto Lavardo — remotior" reponendum „patruelis Knuti Lavardi."

pulti, ut, qui obdormivissent, somnum non prius excuterent, quam spicula corpora eorum involarent aut pervolarent. Hoc loco cecidit Knutus Lavardus, cui telum intentatum mortemque illatam ab Henrico Claudo fuisse, plurimorum sermo est. Eodem loco maxima pars comitum ducis cecidit; ipse vero, antequam exspiraret, quæ ad salutem maxime erant conducibilia, verba facere potuit. Ex militibus Magni et Henrici parum aut nihil desideratum. Quæ res quum fama per Daniam divulgarentur, nemo fuit, quin Knutum Lavardum lugeret, tantamque, hoc patrato facinore, invidiam Nicolaus ejusque filius Magnus sibi contraxerunt, ut [pæne nemo homo in Dania esset, qui eis ob hoc bene precaretur[1]; quinimo illi, qui eis antea amici erant, dicebant, uti res erat, hoc summe nefarium factum fuisse, neque quisquam erat vir ingenuus, qui ab eo tempore dare eis operam vellet. Funus Knuti Lavardi Ringstados transportatum, ibique humatum; vir vere sanctus, multis claris atque eximiis editis miraculis inclytus. Dies ejus emortualis incidit in eum diem, qui est postridie decimum tertium diem festi jolensis; nunc autem festus ei dies per totam Daniam æstate celebratur postridie festum Johannis Baptistæ: eo enim die sanctæ ejus reliquiæ e terra sublatæ sunt. Locus, quo cecidit, hodie Silua Lavardi dicitur. Loco arboribus vacuo, quo cecidit sanctus Knutus Lavardus, semper ab eo inde tempore, sive hiems sive æstas sit, viridi colore campum superbire, Dani perhibent.

De liberis Knuti Lavardi.

93. Sanctus Knutus Lavardus et Ingibjarga[2] tres filias procrearunt, Margaretam, Kri-

[1]) quævis lingua eis ob hoc imprecaretur, *C.* [2]) *C*; Engilborga, *M, K, ubique.*

stinam, Katarinam; hæc in terras orientales nuptum collocata est; Kristinam Magnus Cæcus, filius Sigurdi Hierosolymipetæ, Norvegiæ rex, in matrimonio habuit; Margaretam Stigus Albipellis[1] Skaniensis, quorum liberi erant Nicolaus et Kristina, quam Karl Sorkveris filius, rex Svionum, in matrimonio habuit; ex his natus Sorkver, Svionum rex, qui duxit Ingigerdam, dynastæ Birgeris Brosæ filiam, quorum filius Jon, Svionum rex. Quum sanctus Knutus Lavardus cecidit, Ingibjarga, uxor ejus, ventrem ferebat. Ea instanti hieme in regno Gardorum ad orientem apud patrem, Haraldum regem, versabatur. Puerum peperit, Valdemarem nominatum, qui natus est septem noctibus post mortem patris, sancti Knuti Lavardi. Hic, qui mature formæ venustate, corporis magnitudine, plurimarumque rerum præstantia excellens evasit, dum puerascebat, apud cognatos maternos in regno Gardorum ad orientem adolevit, brevique vulgi favorem sibi conciliavit.

De Eiriko.

94. Eirikus, filius regis Eiriki Boni, Sveinis filii, quum cædem fratris Knuti Lavardi fama acciperet, peregre aberat. Quibus rebus cognitis, quascunque nancisci posset, quæque sequi eum vellent copias coegit; dein in Daniam profectus, ut primum terram attigerat, auxilia postulavit. Qui quum multis graves injurias in rege Nicolao Magnoque filio ejus vindicandas habere videretur, idcirco bonam auxiliorum copiam nactus est, in primis favore adjutus patris sui, regis Eiriki, fratrisque Knuti Lavardi; magnusque numerus eorum, qui his amici quondam fuerant, ad Eirikum confluebant. Ut vero primum aliquantum copiæ nactus erat, multa Daniæ

[1]) *hvitaleðr*] *hrutaleiðr, S, V,* rect. *hrútaleðr* (pellis arietina).

loca armis infestavit, magnam in imperio regis Nicolai populationem fecit, ejusque subditos gravi calamitate affecit. Hinc intra regnum magnus exortus belli tumultus est. Huic exercitui rex Nicolaus suos regni defendendi causa opposuit. Hi id temporis in regno Nicolai regis erant potentissimi, Magnus filius ejus, Henricus Claudus, Haraldus Kesia, frater sancti Knuti Lavardi, qui cognato suo, regi Nicolao, hujusque filio Magno amicissimus erat; quam ob rem a multis objurgatus et graviter reprehensus est; is Selandiæ præfecturam habuit, plurimumque se Roiskeldæ continebat, ut terram ab exercitu fratris Eiriki defenderet, magnumque secum militum numerum habuit. Hoc oppidum firmis operibus communivit, magnamque ac validam arcem ædificandam curavit, ubi magnum propugnatorum numerum collocavit, qui ipso absente locum defenderent. Rex Nicolaus, ex quo hic tumultus extiterat, plerumque magnam circa se multitudinem habuit.

De rege Nicolao et Magno.

95. In libris historicis[1] Danicis scriptum reperitur, regem Nicolaum et Eirikum aliquot prœlia commisisse, de quorum exitu relationibus nihil nobis compertum est. Sic vero memoriæ proditum est, Eirikum, proximo post mortem fratris sancti Knuti Lavardi anno, cum rege Nicolai in saltu Jalangensi conflixisse, deindeque ipsos aut milites eorum alterum prœlium Fotvikæ[2] in Skania, prope a Lundo, fecisse. Elapsis duabus post cædem sancti Knuti Lavardi hiemibus Eirikus in Selandiam venit, multisque locis populationem fecit; arcem, a fratre Haraldo Kesia Roiskeldæ exstructam, expugnavit, multosque eo loco homines interfecit, arcem funditus diruit,

[1]) antiquis, *C.* [2]) Pottvikæ, *C, S, V, ubique.*

Haraldo Kesia id temporis ab oppido absente. Proximo post anno Eirikus totum Roiskeldæ oppidum vastavit, quo facto magnus incolarum numerus ad eum transiit, eique obsequium præstitit. Inde boream versus profectus in Skaniam trajecit, ubi omnes incolæ ei se subjecerunt, tam in Skania quam in Hallandia, ejusque imperio obtemperarunt. Hoc tempore Ozur erat archiepiscopus Lundensis; is Eirikum liberaliter et honorifice excepit, eumque omnibus opibus, quarum facultatem haberet, adjuvit; [fuerat enim archiepiscopus regi Eiriko Bono, patri ejus, amicissimus[1]. Accedebat, uti antea dictum, quod rex Nicolaus et Magnus filius ejus propter cædem Knuti Lavardi in summum odium populi Danici incurrerant; qua re factum est, ut quo magis opibus invalesceret Eirikus, eo magis gliscerct odium in regem Nicolaum et Magnum, adeo ut complures homines se ad obsequium et officium Eiriki converterent. Rex Nicolaus boream versus in Skaniam classe profectus magnum secum militum numerum duxit, in quo exercitu erat Magnus filius ejus, Henricus Claudus, Haraldus Kesia, multique alii proceres; in eodem numero erant sex episcopi, unus ex Svecia, alter ex Selandia, quatuor[2] ex Jotia, Petrus episcopus Roskildensis ex Selandia, Thorer episcopus Ripensis, Ketil episcopus Jorungensis ex Vendilia.

Oratio regis[*]) *et archiepiscopi.*

96. Eirikus ingentem exercitum collectitium in Skania habebat, copiasque Fotvikam[3] adversus regem Nicolaum movit, qui locus est ab regione Lundi in meridiem versa. In exercitu Eiriki Ozur archiepiscopus erat, quem magnus

[1]) quippe cujus patri Eirikus carus amicus fuisset, *C.* [2]) tertius, *C, S, V.* [*]) rectius: Eiriki. [3]) Pottvikam, *C, ubique.*

consanguineorum numerus comitabatur, præter alios asseclas ei adhærentes. Sequebantur Eirikum Skanienses, Hallandenses, militesque, qui eum e Selandia fuerant comitati, aliaque magna multitudo; sic ingens hoc loco convenerat hominum numerus, in quo numero multi erant principes. Quæ omnis multitudo circa dies pentecostales Fotvikam convenit; tum utrique aciem instruxerunt prœliumque compararunt. Erat cum archiepiscopo ingens sacerdotum numerus. Quum milites se ad prœlium pararent, archiepiscopus infit: jam clerici se præparent, hominesque peccata confitentes audiant; neque enim aliud expectari potest, quam ut hic congressus tantum momenti habiturus sit, ut multi non possint salvi evadere; quare pro se quisque rem suam ita cogitet, ut si incertum sit, an peccata sua coram ullo sacerdote confitendi facultatem posthac adepturus sit. Præceptum, quod peccata confidentibus injungo, tale est: Deum obtestans præcipio, ut viriliter in pugna procedatis et audaciter pugnetis: cogitate, id quod res est, Deo non magis probari viros ignavos, quam strenuos: item hoc, semel cuique moriendum esse. Deinde Eirikus suos cohortatus sic verba fecit: notum est omnibus hujus regni civibus, quam nefariam cædem, quam flagitiosum facinus rex Nicolaus et Magnus filius ejus in occidendo duce Knuto, fratre meo, patraverint, quamque indigne patri meo, regi Eiriko, plurima ab eo accepta beneficia rependerint; qua agendi ratione quam ultionem promeriti sint, animis nostris infixum esse debet. Qua oratione animos militum magnopere stimulavit.

Obitus Magni Nicolai filii.

97. Post hæc tubæ per totam utramque aciem cecinerunt. Sigurdus Robustus nomen

erat coalumno Magni Robusti regis filii, qui vexillum ejus portabat. Hic igitur, acri exorto prœlio, res valde memorabiles acciderunt, etsi de casu nobilium virorum parum compertum habeamus. In acie Nicolai regis sex episcopi ceciderunt. Sigurdus Robustus adsidue se hostibus, qua vehementissima oppugnatio fiebat, objecit, tantaque audacia rem gessit, ut ejus propugnatio laudibus elata sit. Rex Nicolaus aliquanto, levi tamen, vulnere in prœlio saucius fugæ se mandavit; itemque Haraldus Kesia, qui quum regem fugam capessere animum adverteret, extemplo relictis ordinibus sese abripuit. Quo facto Magnus et Henricus Claudus cum reliquiis copiarum pugnam exceperunt; tanta vero impressio in signa Magnianorum facta est, ut tota acies fluctuare inciperet. Magnus, indutus lorica annulis conserta, quæ omnem vim ferri respuebat, magna fortitudine rem gerebat, hortatus suos, ut strenue resisterent, neu terga verterent. Ut vero Sigurdus Robustus animadvertit, aciem circa signa Magniana rarescere, intelligens, rem in ancipiti discrimine versari, abjecto vexillo Magnoque in sinum recepto, ad naves se recepit easque conscendere cogitavit. Quo conspecto Eirikiani eum fugientem extemplo insecuti sunt, fugientium eodem momento omnium Magnianorum vestigiis inhærentes. A quibus interclusi navibus Sigurdus et Magnus impetum supervenientium excipere coacti sunt. Redintegratum eo loco prœlium eum habuit exitum, ut Magnus ac Sigurdus utrique caderent, plurimaque militum pars, quæ secuta eos fuerat, quibusdam facultate data aufugientibus. Regis Nicolai Magnique, filii ejus, militum magna edita strages Fotvikæ est; hoc enim loco Henricus Claudus magnusque procerum numerus, uti antea dictum

est, cecidit. Tunc a morte Knuti Lavardi quatuor hiemes elapsæ erant.

Rex Nicolaus interfectus.

98. Rex Nicolaus e prœlio Fotvikensi, ut antea dictum, profugus, cum aliquot viris elapsus in navim, meridiem versus in Jotiam contendit. Heidahyum cum paucis profectus, quum oppidum adveheretur, audito tubarum strepitu, omnis generis fidium cantu, tinnituque campanarum, rex Nicolaus locutus est: hoc loco quum adventus noster pulsatis campanis et cantu fidium celebretur, incolæ haud dubie nos liberaliter ac splendide excipient, nullique rei parcent, quo magis omnia, quæ possint, hospitalitatis officia nobis exhibeant. Hic Regi aliquis: tu vero jamdudum haud prudens es, quemadmodum hac etiam re apparet, qui te hoc loco, quo intimi Knuti Lavardi amici versantur, honorifice exceptum iri opineris; at ego vero similius duxerim, alia prorsus te hoc loco manere. Neque vero eo minus oppidum invecti sunt. Versabatur Heidabyi ingens hominum numerus, versabantur et multi, qui Knuti Lavardi amici antea fuerant. Qui quum fama cognovissent, regem Nicolaum Heidabyum adfuturum, omnes homines in oppido versantes (erat tunc ibidem magna Saxonum multitudo) auxilium rogaverunt. Atque quum rex Nicolaus in grave odium multorum jam incurrisset, factum est, ut eum in oppidum ingressum extemplo adgrederentur. Igitur rex Nicolaus vivus captus, factaque sacerdotes adeundi copia necatus. Tum rex fuerat hiemes triginta.

Eirikus Emunius rex creatus.

99. Post necem regis Nicolai Eirikus Eiriki filius, voluntate et consensu populi, rex Daniæ per totum regnum creatus est. Erat severus, rigideque pœnas ab omnibus, qui in eum

gravius deliquisse viderentur, exigebat, in omnes eos crudelissimus, qui regi Nicolao et Magno filio ejus amicissimi fuerant, adeo ut ejus severitatem vix ferre posse sibi viderentur. Quumque multi futurum arbitrarentur, ut ejus crudelitas longo tempore in animis civium hæreret, idcirco appellatus est Eirikus Emunius (immortalis memoriæ). Habuit in matrimonio reginam Malmfridam[1], filiam regis Holmgardensis Haraldi, filii Valdemaris, filii Jarizleivi[2], sororem Ingibjargæ[3], quam Knutus Lavardus, frater ejus, duxerat. Malmfridam Sigurdus Hierosolymipeta, Norvegiæ rex, antea in matrimonio habuerat.

De regibus Norvegicis.

100. Hoc tempore reges Norvegiæ erant: rex Magnus, Sigurdi Hierosolymipetæ filius, et Haraldus Gillius, frater regis Sigurdi[4]. Hi, infesta inter se imperii consortione usi, eadem æstate, qua rex Nicolaus et Magnus filius ejus in Dania interfecti sunt, ad Fyrileivam[5] conflixerunt. Ex quo prœlio quum Haraldus Gillius meridiem versus in Daniam ad regem Eirikum Emunium profugisset, rex Magnus totum Norvegiæ regnum sibi subjecit. Rex Eirikus regem Haraldum liberaliter excepit, eique res ad alendum exercitum suum necessarias e regno suo se suppeditaturum pollicitus est; nam rex Eirikus et Haraldus Gillius fraternam amicitiam jurejurando inter se sanciveraut. Rex Haraldus a rege Eiriko petiit, ut se copiis et opibus sublevaret, quarum auxilio reversus in Nórvegiam regni partem, qua æstate proxime præcedenti pulsus a rege Magno exciderat, recuperare pos-

1) Malfridam, *S*, sec. vulgarem pronuntiationem. 2) Jarislavi, *C, S, V*. 3) sic *C, S, V*; Engilborgæ, *M, K*. 4) Sveinis, *S, V*. 5) Fridleikum, *S, V*; *Ferðleikum*, *C*; Saxo, p. 248, agrum Fridlevinum appellat.

set. Quum vero rex Eirikus sceptrum Daniæ nuper capessivisset, necdum fidelitatem civium satis expertus esset, parum auxilii se regi Haraldo suo ex regno suppeditare posse intellexit; tamen ei Hallandiam obeundam concessit, et aliquantum militum naviumque dedit. Sic reges amice digressi, amicitiam, quoad vixerunt, inter se coluerunt. Inde Haraldus cum auxiliis a rege Eiriko datis eodem autumno in Norvegiam reversus sequenti hieme totam Norvegiam in potestatem suam redegit, rege Magno luminibus orbato et in monasterium incluso, quemadmodum in vitis regum Norvegicorum commemoratum est.

Expeditio bellica regis Eiriki.

101. Eirikus Emunius, ut se imperium certo gradu tenere credidit, omnibus Daniæ incolis durum sese et asperum præbuit. Haraldum Kesiam, fratrem suum, duosque filios ejus, multos præterea amicos regis Nicolai interficiendos curavit. Una hieme post necem regis Nicolai Haraldus Kesia interfectus est. Inde una hieme elapsa rex Eirikus, exercitu in Vindlandiam trajecto, multa terræ loca armis infestavit, et populationem effusissime fecit. Oppidum, Arconam dictum, expugnavit, cujus oppidi incolæ pagani erant. Inde rex Eirikus ita discessit, ut ex paganis qui non essent interfecti religionem christianam antea amplexi essent, omnesque oppidani ad christianismum ab rege conversi essent. Quo facto in Daniam rediit. Digresso autem rege religionem christianam rejecerunt, et postea sacrificia et ethnicam religionem coluerunt.

De rege Eiriko.

102. Magnus, qui exoculatus fuerat, post necem Haraldi Gillii e monasterio effugit, et post-

ea factione instaurata adversus filios regis Haraldi, Ingium et Sigurdum, cum his aliquot prœlia fecit, in quibus omnibus illi victoriam reportarunt, Magnus in fugam conjectus est. Dein Magnus in Daniam ad Eirikum Emunium profectus, hujus auxilium imploravit; dixit fore, ut facinus principe viro dignum edidisse existimaretur, si exercitu in Norvegiam trajecto hoc regnum sub potestatem suam redegisset; addens, reges ejus terræ præsides ætate pueros esse, præfectos, qui in consilium adhibeantur, mutuis inter se discordiis et odiis certare; quocunque venisset, principibus significavit, regnum Norvegiæ, si qui potentiores principes affectassent, nullo resistente occupari posse, quin ne unam quidem hastam adversum eos missum iri. Quum vero rex Eirikus honoris avidus esset, majoremque quam antea gloriam consequi cuperet, ista animo ejus valde adridebant; quare, hortatu Magni Cæci, magno stipatus militum numero copias Danicas in Norvegiam trajecit. Hujus expeditionis socius erat Magnus Cæcus, militibus, qui secuti eum in Daniam fuerant, comitatus. Delati in Vikam, regni partem orientalem, dum ab orientali sinus parte, ubi clientes Magni regis se continebant, versabantur, pacate iter faciebant. Tunsbergum delati quum cognovissent, Thjostolvum Alii, virum præfectum, ceterasque copias regis Ingii Osloæ esse, rex Eirikus, ut primum ventus secundus spirabat, Osloam navigavit. Oppidani, classem regis Eiriki per exteriora ad Hofudoam subire conspicati, scrinium sancti Halvardi ex oppido exportare voluerunt, tot hominibus, quot commode accedere poterant, oneri subeuntibus; sed scrinium tanta gravitate restitit, ut non efferri longius quam in medium templi exterioris pavimentum posset. Rex Eirikus, quum

per noctem proxime insequentem extra ad Hofudoam in ancoris stetisset, sequenti mane, ubi diluxerat, classem oppido admovit. Qua ad oppidum adnavigante oppidani, qui nollent rem sacram ab Danis auferri, ad scrinium accesserunt, quod tum quidem tanta levitate se præbuit, ut a sex viris ex oppido in Romarikiam usque portaretur; quo loco scrinium sancti Halvardi tres inde menses Forsi servatum est. Rex oppidum Osloæ et ædem Halvardo sacram igni absumsit. Interea Thjostolvus, copiis ad resistendum collectis, prœlio hostem adgredi parabat; erat enim omnium eo tempore Norvegiæ præfectorum princeps, reges vero tam tenera erant ætate, ut Thjostolvus regem Ingium inter pugnam[1] in sinu gestaret. Dani autem extemplo ad naves se receperunt, classem solverunt et in Daniam recesserunt; et vulgaris sermo est, nunquam ullam expeditionem minori cum successu in alterius regis provincias pari numero copiarum factam esse. Rex Eirikus, qui falsa esse animadvertisset, quæ a rege Magno jactata fuerant, regnum Norvegiæ sine ullo negotio posse occupari, neque adversus se quemquam hastam missurum, se nunquam cum eodem quo antea amicitiæ loco habiturum significavit. Verum sævitia et impotentia regis Eiriki eo tandem processit, ut proceribus vix ferendus videretur; neque tamen iis, quæ fieri jussisset, contra dicere ausus quisquam est; nam, si qui essent, qui non continuo quæ fieri vellet adsensu suo probarent, his ultima quæque denuntiare solitus est. Multi autem civium ægre ferebant, quod expeditionem in Norvegiam fecissent, nullo inde honore reportato; complures enim inviti eam expeditionem

[1]) ɔ: in prœlio ad Mynnium antea eodem anno facto, Scr. hist. Isl. Vol. 7, 205.

susceperant, proprios sumtus in eam insumserant, nihil autem lucri inde fecerant; contra ea rex Eirikus nulli rei, quæ civibus utilis esset aut ad promovenda reipublicæ commoda spectaret, operam dare velle videbatur.

103. Vir nominatus est Plogus Niger, magnæ in Dania auctoritatis, ex Jotia oriundus, provincia, quæ Plogensis dicitur, in diœcesi Ripensi sita. Hujus patrem rex Eirikus interficiendum curaverat, quum non gravius deliquisset, quam quod ei in conventu aliquo oblocutus fuerat. Quam rem etsi Plogus ægre ferret, tamen nihil sibi reliquum esse intelligebat, quam ut rem quo tunc erat loco intactam manere pateretur; nimirum parvo natu erat, quum pater suus interfectus est. Cujus animum, orbitatis vulnere saucium, rex Eirikus nullo solatio refocillatum ivit. Rex Eirikus in meridianis Jotiæ partibus[1] forte constitutus, conventum colonorum agebat. Quo cognito, Plogus sacerdotem aliquem adiens ab eo petit, ut se privatim sacra cœna communicet. Cui sacerdos: qui faciam, cui ægrotare non videaris? Plogus: fac, quod postulo, alias te interfecturus sum. Sacerdote, quam ob caussam istoc peteret, interrogante, Plogus ei se significaturum negavit, nihil ad eum adtinere dicens. Igitur eum sacerdos corpore Christi communicavit. Quo facto ille detractum manu annulum sacerdoti dedit, orans, ut ignosceret sibi, quod eum minis terruisset. Post hæc Plogus in conventum processit, ingentem hastam manu tenens, quam, præfixo cuspidi tigillo, deorsum convertebat. Veniam regis adeundi petiit, sibi negotium cum eo esse caussans. Nulla præter hastam arma gestans, quum eo adpropinquasset, tigillo e cuspide impresso pede excusso, regem

[1]) in oppido Ripis, Saxo Gramm. p. 250.

hasta transverberatum letali vulnere adfecit. Tantaque vi adegerat hastam, ut rex telum corpore recipiens præceps collaberetur. Tum ingens turba existere, ut in re subita, haud satis scientibus, quis hoc facinus commisisset. Eirikus, *Lamb* dictus, filius Hakonis Sunnevidæ Norvegi, ut ante scriptum est, nepos ex filia Eiriki Boni, Eiriki vero Emunii ex sorore nepos, præsens in comitiis constitutus, exiliit et gladium destrinxit. Cui Plogus: ne tanto impetu ruas, Eirike Lamb! gladium in vaginam reconde; pingue lardum lebeti tuo incidit, modo sorbere noveris. Quæ verba Plogus ideo locutus est, quod hunc hominem, qui gratia civium, ut postea compertum est, florebat, a principatu regio propinquum[1] esse judicavit. In comitiis impensius tumultuatum est, quod, quis regem interfecisset, haud cito exacte cognosci potuit, reque sic comparata concio digressa est. Plogus longo tempore vitæ suæ consuluit, laudemque viri strenuissimi promeritus est. Eirikus Emunius quatuor hiemes rex Daniæ fuit.

104. Id temporis complures erant in Dania viri, qui ex familiis regiis oriundi, ut omnes ætate pæne pueri erant, ita se omnes ad jus principatus regii prope accedere arbitrabantur. Procerum, quorum sententiæ variabant, alii his adstipulari voluerunt, alii contra dicebant; quod fere usu venire solet, ut in unam omnes sententiam non transeant. Valdemar, filius sancti Knuti Lavardi, tum in Daniam venerat; is, quum rex Eirikus Emunius, patruuš ejus, interfectus est, octo annorum erat. Svein nomen erat filio Eiriki Emunii. Filio Magni Robusti Nicolai filii nomen erat Knuto, cujus mater erat Rikiza, Burizlavi Vendorum regis filia. Olavus nomen erat

[1]) proximum, *C*, *S*, *F*.

filio Haraldi Kesiæ; hujus mater Ragnilda, filia Magni Nudipedis, Norvegiæ regis. Hi omnes erant juvenes et eximiæ spei. Quum vero cives, propter invidiam regis Nicolai et Eiriki Emunii, horum stirpi operam inviti darent, factum est, ut Valdemar Knuti filius, propter favorem, in quo pater ejus fuerat, plurimorum consensu ac voluntate rex crearetur. Qui quum esset puer ætate, auctoritate matris ejus ceterorumque amicorum factum est, ut Eirikus *Lamb* rex sumeretur, qui regnum ejus nomine custodiret, donec ipse administrandæ reipublicæ par esset. Eirikus *Lamb* erat vir prudens et apud Danos gratiosus; is appellatus est Eirikus Mansuetus.

105. Una post necem Eiriki Emunii hieme obiit Ozur, archiepiscopus Lundensis, cujus mors multis luctuosa extitit; is archiepiscopus fuerat annos triginta quatuor[1]. Askel, Ozuris ex fratre nepos, post eum archiepiscopus Daniæ fuit, vir magnæ auctoritatis et insignis prudentiæ, qui longo tempore archiepiscopatum in Dania gerebat.

106. Primo anno imperii Eiriki Mansueti Olavus, filius Haraldi Kesiæ, adversus eum insurrexit, regiam dignitatem affectans. Anno tertio rex Eirikus et Olavus octo prœlia, et una quidem hieme tria, commiserunt, ex quibus omnibus Eirikus victor discessit. Hi ambo tres hiemes principatum Daniæ gesserunt; quarto[2] autem anno denuo prœlium fecere, in quo Olavus, Haraldi Kesiæ filius, cecidit. Post casum Olavi, Haraldi Kesiæ filii, Eirikus Mansuetus regio nomine Daniæ solus imperavit; qui quum in civili administratione magna se ferret auctoritate pacisque studiosus esset, nulli principes adversus eum regni affectandi caussa insurrexerunt. Lundi

[1]) septem, *C*, *S*, *F*. [2]) nono, *C*.

plurimum se continebat, quod oppidum magno studio ornavit, ut eo imperante nulla esset in tota Dania civitas amplior. Muro lapideo oppidum circumdedit, ut totum solido muro inclusum esset, qui longo post tempore conservatus est. Eirikus Mansuetus octo annos Daniæ rex fuit. Ipse se regno abdicavit et in monasterium concessit, monachusque Odinsoæ obiit; cujus mors civibus perquam luctuosa fuit.

Initium Sveinis Eiriki filii.

107. Svein, filius regis Eiriki Emunii, post regem Eirikum Mansuetum rex in Skania creatus est; Joti autem crearunt Knutum, filium Magni Robusti, Nicolai filii. Valdemar Knuti filius, princeps juventutis designatus, tunc temporis annorum decem et septem, magis ad amicitiam regis Sveinis, quam Knuti regis, inclinabat; nam Magnus, pater Knuti, sanctum Knutum Lavardum, patrem Valdemaris, per dolum oppresserat. Rex Svein et rex Knutus diutina bella inter se gesserunt. Primum prœlium ad Slangatorpum[1] commiserunt, quo prœlio rex Svein victoriam reportavit, rex Knutus in Jotiam aufugit.

De regibus.

108. Hoc tempore urbe Hierosolymorum ab ethnicis hominibus expugnata, nuntii ab Eugenio Papa venerunt, ut christiani crucis signo sumto Hierosolymam proficiscerentur et cum ethnicis confligerent. Cujus expeditionis socius imperator quoque Conradus factus est. Quibus rebus in Daniam perlatis, uterque rex societatem hujus profectionis expetivit; ita enim papa edixerat et Dei nomine pollicitus fuerat, fore ut, simul ut quisque signum crucis ad expeditionem sacram suscipiendam sumsisset, omnibus, quæ

[1]) Saxoni, „*Slangetorp*, ruralis Sialandiæ villa;" nunc *Slangerup*; *Stángaþorp*, *S.*.

coram sacerdote confessus fuisset, peccatis immunis esset, quicquid in se admisisset, sique in hac expeditione vitam amisisset, animam ejus regnum cœleste prius intraturam, quam sanguis[1] in terra friguisset. Igitur reges, optimis viris hortantibus, pacem inter se pacti, ad firmandam fidem obsides inter se dederunt: rex Svein Olavum Gluggum, rex Knutus Nicolaum Skatium[2]. Quo facto utroque rege Dubbinum[3] proficiscente, rex Knutus cum sua classe prior portum Vizmarensem adtigit, rex Svein cum Fioniensibus, Selandensibus, Hallandensibus et Skaniensibus (serius) advenit. Huc ad eos Germani venerunt, qui Dei caussa cum paganis hominibus confligere cupiebant. Rex Svein unam ex navibus suis cum omnibus rebus, quæ in ea erant, hominibus pecuniisque, amiserat. Cui quum rex Knutus aliam navim, omni apparatu, præterquam viris, instructam daturum se pollicitus esset, neque rex Svein oblatam accipere vellet, expeditio, a regibus suscepta, omissa est. Itaque domum redierunt, neuter enim, altero remanente, regno abesse voluit; tum obsides quoque invicem redditi. Tum se rex Svein in Skania continebat, rex Knutus e Jotia in Selandiam concessit. Quum rex Svein in Skania versabatur, archiepiscopum Askelem vi comprehensum aliquantum temporis obsidem tenuit. Qui quum cognovisset, regem Knutum in Selandiam cum copiis pervenisse, exercitum a Skania in Selandiam adversus regem Knutum transmisit. Congressi prope Thorsteinstorpum[4], prœlium commiserunt, rege Sveine victore, rege Knuto in Jotiam profugiente. Valdemar Knuti filius, prin-

[1]) corpus, *S, C, V.* [2]) Skarium, *C.* [3]) dimidio fere gradu a regione Sverini in orientem versa; *Dubim, V; Dubrin, S.* [4]) Hodie Taastrup in Selandia prope a Roskildia.

ceps juventutis, ut antea demonstratum, designatus, qui partem Jotiæ administrandam obtinuerat, regi Sveini auxilio profectus, prœlio tandem confecto advenit. Post hæc rex Svein regem Kuutum conventurus, ut ei pacis conditiones offerret, in Fioniam profectus est; quum vero Odinsoam venit, eo loco mortuus est consiliarius ejus[1], patruus Absalonis, postea archiepiscopi. Quam ob caussam rex Svein, reflexo itinere, hiemem proxime insequentem in Selandia quietus egit. Post ea Ulvus Ripensis, Thetlevus Edlæ filius et Yngvar Kveisa in consilium adhiberi a rege Sveine cœperunt, quo facto in majorem populi invidiam incurrit. Sic Dani dixerunt, regem Eirikum Emunium se Danos quibusque malis adfecturum denuntiasse, regem Sveinem, filium ejus, adficiendos curasse; hunc igitur Dani Svidandum (urentem) appellarunt, quod in omnes cives erat sævus et crudelis. Idem Plogi Nigri, patris sui interfectoris, necis auctor extitit, percussore subornato Yngvare Kveisa. Circa hoc tempus sacerdos Einar Skulii filius in Daniam venit; qui quum carmen in honorem regis Sveinis composuisset, nullumque præmium reportasset, hoc versus fudit:

Nulla præmia carminis Einar
adeptus est ab egregio principe,
intrepido illo Sveine, cujus
collaudat liberalitatem populus.
Rex ille pluris Danicus æstimat
tibiasque fidesque, quæ res nulli
sunt usui. Ripensis Ulvus
divitiarum regiarum jus habet[2].

---

[1]) ɔ: Ebbius, Saxoni Ebbo, pag. 256.

[2]) Constructio: *Einar hlaut ekki gjafa a) fyrir kvæði af ítrum Sveini; öld lofar mildi æðrustyggs b) öðlings. Danskr harri*

Quum rex Svein hiemem in Selandia, ut ante dictum est, transegisset, vere proxime insequenti evocatis copiis, in Jotiam adversus regem Knutum movit, Valdemare hujus expeditionis socio. Id temporis rex Knutus Heidabyi agens, quum regem Sveinem adventare cognovisset, copias per Jotiam collegit. Congressi sunt prope Vebjarga; committitur prœlium; rex Svein et Valdemar victoria potiti; rex Knutus Alaburgum confugit, inde septemtrionem versus in Norvegiam profectus Kongelam accessit, unde Ljodusa se contulit. Sorkverem Koli[1] filium, vitricum suum, qui Rikizam, matrem Knuti regis, in matrimonio habebat, in Gothia convenit, eumque auxilium rogavit. Cui quum rex Sorkver tot in Svecia provincias, quot ei ad sumtus necessarios bene sufficerent, obtulisset, seque provincias, quæ regi Knuto in Dania erant, recuperaturum pollicitus esset, has rex Knutus conditiones accipere noluit. Inde rex Knutus orientem versus in regnum Gardorum profectus, moxque ab oriente reversus meridiem versus Rostokkum ad avunculos suos se contulit, a quibus, ne ibidem commoraretur, prohibitus est, verentibus, ne regno per eum privarentur. Itaque rex Knutus meridiem versus Bremas concessit, ad archiepiscopum Hardvigum, a quo Brunsvikam ad ducem Henricum, imperatoris Conradi filium, deductus est; hic regem Knutum excepit. Tunc imperator Conradus obierat, Fredricus vero im-

---

metr dýrra fiðlur ok pipur; þat dugir miðlúng c). *Ripa-Úlfr ræðr fyrir auði ræsis* d).

a) *gjafir af*, *C, S, V*, minus recte. b) *-styrks*, *C, S, V*, perp. c) *undlaun*, *C*; *miðlaun*, *S, V*; utrumque prave, quantum video. d) In eadem caussa Theocritus Syracusanus suas *Χάριτας* scripsisse dicitur, Theocriti εἰδύλλ. ιϛ'.

[1]) Karlis, *K.*

perator erat. Rex Knutus, auxiliis in Saxonia sublevatus, copias Germanicas in Jotiam reduxit. Rex Svein et Ulvus, quum cognovissent, regem Knutum in Jotiam rediisse, exercitum adversus eum contraxerunt. Congressi sunt ad Geitsbekkum[1] locis paludosis, ut conferre signa non possent. Valdemar, qui eorum locorum peritus erat, gnarus vadi alicujus, eo equo vectus est. Quem adversus quatuor Germani procurrentes, omnes uno tempore hastis eum appetierunt. Ex quibus quum duo pectori equi tela infixissent, cedens equus, ceteris duobus clunes a tergo fodientibus, iterum se erexit. Interea milites Valdemaris pluresque Germanorum adfluebant; tum Valdemar Folkradum Comitem gladio cecidit; qui ex equo delapsus ab accurrentibus militibus Valdemaris necatus est. Post hæc acri facto, neque diutino, prœlio, rex Knutus fugit, rex Svein et Valdemar victoria potiti sunt. Rex Knutus iterum in Saxoniam profectus est, ubi quum per breve tempus moratus esset, in Frisiam concessit. Hoc loco singulis incolarum stipendii, quod pendere regi Daniæ debebant, trientem unciæ ponderatæ remisit, ut eum eo loco contra regem Sveinem defenderent. Quod se facturos polliciti, ingentem arcem prope fluvium, Mildinem dictum, exstruxerunt, quam Mildinborgam (arcem Mildinensem) appellarunt. Quibus rebus cognitis rex Svein exercitum extemplo contrahit, Heidabyum proficiscitur, naves, quas secum duxerat, a Sletto[2] Hylingstados usque in Frisia pertrahendas curat. Hic acre prœlium, antequam expugnari Mildinborga posset, commissum, tantaque edita strages, ut fluvium Mildinem per cæsorum corpora siccis pedibus mi-

[1]) amnis aut rivus prope a Viburgo. [2]) planities circa sinum Sliensem in ducatu Slesvicensi.

lites transirent. Rex Svein prœlio victor; rex Knutus rursus meridiem versus in Saxoniam ad ducem Henricum Brunsvikensem confugit, apud quem aliquantum temporis commoratus est.

De imperatore et rege Sveine.

109. Hoc tempore imperator Fridrekus regi Sveini nuntium misit, eumque ad se amicissime invitavit. Ut vero rex Svein ad imperatorem venit, imperator fidem regi Sveini datam fefellit; nam eum ad clientelæ officium coegit. Eodem tempore dux Henricus et rex Knutus ad imperatorem venerunt; tum imperator ac dux regem Sveinem et regem Knutum inter se reconciliarunt, eo pacto, ut rex Knutus regi Sveini subjectus esset Selandiamque administrandam obtineret. Itaque rex Svein a Valdemare petiit, ut pro se sponderet, hanc reconciliationem ratam fore; nihil enim curabat rex Knutus promissa ab rege Sveine data, quippe quæ non præstiturum arbitraretur; quare, nisi fidem suam Valdemar pro rege Sveine interposuisset, nullam facere pacem voluit. Hic Valdemar: velim, cognate, ista ne me roges, quum regi Knuto amicus non sim; nam si reconciliationem, cui me sponsorem obstrinxerim, non servabis, displicebit mihi tuasque partes extemplo deseram. Rex Svein, ut pro se fidejuberet, implorans, se pacta cum fide servaturum ostendit, sique ipse pactis non stetisset, partes suas deserere ei liberum esse professus est. Denique factum tandem est, ut Valdemar fidem suam pro rege Sveine interponeret; quo facto in Daniam reversi sunt. Ut vero domum redierant, rex Svein extemplo pacta cum rege Knuto migravit, causans suam esse possessionem omnia regia prædia, quæ in Selandia essent. Itaque quum rex Knutus interpositam a Valdemare fidem, servandorum pa-

ctorum pignus, deposceret, Valdemar Sveinem regem precibus adiit, ut pacta cum rege Knuto conventa, quibus suam adstrinxisset fidem, servaret; quæ pacta integra servari posse rex Svein negavit, postulans, ut alia transactio fieret; quod et factum est. Secundum hanc rex Knutus provinciam Apiam[1] in Jotia, sex territoria[2] in Selandia, totidem in Skania obtinuit, Valdemare etiam tum fidem suam pro rege Sveine interponente, rex enim Knutus dixit, hanc transactionem propediem non majori cum fide, quam illam priorem, servatum iri. Igitur rex Svein iterum a Valdemare petiit, ut sese interponeret, pollicitus se hanc pactionem, quæ ejus consensu facta esset, servaturum, omnia enim, quæ se genibus advolutum facere jussisset imperator, se invitum amplexum fuisse. Itaque iterum ea lege tandem sunt reconciliati, ut Valdemari partes Sveinianas deserere liceret, si rex hanc transactionem violasset. Hic conventus pacificatorius Vebjargis habitus est. Post hæc rex Knutus Sophiam sororem suam, eadem matre natam, filiam Valadaris Poloniæ regis, Valdemari[3] nuptum dedit; idem eidem amicitiæ integræque gratiæ reconciliandæ causa trientem omnium fortunarum suarum donavit. Christophorus nomen erat filio Valdemaris, ex pellice nato; hujus matri nomen erat Tova.

De rege Sveine.

110. Proxima hieme post transactionem inter regem Knutum et Valdemarem factam rex Svein evocatis e regno copiis bellum Sveciæ inferre statuit; regi Knuto et Valdemari nuntium misit, ut expeditionis socii essent, recusantibus

---

[1]) postea prov. Aboensis, hodie fere diœcesis Kalloensis et Skanderborgensis in Jotia boreali. [2]) prædia, *S, V, C.* [3]) Knuti filio, *add. S.*

illis, quod rex Sorkver Rikizam, matrem regis Knuti et Sophiæ, in matrimonio habebat. Dein rex Svein in Sveciam profectus, provinciam imperii Svionum regis, Verandiam dictam, sibi subjecit; quæ provincia quinque territoria, unam diœcesin efficit, in qua diœcesi sunt templa [sex et quinquaginta[1]. Alteram provinciam in potestatem redegit, Finneidum dictam, tribus pagis constantem, Ostbuo, Sudbuo, Vestbuo dictis; quæ provinciæ pagiquæ imperio Danorum regis proxime adjacent. In hac expeditione Nicolaus Dotta[2] interfectus est. His rebus gestis rex Svein domum rediit, suis Farthusis in Hallandia remanentibus, præfectis Karle et Knuto. Quo cognito Gothi eos adgressi domum corona militum circumdederunt, elabentesque ministros a candelis statim interfecerunt; ceteri vivi capti. Mox Gothi glaciem (fluvii) cædendo aperuerunt, hominesque aquis demersos necarunt. Interea pax instanti quoque hieme inter regem Sveinem et regem Knutum mansit. Æstate vero proxime insequenti rex Knutus et Valdemar classe in Selandiam profecti, ad Sundbyum stabant. Quorum profectio regi Sveini, qui paucis stipatus eo tempore Roiskeldæ versabatur, displicuit. Quum vero pacatissime iter facerent, nullamque pacis violandæ speciem præ se ferrent, rex Svein legatis ad eos missis id egit, ut certus locus tempusque, quo convenirent, præstitueretur; quo facto rex Svein ad eos equo devectus, fidem datam initamque antea gratiam nova stipulatione confirmavit; itaque gratia denuo reconciliata digrediuntur, rex Knutus (et Valdemar) eodem die in Jotiam trajiciunt, rex Svein Roiskeldam rediit. Postero mane rex Svein adversus Ven-

[1]) centum, *S, V, C.* [2]) vide Saxonem, p. 265.

dos ad Kalvlundos[1] pugnavit, multisque hostium interfectis victoria potitus est. Eo quoque anno pax inter regem Sveinem et regem Knutum inviolata mansit. Rex Svein admodum angebatur, quod rex Knutus et Valdemar gratia tam fide reconciliata juncti essent, quam ob rem Thettlevus Edlæ filius et Ulvus Ripensis crebris sermonibus regem Sveinem hortabantur, ut aliquam iniret rationem, ut, si alio modo non possent opprimi, utrumque uno tempore dolosis aliquibus consiliis e medio tollere posset, tum demum eum toti Daniæ singulari potestate libere imperaturum dictitantes. Quæ adhortationes quum auribus regis Sveinis valde adriderent, aliquo tempore, cognito, utrumque affinem, regem Knutum et Valdemarem, Ripis versari, magnis stipatus copiis subito a Skania profectus, quum eos paucos stipatores habere intellexisset, utrumque opprimere statuit. Sed illi, itinere et consilio ejus per speculatores cognito, digressi sunt, rege Knuto Vebjarga, Valdemare Heidabyum concedente. Quo cognito rex Svein eadem via reversus est. Quem revertisse certiores facti, copias evocarunt. Rex Svein, vicissim evocatis copiis Skaniensium et Selandensium, quotquot castra ejus sequi vellent, Roiskeldæ se continebat, quo tempore illi Lyngbyi in pago Valburensi[2] agebant, ubi septem noctes ita morabantur, ut prœlium non committerent. Hic Skanienses a rege Sveine discesserunt. Quo cognito, intelligens deseri se, quum se diffideret regi Knuto et Valdemari posse resistere, noctu meridiem versus in Falstriam aufugit, neque prius

[1]) ɔ: lucos Kalvæos v. vitulinos; hodie *Karlslunde* in pago Tunensi in Selandia. [2]) Valbyensi, *S;* Valbyrensi, *C;* nunc pagus Voldborgensis in Selandia.

ab itinere destitit, quam Landesbergum[1] ad marchionem Conradum, socerum suum, pervenit, apud quem se [tres menses[2] continebat.

Transactio inter regis.

111. Interea, dum rex Svein peregre aberat, Valdemar se regem creari curavit, facili omnium civium voluntate, quorum animos sibi antea conciliasset. Igitur uterque, Valdemar ac rex Knutus, affinis ejus, se reges inaugurandos curant. Eodem temporis intervallo rex Knutus sponsam suam, regis Sorkveris filiam, a Svecia arcessivit. Interea vero, dum rex Knutus in Svecia se continebat, rex Svein ac dux Henricus in Daniam venerunt, ibidemque quatuordecim dies morati sunt; hi usque eo processerunt, donec Sumarstados[3] in Jotia pervenerunt. Quo cognito rex Valdemar cum militibus, quos in Selandia nancisci poterat, in Fioniam profectus, peragrata Fionia ad fretum Medalfarense, quod propter glaciatas aquas non sine magna difficultate transiri potuit, pervenit. Quod quum duovicesimus ipse scapha trajecisset, confestim in partes Jotiæ septemtrionales profectus copias cogebat. De cujus itinere rex Svein et dux Henricus certiores facti, quum adventum ejus exspectare nollent, fuga se abripuerunt, quaque quatuordecim[4] diebus iter fecerant, eadem biduo reversi sunt. Quo cognito rex Valdemar, remissis copiis, hiemem in Jotia transegit, reditum Knuti regis exspectans. Rex Svein brevi in Saxonia commoratus, mansionis pertæsus inde in Vindlandiam profectus est, Vendosque, ut se in Fioniam transveherent, pecunia perduxit. Quo cognito rex Knutus et Valdemar, copiis in ex-

[1]) nunc *Landsberg* in pago Lipsiensi Saxoniæ superioris. [2]) triennium, Saxo p. 271. [3]) nunc *Sommersted* in ducatu Slesvicensi. [4]) duodecim, *C, V, S.*

peditionem evocatis, in Fioniam trajecerunt. Fionienses, qui castra regis Sveinis sequi nollent, eo deserto cum omnibus rebus suis, uxoribus ac liberis ad regem Knutum et Valdemarem transierunt; omnes enim antea se inviti regis Sveinis potestati subjecerant. Itaque rex Svein nullam commodiorem conditionem, quam pacem cum regibus faciendam tentare, præsto esse intelligens, missis ad eos legatis, inducias petivit colloquii pacisque tentandæ gratia. Sic, quo convenirent, tempus locusque constituitur; in quo congressu rex Svein petiit a Valdemare, ut quo vellet pacto rem controversam decideret: se sententiæ ab eo pronuntiatæ acquieturum; nihil de eo nisi bene sperare; regni provincias inter se ceterosque, ut placuisset ipsi, divideret. Verum rex Valdemar se rem non subitanea sententia decisurum, sed ad prudentissimos et optimos patriæ cives rejecturum testatus, regem Sveinem interea in Falstria manere jussit. Rex Svein quæsivit, quo pacto interea militibus suis, quos in terra tam exigua alere nequiret, prospiceretur, regumque curæ suos recipiendos alendosque, donec de pace convenisset, permisit. Quo ab illis probato, rex Svein Deum hominesque obtestatus est, se intra præstitutum tempus Falstria non excessurum, priusquam pax inter eos facienda constituta renuntiataque esset, neque ullos ad se milites recepturum, priusquam gratia inter eos reconciliata esset.

Partitio Daniæ.

112. Igitur rex Valdemar et rex Knutus prudentissimos quosque Daniæ viros, quorum auctoritatem in partiendo regno sequerentur, advocarunt. Ut vero rex Valdemar ac rex Svein digressi erant, extemplo omnes regis Sveinis milites ad eum confluxerunt. Quorum præsidio

fidens, quum aliquantum se virium collegisse arbitraretur, tardior fuit ad conventum pacificatorium, qui condictus erat, adeundum, pacemque antea imploratam ratam invitus habuit. Verum tamen, prævalentibus adversariorum opibus coactus, eorum voluntati parendum esse animadvertit. Itaque constitutum est, ut Valdemar regnum inter eos divideret, divisæque optionem haberet, et rege Knuto et rege Sveine concedentibus. Igitur Valdemar Jotiam adtinentesque provincias extimas in unam portionem secrevit; alteri portioni Skaniam, Hallandiam, Bleikingiam et Borgundarholmum, tertiæ Selandiam, Fioniam, Erroam, Falstriam, partesque eo pertinentes adsignavit; ipse sibi Jotiam delegit, rex Svein Skaniam provinciasque eidem adtributas, Knutus Selandiam Fioniamque obtinuit. In qua transactione rex Valdemar summam in regem Sveinem humanitatem ostendisse visus est; nam cuncti judicabant, regem Sveinem regnum patriamque commisisse. Partito regno rex Valdemar et rex Knutus suas portiones conjunxerunt; omnes autem reges Deum cunctasque sanctas reliquias jurarunt, hanc ratam fore transactionem, quam qui violasset, hunc interdicto papæ, omnium episcoporum et clericorum obnoxium esse jusserunt.

Amicitia inter reges inita.

113. Hac inter reges compositione facta, rex Knutus regem Sveinem ad se Roiskeldam invitavit, quam invitationem hic libenter accepit, omnesque reges intimam inter se amicitiam pacti sunt. Rex Valdemar et rex Knutus, equis prævecti, convivium regi Sveini excipiendo præpararunt; sed condictum erat, ut obviam regi Sveini Ringstados equitarent, quo loco omnes reges congrederentur. Hic rege Valdemaro regem Knutum hortante, ut obviam regi Sveini equis

vecti eum ad præparatum convivium invitarent, respondens Knutus rex se dehortari dixit, ne ambo ita regem Sveinem adirent, ut eorum potestatem haberet, se enim etiam nunc de fide regis suspicari: nam versantur cum eo consiliarii ejus, malorum semper consiliorum auctores, Thetlevus Edlæ, Ulvus Ripensis, Yngvar Kveisa, quam ob rem fidei ejus rem nostram committere nolim, quippe quem, transactione male contentum, non majori cum fide hanc esse servaturum, quam priores ab eo violatas pactiones. Qua re auctor sum, inquit rex Knutus, ut tu aliquot comitatus obviam ei equo procedas, ego vero interea obequitans milites cautionis ergo contineam, quo facto futurum arbitror, ut rex Svein alterum nostrum vita spoliare non audeat, altero ultore relicto; id potius haud dubie animo intendens, ut nos ambo uno tempore opprimat. Ad hæc Valdemar: haud rex Svein consanguineus noster tam perfide aget, ut ullos nobis dolos intendere, itaque Deum omnesque bonos homines sibi infensos reddere velit; certo hanc pactionem cum fide servabit, neque hanc initam pacificationem, jurejurando sancitam, in quopiam violabit; tuo tamen arbitratu, affinis, hæc, uti placuerit, fiant. Sic itaque fecerunt. Rex Valdemar obviam regi Sveini equo vectus, quum Ringstados venisset, regem Sveinem adesse magno stipatum numero militum deprehendit, qui omnes adeo loricati ferratique erant, ut speciem sparsæ glacici præberent; nimirum consilium intenderat rex Svein, si ambo advenissent, utriusque interficiendi. Ut vero Valdemar rem sic præparatam animadvertit, memor, regis Knuti haud a vero aberrasse conjecturam, suos audaciter procurrere, nullumque timoris indicium prodere jussit. Quum convenerant, Valdemare interrogante, cur

ita loricis muniti essent, rex Svein se rescivisse ostendit, ipsum regemque Knutum insidias sibi struere: aut cur hic nunc non adest? inquit; ego vero meæ meorumque saluti hoc modo consultum volueram, si quem forte dolum in nos agitassetis. Cui Valdemar: haud tibi insidias struemus, cognate, inquit, sibi vero quisque intendat animum, ut cum altero sincere agat; multo enim potius amittere vitam malo, quam juramenta adeo sancta, pactaque tam firma violare. Rex Svein ita haud dubie rem esse affirmavit, neque se aliud credere velle, etsi aliud sibi nuntiatum fuisset. Dein ambo Roiskeldam, ubi aderat rex Knutus, vecti sunt. Hic epulæ splendidissimæ instructæ erant, ibidemque reges lautissime habiti noctem transegerunt, summa inter eos comitate intercedente. Rex Svein magnum eodem comitum numerum adduxerat; tumque omnes consiliarii ejus ibidem cum eo versabantur.

De insidiis.

114. Postero die omnes reges in uno cubiculo poculis et hilaritati indulgebant. Interea milites regis Sveinis, palæstra foris prope cubicula instituta, oblectamenta et ludos agitabant, quo, die procedente, homines ex cubiculis confluere cœperunt, hoc delectabilius existimantes, quam jugiter poculis adsidere; itaque factum est, ut pauci, præter reges, in cubiculo remanerent. Mox eodem ingressi milites regis Sveinis, Thetlevus Edlæ filius cum aliquot aliis, regi Sveini[1] signum dederunt. Qui quum eis obvius adsurrexisset, et paulisper inter se, clanculum tamen, collocuti fuissent, egressus cum eis domum quamdam intravit, ibique sese occuluit; Thetlevus vero et Tolius Hemingi filius et Yngvar Kveisa, ceterique regis Sveinis intimi, ad cubiculum, in

[1]) nutu capitis, *add. C,* qui dat *vŏnkuðu,* a *vanka* (Dan. *vinke*).

quo rex Knutus et rex Valdemar considebant, se retulerunt. Rex Valdemar calculis scacchicis forte cum aliquo ludebat, rege Knuto juxta eum in scamno adsidente. Thetlevo autem cum suis fores ingrediente, rex Knutus se ad regem Valdemarem inclinavit, eumque osculatus est. Rex Valdemar, oculos a latrunculis non avertens, interrogavit: cur tam comem te præbes, affinis? Cui rex Knutus: hoc brevi cognosces, inquis. Mox Sveiniani unus ex altero irrumpere, omnes plena instructi armatura, gladiosque confestim destringere. Quo viso rex Valdemar exiliit, manumque amiculo, quo indutus erat, obvolvit; intus enim sine armis erant, nemine hostilia metuente. Rex Valdemar exsiliens primus omnium suorum in pavimentum procucurrit, tantoque impetu in Thetlevum insiliit, ut ambo extra fores collaberentur. Hoc momento Tolius Hemingi filius regem Valdemarem gladio appetivit, qui ictus femori incussus plagam suspensam patulamque, sed non periculosam, reliquit; pollice quoque rex vulnus accepit. Ut vero milites regis Valdemaris eum cecidisse animadverterunt, super eum se prostraverunt ibique concisi sunt; quæ res regi Valdemari effugiendi facultatem præbuit. Thetlevus, ut se in pedes erexerat, extemplo ictum regi Knuto aversa manu inflixit, qui ictus tam vehemens fuit, ut totum caput in collum usque dissecaretur, quæ plaga mortem ei attulit. Alius quoque vir, Hjalmsvidar[1] nominatus, vulnus regi Knuto inflixit. Rex Knutus in fornacem aliquem collapsus est. Quem Dani sanctum esse judicant.

115. Quæ res dum gerebantur, Absalon, postea archiepiscopus, in cubiculo non aderat. Hic, regis Valdemaris ministeriis addictus, eidem

[1]) Hjalmvidar, *C*; Hjalmvidus, *S*.

suorum omnium carissimus fuit. Erat Absalon omnium æqualium strenuissimus et ad arma audacissimus. Ut vero hæ res fama innotuerunt, eorum hominum, qui reges fuerant comitati, locis, qui tutissimi visi, sibi quisque effugium quærebat, reges periisse vulgo primum opinantibus. Absalon, cecidisse regem Valdemarem ratus, a quo disjungi noluit, effugia non quærebat; sed cubiculum ingressus, Thetlevo suisque jam tum digressis, an regem Valdemarem vivum mortuumve reperiret, scire voluit. Qui quum jam discessisset, detractum humeris, quo superindutus erat, amiculum pelliceum capiti regis Knuti in solo jacentis subjecit, et, an vitæ sperabilis esset, quæsivit. Ille vero, usu linguæ jam destitutus, in gremio ejus animam efflavit. Constantinus, unus ex militibus regis Valdemaris Knutique regis, vir magnæ auctoritatis, in cubiculo constitutus, Absalonis opem, si quam ferre posset, imploravit. Cui Absalon: qui magis ego tibi, quam tu mihi, auxilium ferre potero? Quo dicto Constantinum eis foribus, extra quas nihil militum esset, egredi jubet: nos uno tempore egrediemur, inquiens. Sic faciunt. Absalon ea, ubi plurimi foris aderant regis Sveinis milites, egreditur; quorum singuli cum destrictis ensibus ante fores adstiterunt, eum interfecturi. Sed Asleyus[1] consanguineus ejus, ibi forte foris constitutus, eo agnito, declaravit, ut primum aliqui noxam ei inferre pararent, hunc se percussurum, Hic unus erat e regis Sveinis militibus; hoc igitur modo Absalon elapsus est. At Thetlevus ac sui, Constantino excurrente agnito, fugientem confestim insecuti interfecerunt. Petrus Thenia nomen erat viro, qui cæso rege Knuto regi Valdemari plurimum auxilii tulit; is enim

[1]) Asleyr, *C*; Asgeir, *S*, *V*.

eis equos dedit, quibus Ramsjoum[1] devecti quo loco Absalon et Petrus, hujus affinis, aderant, summa congressionis voluptate fruiti sunt. Inde omnes una Buatorpum[2] devecti, aliquot suorum offenderunt; hinc Freysmosos[3] delati obvium habuerunt Asbjornem Snaram, fratrem Absalonis, qui eos liberaliter excepit, eisque quam ferre posset opem obtulit, navem ad freta Vikingea (piratica) stantem dedit, qua fretum trajicientes vehementi tempestate perculsi sunt, et tamen salvis rebus in terram evaserunt. Eadem autem vespera sexcentæ naves Vendicæ ad Joluholmos[4] naufragio interierunt.

De rege Valdemare.

116. Rex Valdemar, jam in Jotiam delatus, de injuriis sibi illatis et cæde furtiva regis Knuti, a rege Sveine patrata, comitiis Vebjargensibus questus est; vulnera sibi illata monstrando docuit, nisi Deus prohibuisset, idem sibi fatum impendisse; auxilium civium poposcit, demonstrans, qua necessitate premeretur. Hic tota concio vociferans exilire, universi dicere se comitari eum velle, pessimum facinus judicantes, ut re vera fuit, quod rex Svein patrandum curasset. Deinde rex Valdemar copias in expeditionem evocavit, magnumque numerum militum nactus est. Omissa jam rei navalis cura, exercitum terra collegit. Interea rex Svein Vebjarga profectus auxilia poposcit, eo loco Valdemarem regem, qui tum Randarosi versans copias suas exspectabat, vivum comprehensurus. Quorum iter speculatus Asbjorn Snara, Sveinianos insecutus est, et in præcedentium agmen incidens, tres homines armis exuit, ipsis evadentibus; qui

[1]) nunc *Ramsö* prope Roskildiam. [2]) nunc *Borup*, in Selandia. [3]) paludes Freyenses, in pago Alstedensi Selandiæ. [4]) insulæ Hallandiam præjacentes.

regem Sveinem ad Kornungas[1] offendentes, de jactura sua questi sunt, dicentes se in fugam ab hostibus compulsos ægerrime evasisse. Rex, qui eo loco noctem transegit, hanc rem iniquo animo tulit, suosque vehementer incusavit, quod nullas contumelias, ne percussi quidem aut in fugam conjecti, ulcisci auderent, se ignavos homines pascere dictitans, qui tales cibariis sustentet. Asbjorn Snara ad regem Valdemarem delatus, regem Sveinem castra ad Kornungam habere significavit. Itaque rex Valdemar pontem Randarosiensem trajecit, adhuc a pugna abstinens, quod copias etiam tum opperiebatur, quas brevi adfuturas sperabat. Ut vero rex Svein ad Randarosum venit, rex Valdemar pontem detrahendum curaverat, qua re a transeundo flumine prohibitus pugna abstinere coactus est.

117. Hoc eodem autumno post festum Michaelis rex Valdemar copias in locum, tesqua Grathica dictum, prope a regione Vebjargorum in meridiem versa, movit, jam certior factus, regem Sveinem cum magno exercitu adventurum, brevique congressum eorum aliquo modo fore. Uterque ornatas ingentesque copias habuit. Rex Valdemar loco delecto pugnæ idoneo tabernacula posuit, quo facto milites cibum sumserunt et requieverunt. Rex Valdemar quieti se tradidit, quumque obdormivisset, somnium vidit; videre sibi visus est sanctum Knutum Lavardum, patrem suum, qui sic ei locutus est: hic jaces, fili, inquit, de exitu prœlii te inter et Sveinem regem committendo valde sollicitus. Bono nunc quoque animo sis, inquit, bonam enim causam in lite vestra habes. Jam dictis meis, fili, diligenter animum adverte; neque enim vana est, quæ oculis tuis species obferetur. Somno ex-

[1]) hodie *Korning* prope Viburgum.

perrectus volantem corvum videbis, qui quo loco considat, accurate oculis nota; eo enim loco aciem instruito, quo loco corvus consederit; quo facto Deus tibi victoriam concedet.

118. Post hæc rex Valdemar expergiscitur, cubitu surgit, oblatam in somnis speciem animo perpendit; corvum volantem, sicuti demonstratum ei fuerat, animadvertit. Igitur eo loco rex Valdemar milites suos ordinat, aciem instruit, prœlium comparat. Tum quoque procedentem regis Sveinis exercitum conspicantur; is, magno etiam numero copiarum stipatas, in saltum ad eos contendit, aciemque instruxit. Ulvus Ripensis vexillum regi Sveini prætulit. Quum ad prœlium parati essent, utrique clamorem sustulerunt; acies concurrerunt; committitur prœlium, acri et diutino certamine, victoria diu incerta. Rex Valdemar equo vectus perquam audaciter pugnabat; magna cum cohorte suorum eam aciei partem advectus est, in qua erat vexillum Sveinis regis; quo loco quum acriter pugnatum erat, cecidit Ulvus Ripensis, vexillumque concisum est. Quo facto copiæ regis Sveinis in fugam inclinare cœperunt, multis in loco prœlii prostratis. Rex Svein equo vectus fugæ se mandavit, permutatoque cum clerico quodam vestitu, et equo armisque traditis, hunc contentissime, ut suæ equique vires ferrent, properare fugam jussit; ipse remanens in virgulto quodam captus est. Quem quum Petrus Thenia agnovisset, et „cur loca adeo humilia, domine, perlustras?" dixisset, acurrens Gvenmar[1] Ketilis filius regem interfecit; atque eo loco rex Svein Svidandus cecidit. Hoc prœlio cecidit Yngvar Kveisa, qui Plogum Nigrum interfecerat. Post ea rex Valdemar Thetlevum Edlæ filium pre-

[1]) Kveinar, C.

hendi rotaque lacerari jussit. Cujus hominis mutilationes se vidisse testatus est Atlius Sveinis filius, eo tempore in Dania versans.

119. Post hoc prœlium rex Valdemar totius Daniæ imperio, omnium regni principum voluntate, solus potitus est, intimamque civium gratiam sibi conciliavit. Tunc a morte regis Eiriki Mansveti novem[1] hiemes, a cæde regis Knuti Emunii[2], Magni filii, una elapsa erat. Circa hoc tempus obiit Ozur episcopus, in cujus locum Absalon, frater Asbjornis Snaræ, episcopus inauguratus est; fuit enim Absalon doctrina et prudentia cummaxime insignis, posteaque summus princeps (vir excellentissimus) evasit. Proxima post pugnam in saltu Grathico factam hieme rex Valdemar, missis per totum regnum suum nuntiis, edixit, ut vere proxime insequenti copiæ expeditionales evocarentur; se enim in Vindlandiam proficisci statuisse, ut hanc terram, Deo cœptis adspirante, ad religionem christianam perduceret. In cujus expeditionis societatem multi principes viri adsciti a rege sunt: vir primarius Askel archiepiscopus et Absalon, episcopus Roskildensis, quo rei militaris peritior nemo unus in Danorum imperio natus est; Christophorus, filius regis Valdemaris; Gvenmar[3] Ketilis filius, Petrus Thenia, Asbjorn Snara, frater Absalonis episcopi, nec non Ingimar. Qui universus exercitus prope insulam, dictam Monam, a regione Selandiæ in meridiem versa sitam, conlectus est. Hic vehementia tempestatis, navigantibus adversæ, oppressi, eo usque detinebantur, donec cibariorum non plus reliquum esset, quam universo exercitui septem noctes sufficeret. Quam

[1]) rectius duodecim, vide finem cap. 110. [2]) hanc vocem addit *C.* [3]) *Gveinar*, *F*; *Gnemar*, *C*, forte rectius; Saxoni Gnemerus Falstricus, p. 287, si modo lectio ibi certa.

ob caussam rex Valdemar, convocatis consiliariis suis, quænam ineunda ratio esset, sententiam eorum exquisivit. Cujus orationi Absalon episcopus respondit: heri quidem opportuna, nudius tertius satis bona fuit itineris faciendi tempestas, et tamen vos jacuistis, nec usquam proferre pedem voluistis; at vero, si incidente opportunitate quiescendum vobis erit, atque tum solummodo proficiscendum, quum lætissima vobis serenitas affulserit, haud sane idonei estis, qui tales labores suscipiatis; quæ quum ita sint, revocari domum milites ab hac expeditione præstat. Quibus verbis, ignaviæ exprobratione non carentibus, offensus rex, quoad commeatus ad alendum exercitum suppeteret, se non reversurum declaravit. Postero die solvere ab rege jussi, vento acrius spirante, remigium contenderunt. Cursoria Askelis archiepiscopi, qua vehebatur rex, cœli injuria fatiscente, rex Valdemar se in navem Ingimaris, gladium vexillumque manu tenens, conjecit; quod insigne agilitatis specimen judicatum est. Homines servati, res periere. Quum insulam Hedinis[1] adpropinquassent, rex conscensa nave episcopi Absalonis decubuit et se quieti tradidit; sub vesperum Gvenmarem[2] Ketilis filium speculandi gratia in terram misit, qui occasione data interceptis Vendorum speculatoribus reversus regi in sinu a regione insulæ Hedinis in meridiem versa obcurrit, et interceptos a se Vendorum speculatores renuntiavit. Ad Vindlandiam adpulerunt, quo loco se flumen aliquod in mare exoneravit. Divisis ad egrediendum copiis, rex ab uno, episcopus Absalon ab altero fluminis latere escenderunt, utrisque[3], quo

[1]) Saxoni insula Hithini, hodie *Hiddensee* ab occidentali latere Rugiæ Pomeranæ. [2]) *Gvemar, S*; *Gveimar, C.* [3]) in textu *hvárigir*, neutris; putavi legendum *hvárir*, conf. Sax. p. 288.

loco versarentur alteri, gnaris; sic multis locis habitatis ab utroque fluminis latere inflammatis, ad classem redierunt, navesque sexaginta pecunia captiva onerarunt. Quibus rebus gestis rex Valdemar domum in regnum suum se recepit, domique se hieme proxime insequenti continebat. Vere proxime insequenti Ingius Norvegiæ rex regi Valdemari ornatum draconem (navem bellicam) misit. Proxima æstate rex Valdemar iterum in Vindlandiam profectus est, in quo itinere draconem elisit; rex vero amni Gudacræ[1] subvectus, prœlium cum principe Veudorum, Mjuklato[2], commisit. Cujus filius Fridlevus[3], superiori expeditione a Danis captus, jam christianus factus cum rege versabatur. Conflixerunt ad oppidum Urcam[4]; rex Valdemar victoria potitus est, Mjuklatus fugit, deindeque cecidit; cujus caput Dani sublatum arbori cuidam apud oppidum adfixerunt, quo facto rex Valdemar ad naves suas rediit. Tum interrogavit rex, quis principum ea animi fortitudine esset, ut Brunsvicum equitare, mandataque sua duci Henrico, imperatoris Conradi filio, perferre auderet; is in matrimonio habuit filiam Henrici, Anglorum regis, ex quibus nati imperator Otto, Henricus comes Palatinus, Viljalmus Crassus, filia Geirthruda. Ad quam suscipiendam legationem quum ceteri inviti essent, quod per Vindlandiam ipsasque hostium manus iter faciendum erat, episcopus Absalon se profectionem suscepturum pollicitus regi est. Quo a rege probato, episcopus, sexaginta viris comitatus, duce Fridlevo Mjuklati filio, qui viam monstraret, profectus est. Qui quum oppidum, ubi caput Mjuklati palo affixum erat, præ-

[1]) deflexum a nomine Vendico *Goderakaa*, hod. fluvius Varnovia, cui Rostokkum adjacet. [2]) Saxoni Nucletus, p. 292-93. [3]) Saxoni Priszlavus, 293-94. [4]) opp. *Urle*, ad Varnoviam situm.

terveherentur, hoc viso Fridlevus in lacrimas solutus, sibi eam rem haud insperanti cecidisse dixit, quod ille verum Deum colere noluisset. Venientes ad ducem Henricum liberaliter excepti sunt; hoc loco aliquantum temporis commorati, negotia sibi mandata peregerunt. Quibus digredientibus quum dux præsidium polliceretur, episcopus eo opus non esse significavit. Primo mane Brunsvico avecti sunt, singuli armatura instructi. Planitiem aliquam prætervectis suspicio oborta est, exercitum per loca culta colligi. Fridlevus, hoc loco patrem suum interfectum esse monens: si vos, Dani, in hostium manus incidetis, inquit, eadem pœna, qua eum affecistis, vos manebit; quare unicuique maxime expedit, ut vitam suam quam carissime vendat. Episcopus ei pro his verbis gratias egit, hæcque fortiter dicta esse testatus est. Eo die per tractus habitatos cantabundi equitarunt, nulla timoris indicia præferentes. Quorum iter conspicati incolæ, ducis milites esse, qui tanta lætitia iter facerent autumabant. Sic episcopus cum suis salvus et incolumis ad naves revenit; rex Valdemar, qui tum sedens psalterium legebat, adventu episcopi ac suorum perquam lætatus est.

120. Postero mane rex orientale latus Vendiæ prætervectus Svoldram[1] navigavit. Vendi, qui hoc loco magna cum classe stabant, [simul ut vela navium Danicarum conspexerunt, secundo forte incidente vento confestim aufugerunt[2].

[1]) putatur fuisse insula amplior inter Rugiam et Voztrosam, nunc in minores insulas divisa, *Stubberbank*, *Ruden*, etc. [2]) *þeir flýðu þegar, er þeir sáu segl Danakonúngs; lagðist þá á byr*] sic *C*; sed *K* habet: *þeir flýðu þegar, er þeir sáu segl Dana; konúngr lagðist þá við byr*, extemplo aufugerunt, conspectis Danorum velis; tum rex Byrum appulit. Ita *Byr* (ɔ;

Rex filium suum Christophorum misit, ut pagum Vindlandiæ, dictum Valungiam[1], incenderet, monens, ne prius in mediterranea equis veherentur, quam totus exercitus in terram pervenisset. Quum vero Christophorus ac sui vicorum exustionem nimia festinatione præoccupassent, Vendi, qui in navibus erant, quique antea aufugerant, viso incendio quam citissime adremigarunt, Danisque necopinato supervenire cogitabant. Regem autem Valdemarem hoc ipso momento cum parte classis adventare conspicati, quantocissime se abripuerunt, ut Dani eos adsequi nequirent. Dein Dani portum ingressi, naves tentoriis velarunt; naveque regia velata, Askel archiepiscopus eo advenit, et sic locutus est: vos vero Dani in rebus gerendis præproperi estis, qui eos ante sepeliatis, quam mortui sint. Rege, cur sic loqueretur, interrogante, archiepiscopus: quia nobis video hoc loco circa insulas et scopulos diu hærendum esse, antequam damna hac temeritate facta pari victoria compensemus; neque præcipitantiæ solet comes esse prudentia. Dein hortante archiepiscopo repetitis navibus, fluentum aliquod, quod eo loco erat, trajecerunt, equisque in terram expositis, totam provinciam, quæ eo loco supra Strælam[2] est, flammis vastarunt, ibique noctem transegerunt. Postero mane in Valungiam profecti, hunc pagum incenderunt, quo facto domum reverti statuerunt. Sed proxima post nocte Rængi eos ad Masnesum[3] assecuti sunt; hi incolunt provinciam Vindlandiæ,

Bor, Por) portus aliquis fuit in meridiana Rugiæ parte ad fretum Strælense.

[1]) in parte occidentali Rugiæ, postea *Wolung*. [2]) insula in freto Strælensi, hodie *Dänholm*. [3]) putatur esse promontorium in insula Umanzia, ad occidentale latus Rugiæ sita.

Reum[1] dictam, quæ ingentem pagum et regnum efficit. Horum princeps Domabur, quum de pace cum Danis ageret, ab archiepiscopo dedere sese regi Valdemari obsidesque dare jussus, sequens consilium archiepiscopo dedit, his verbis usus: tu vir es parvo natu, neque res præteritas satis diligenter notasti; ne nos obsides postules, neu terram nostram armis infestes. Potius domum redeas pacemque nobiscum perpetuo colas, donec vestri agri perinde culti sunt quam nostri; quum enim magna pars agri vestri vacua et inculta jaceat, in pace, quam bello, esse vobis magis expedit. Ad quæ archiepiscopus: tuo uti consilio pervelle regem Valdemarem scio, quod meo quoque animo adridet; igitur domum redi, inquit archiepiscopus, Rængisque ita nuntia, obsides non prius postulari a nobis, quam offerantur ab illis. Reverso inde Domabure, rex Valdemar classem in portum Reensem, Skaparaddam[2] dictum, appulit, et cum omnibus copiis egressus est ad oppidum, Arconam dictum, quod oppidum ab Eiriko Emuuio expugnatum fuerat, quemadmodum supra in hoc libro demonstratum est. Hic Rængi (Rugienses) regi Valdemari cum immensis copiis obcurrerunt, et prœlium cum eo commiserunt; in quo prœlio rex Valdemar victoria potitus est, ex Rængis trecenta millia ceciderunt, prœlio superstites aufugerunt. Inde Dani ad insulam Hedinis se contulerunt. Hic quum versarentur, Rængi ad eos venerunt, quatuor[3] obsides tradiderunt, omnia quæ postulassent se facturos polliciti. Qua reportata victoria rex Valdemar in regnum suum rediit. Rex Valdemar proxima, quam post hanc fecit, expeditione Strælam profectus est. Tum episcopus

[1]) i. e. Rugiam. [2]) hodie vicus *Schaprode* in ora Rugiæ occidentali; in diplomatis medii ævi Szabroda. [3]) septem, *C, S, V.*

Absalon in terram evectus, habito conventu colonorum, eis præcepit, ut Valagustum[1] unacum rege proficiscerentur eique opem ferrent. Cujus jussis obsecuti Rængi, magno cum militum numero regem sunt comitati et naves suas ad Kuavizam[2] constituerunt. Hic Valagustani eis occurrerunt, regi obsides dederunt, obsequiumque polliciti sunt; quo facto exercitus domum rediit. Proxima, quam fecit rex Valdemar, expeditione in Grænasundum (fretum Viride)[3] venit, tunc enim Rængi pacta antea cum rege Valdemare facta violare cogitarant; cujus rei ea fuit causa, quod hoc temporis intervallo se duci Brunsvicensi Henrico submiserant obsidesque huic dederant; nam Henricus totam regionem Valagustanam suam esse adseruerat, Rængisque bellum intulerat. Rængi vero, cognito, regem Valdemarem in Grænasundum pervenisse, arma eis illaturum, regem adeuntes denuo sese in potestatem ejus dediderunt; quo facto rex Valdemar domum rediit. Quibus rebus cognitis dux Henricus regi crimini dedit, quod obsides a Valagustanis accepisset et Rængos bello persecutus fuisset; hos enim sibi subjectos esse contendebat. Itaque legatis ad regem Valdemarem missis postulavit, ut satisfaceret, quod regno suo arma intulisset; alias se ultionem expetiturum Daniamque infestis armis invasurum. Interea vero dum legati in hoc itinere erant, Vendi orientales, immensis copiis in expeditionem evocatis et instructis, in provincias, quæ duci in Vindlandia erant, incursionem fecerunt, vicos incenderunt, omnes homines interfecerunt. Hujus rei

[1]) opp. Volgastum ad Penum, Pomeraniæ fluvium. [2]) Putatur esse insula *Cos*, extra veterem Pomeraniæ provinciam Volgastam sita, Saxoni *Cozta*. [3]) fretum inter Falstriam et Monam, Daniæ insulas.

culpam dux Henricus in episcopum Absalonem, quamvis immerentem, transtulit; sed verum edoctus, iterum legatos in Daniam ad regem Valdemarem misit, petens, ut in gratiam reciperetur, insuperque, ut societatem secum faceret arma Vindlandiæ illaturo. Petenti annuit rex Valdemar; nam Valagustani pactionem cum eo factam iterum ruperant. Hujus anni vere Valdemar, Daniæ rex, et Henricus, dux Saxoniæ, copiis in expeditionem evocatis, bellum Vindlandiæ intulerunt. Dux copias suas duxit in regionem, Diminiam[1] dictam, ubi oppidum aliquod obsidione cinxit. Incolæ conlecti, fines suos defendere conantes, nocte quadam impetu in milites ducis facto, duos comites ejus, quorum alteri Adalbricto nomen, alteri Henrico, multos præterea viros nobiles, eadem nocte interfecerunt; hoc loco ex ducis militibus quingenti quadraginta cecidere, multis vulneratis, ceteri omnes, quibus elabendi facultas data, aufugerunt. Vendi, quum fugientes brevi spatio pepulissent, in cæsorum corpora involantes spolia legere, prostratos armis et vestimentis exuere cœperunt. Cælo vero dilucescente, Germani Vendos occupatos conspicati revertuntur, prœlio eos adoriuntur et in fugam conjiciunt. Quo facto dux Henricus arcem expugnavit, innumeramque Vendorum multitudinem interfecit. Rex Valdemar, alio ductis legionibus, Valagustum pervenit, oppidumque obsidione clausit. Vendi autem pacem implorantes, se suaque in potestatem regis tradiderunt, obsidesque dederunt; nocte proxime insequenti, rege non animadvertente, ex oppido aufugerunt. Quo cognito rex Valdemar, præsidio ex suis oppido imposito, per exteriora profectus ad

[1]) provincia ad Penum sita, cum arce Dimina, nunc *Demmin*, ad confluentem Peni, Trebeli et Tollensii.

amnem quemdam se contulit et ad pontem, quo amnis junctus erat, Dunzæum[1] appellatum, pervenit. Postero mane dux Henricus a Grozvina[2] venit, confestimque navim unacum rege Valdemare conscendit, magnaque captus est admiratione, quod navigantes tanta ferri celeritate possent. Quos inter quum omnia amicissime convenirent, rex Valdemar, filii sui nomine, affinitatem cum duce jungendam proposuit; quo a duce probato, liberos suos, tunc in cunis jacentes, puerum Knutum, regis Valdemaris filium, puellamque virginem Geirthrudam, inter se desponderunt. Postridie mane rex Valdemar Stolpum remigio advectus est, Henricus Diminam profectus, totum oppidum diruit et incendit. Rex Valdemar ad pontem revectus est, quo ad eum venit Kassamar, tunc temporis Vindlandiæ princeps, qui obsides ei dedit, ejusque cliens factus est; cui rex Valdemar duas provinciæ Valagustanæ partes tuendas dedit, tertiam Rængis commisit. Inde rex Strælam profectus concilium cum suis habuit. Tum, episcopo Absalone ceterisque principibus hortantibus, Knuto filio suo, tunc anniculo, regium nomen dedit. Quo facto in Daniam rediit. [Proxima, quam rex Valdemar fecit, expeditione primum in Rængos profectus est, tumque provincia Valongia incendiis vastata; etiam tum episcopus Absalon et insulani summa celeritate negotium confecerunt, ut regem septem dies ad insulam Hedinis exspectarent. Inde domum redierunt.

121. Elapsa hieme rex Valdemar copias denuo in expeditionem eduxit, et in Rængos profectus est. Escensione facta in lucum quendam

[1] pons in flumine Peno, qua rivo Ribenizo jungitur, in diplomatis „antiquus transitus *Dansn*" dictus. [2] Saxoni Grotzwina, inter Anclamum et Stolpam ad Penum sita.

in Stræla situm, diis sacrum, qui Boku dictiur[1], totum locum inflammarunt et incenderunt, homines pecuniasque rapuerunt et ad naves deportarunt. Mox ex altera parte escensione in Valungiam facta, eum locum incendiis vastarunt; inde Vikam[2] profecti, totam regionem usque ad macellum oppidanorum inflammarunt. Hinc in insulam Hedinis remigio advecti, ibidem per binoctium morati requieverunt. Tum rex, episcopo Absalone præcedere jusso, ipse cum Jotis ad Strælam adpulit; tenebris autem ohorientibus, episcopus cum suis regem remigio prævectus Parezum[3] venit; inde ad oppidum Garzum[4] dictum equo vectus, Vendis obcurrit, qui extemplo prœlium cum episcopo commiserunt. Pugnatum est prope lacum aliquem, ubi vehemens prœlium factum ingensque strages edita. Episcopo victoria cessit; ex Vendis [mille trecenti[5] cecidere, ex episcopi militibus unus prœlio, duo, qui natando inter se certarant, aquis submersi perierunt. Dein episcopus ad naves suas revectus est; quum vero equos navibus imponerent, rex Valdemar adveniens quid gessissent interrogavit. Quod quum episcopus docuisset, ingentibus pro hac victoria gratiis a rege actis, omnes una Strælam profecti sunt. Hic quum Dani insulares magnam prædæ copiam nacti essent, Joti, invidia tacti, insulanis omnem prædam cedere,

---

1) *a signo* [*C habet:* In hac expeditione, in qua Dani triennium domo abfuerant, provincia Valonga inflammata est; tum, uti semper, episcopus Absalon et cum eo insulani præcipua virtute se præstiterunt. *Cap.* Ab hac expeditione, cujus modo facta mentio, duabus elapsis hiemibus, rex Valdemar Strælam profectus, in lucum quendam, diis sacrum, qui Beku dicitur, pervenit. 2) hod. oppidum *Wyck* s. *Wieck* in Vittova, Rugiæ peninsula. 3) de situ hujus loci adhuc dubitatur. 4) hod. oppidum *Garz* id. q. *Karenz* in Rugia. 5) quingenti, C.

sibi nihil relinqui querebantur; neque tamen ista, præsente rege, jactare sunt ausi. Post hæc rex, classe in Asundam[1] ducta, ea loca vastavit; hic principem, Dalemarem dictum, interfecerunt, omnes homines et pecunias ceperunt, indeque in insulam Hedinis reverterunt. Huc Reenses (Rugiani) ad regem venerunt, pacem petentes, datisque obsidibus vectigalia quæ imperasset soluturos, quæque fieri jussisset facturos polliciti sunt. Quibus confectis rebus rex in Daniam rediit.

122. Rex Valdemar filio Christophoro partem Jotiæ administrandam dedit; qui ducatum Heidabycnsem cum provinciis eo pertinentibus nactus, vir potens evasit. Regem Valdemarem, quoad regno præfuit, perpetua negotia occupatum tenuerunt. Octo expeditiones in Reenses fecit, antequam potiri regione posset. Hieme quadam, tempore jejunii, dux Christophorus et Absalon episcopus Svoldram[2] profecti, omnia loca Tribuzin[3] usque incendiis vastarunt, ut multis inde annis vacua jacerent; tum detenti tempestate turbulenta quum viginti dies in amne Svoldra[4] stetissent, ventum secundum nacti domum redierunt. Post hæc res per triennium[5] quietæ, quum Reenses initam antea compositionem ruperunt. Quam ob rem rex Valdemar, iterum copiis in expeditionem evocatis, in Reenses profectus est; quo delatus prima Pentecostes feria, arcem Arconam, antea nominatam, expugnavit. Tum ad regem Valdemarem rex eorum Tetizlavus venit, hujusque frater Jarmar,

[1]) putatur h. l. significari Jasmonda, Rugiæ peninsula. [2]) Svanlandiam, *V*; Svollandiam, *S*. [3]) provincia Tribusana in Pomerania, cum oppido Tribuzi ad flumen Trebelum. [4]) putatur fuisse exitus aliquis maris inter insulas Rugianas, nunc partim æstu divisas, partim deletas, interluentis. [5]) septem annos, *C*.

nec non excellentissimi quique Reensium, qui semet ipsos et regionem, quam incolebant, in potestatem regis Valdemaris tradiderunt, ejusque arbitrio, quicquid eo fieri vellet, permiserunt. Religionem christianam amplecti jussi (pagana enim religio his locis invaluerat, ex quo a rege Eiriko Emunio, qui arcem Arconam, ut supra dictum est, expugnaverat, baptismo lustrati religionem christianam rejecerant), regis episcopique Absalonis imperata se libenter facturos polliciti sunt. Igitur rex Sonium Ebbii filium aliquot viris comitatum ingredi arcem Arconam, fanumque eo loco situm intrare, idolum, Svanteviz dictum, concidere et ex arce extrahere, delubrum omnibus rebus pretiosis spoliare jussit; nam iram idoli pertimescentes, qui in arce erant, id extrahere ausi non sunt. Accedentes itaque Svein episcopus et Sonius Ebbii filius simulacrum exciderunt, funeque collo injecto, ipsos Reenses id extrahere coegerunt; quo extracto, omnes pagani mirati, quod ipsum sibi opem ferre non potuisset, minorem ei quam antea fidem habuerunt. Tum milites accedentes simulacrum dissecuerunt, segmentisque ignem lebetibus suis subjectum nutriverunt; quo facto, Reenses, se deceptos intelligentes, postea nulla id religione coluerunt. Absalon vero episcopus ceterique clerici populum christiana religione imbuerunt, unoque die homines mille [quingentos sexaginta[1] bapizarunt, indeque ita discesserunt, ut incolæ regi et episcopo obsequium polliciti essent. Postero mane rex cum suis ad oppidum, Karenziam dictum, profectus, eo loco tria simulacra excidi jussit, quorum nomina: Rinvit, Turupid et Puruvit. Quæ idola tanta miracula patrarunt, ut, si quis intra oppidum rem cum

[1]) nongentos viginti, *C, S, V.*

muliere haberet, hi canum ritu inter se cohærerent, neque prius disjungerentur, quam ex oppido egressi fuissent. Eo autem die, quo hæc simulacra incensa sunt, homines mille [et octoginta[1] ad religionem christianam perduxerunt, undecim cœmeteria consecrarunt. Hic idola magna pecunia, auro et argento, serico et bombyce coccina et purpura, galeis et ensibus, loricis omnique armorum genere spoliarunt. Quinto idolo nomen fuit Pizamar, in Asunda (id huic loco nomen) culto, quod etiam flammis abolitum est. His accedebat Tiarnaglovius, numen victoriæ[2], bellicarum expeditionum socius, argenteo mystace insignis, quem diutissime servatum tertia post hieme captivum duxerunt. In hac expeditione omnino quinque millia incolarum christiana reddiderunt. Quibus rebus confectis rex Valdemar et Absalon episcopus cum omnibus copiis redierunt.

123. Vivo rege Valdemare undecim templa in Rugia ædificata et ab episcopo Absalone inaugurata sunt. Ibidem nunc sedes episcopalis est loco, qui Usna[3] dicitur, [in qua diœcesi[4] sunt templa centum et quinquaginta. Postea vero quam Rugia ad christianismum perducta erat, rex Valdemar nulli expeditioni interfuit. Sed propter pecunias, quas rex Valdemar ex Rugia redegerat, dissidia orta sunt inter regem Danorum et ducem Henricum, qui quum Rugiam suæ ditioni vindicaret, hasque pecunias suas esse contenderet, Vendos orientales Daniam bello invadere jussit. Quo cognito rex Valdemar filio Christophoro et Absaloni episcopo curam tuendorum regni finium commisit. Qui quum hostem

[1]) ducentos nonaginta quinque, *C.* [2]) principale, *C, S, V.*
[3]) *Saxoni Osna, oppidum insulæ Usedom.* [4]) cui subjectæ sunt novem diœceses, in quarum una, *C, S, V.*

intra fines regni excipere nollent, classem in expeditionem evocarunt, singulas naves singulis Daniæ pagis imperantes. Quum classem a litore solvissent, cognoverunt, Kuros classem pelago comisisse et populationem in Blekingia facere. Quum vero incertum esset, an vera narrarentur, rem circumspectius adgrediendam rati, id consilii ceperunt, ut Christophorus, episcopus Absalon et Asbjorn eo proficiscerentur. Qui Olandiam delati, magnam ibi vim pecuniæ hominumque ceperunt; sed reversi ad naves, quum cognovissent, Kuros [Monam accessisse[1], dimissis captivis, confestim eo, ubi se continebant, advolarunt, eosque in portu quodam Jarnloka[2] dicto, invenerunt. Kuri, hostem adesse intelligentes, naves in siccum subduxerunt, seque terra defendere parabant, Sviones adesse rati. Aliquis ex Kuris magno natu, Danos adesse, adeoque expectare minus tutum esse significavit; navemque suam avertit, ceteris Kuris cum classe novem navium remanentibus. Mox Christophorus cum sua classe superveniens, eos statim prœlio adortus est; quo loco omnes Kuri ceciderunt, nullo evadente; ex Danis duo desiderati. Quo facto Dani captas naves et pecunias eorum domum reduxerunt, insigni victoria ovantes.

Knutus sanctus e terra sublatus.

124. Ejusdem anni media æstate reliquiæ sancti Knuti Lavardi, patris Valdemari regis, Ringstadis e terra sublatæ sunt, tumque denuo insignia miracula, sanctitatem ejus testantia, acciderunt. Tum vero rex Knutus, filius regis Valdemaris, paucos annos natus, auctoritate patris sui consensuque totius Daniæ populi, rex

[1]) *voru við Mön*] sic *K*; *voru fyrir innan*, erant intra, *A*, h. l. obscurius et minus distincte. [2]) putatur esse Saxonis *portus Mönensium*, in Mona, Selandiæ insula.

inauguratus est. Eodem tempore compositio facta est inter regem Valdemarem[1] et Magnum Erlingi filium, Norvegiæ regem. Tum Erlingus Skakkius, pater Magni regis, in Daniam venit, et regem Valdemarem Randarosi convenit; qui multa inter se de rebus ad regem Norvegiæ et regem Daniæ adtinentibus disseruerunt. Rex Valdemar Vikiæ, Norvegiæ provinciæ, postulandæ jus habere sibi visus est; nam quum rex Valdemar patri filioque auxilia e suo regno ad recuperandam Norvegiam mitteret, hoc inter eum atque Erlingum speciali pacto convenerat, ut Vika, orientali regni provincia, potiretur. Præterea arcta inter regem Magnum regemque Valdemarem cognationis necessitudo intercedebat; nam mater regis Valdemaris erat Ingibjorga[2], filia regis Haraldi Valdemaris filii, quemadmodum supra dictum est, soror Malmfridæ, quam rex Sigurdus Hierosolymipeta in matrimonio habuit, ex quibus nata Kristina, mater regis Magni Erlingidæ. De rebus autem regem Valdemarem et Norvegos intercedentibus in historiis regum Norvegicorum commemoratum est. Ut vero Erlingus in Daniam ad regem Valdemarem venit, rex Valdemar ei dynastæ dignitatem easque Norvegiæ provincias, quarum jus habere se credidit, concessit. Itaque reconciliata gratia amicissime digressi, quoad vixerunt, pacta conventa fideliter servarunt. Hujus anni autumno rex Valdemar, evocatis in expeditionem copiis, Jomsborgam et Steinborgam[3], in orientali Vindlandiæ parte sitas, profectus est. Hic quum rex, angustum aliquod fretum[4] ingressus, ea pertransire cogitaret, Dani se in saccum aliquem intrusos querentes, hoc providentia et consilio Absa-

[1]) ducem Henricum, *add.* C, S, V. [2]) Engilborga, *K.* [3]) hodie *Camin.* [4]) intelligitur fluentum Divenovi.

lonis episcopi factum esse dicebant, a quo se in culeum, locumque, unde nemo eorum evasurus esset, inclusos crepabant: instant enim a terra copiæ pedestres, extra copiis navalibus intercludimur; neque hæc prius, quam exspectari poterat, evenerunt, quum tu nihil nisi gloriæ temeraria ratione inhies, quam rationem semper tibi omnibus in rebus successuram opinaris. Etsi autem rei militaris peritia et fortitudine multum vales, tamen haud certum est, an tibi expediat, omnia soli tibi, nihil aliis, permittere, quamvis hoc diu facere institueris. Quibus episcopus Absalon sermone perquam modesto respondit: quandoquidem vos in locum iniquum perduxi, his vos angustiis liberabo; hæc autem verba sæpius a vobis jactari nolo: etenim, quum non muliebre, sed virile cor in pectore gerere debeamus, omni timore vacare, omni verborum formidine abstinere nos convenit, etsi perpetua fortunæ serenitas adfulgere non videatur. Igitur ipse cum meis commilitonibus præcedam, vos meis consiliis etiam nunc obtemperatote. Si vero nos per fretum elapsos animadvertatis, vos summa celeritate usi equos in terram exponite, acieque instructa copiis terrestribus advehiminor; tum, ut se datura res sit, videamus. Uti præceperat episcopus, factum. Ingentem terra navibusque exercitum Vendi habuere; sed, imparata adhuc Vendorum classe, episcopus eos remigio advectus clamorem bellicum tolli jussit; quo facto universa hostium classis, quæ exitum observabat, armis cum eo decertare non ausa, fugam capessivit. Qui in equis erant, advecti ad oppidum, Vendis ibi occurrerunt eosque prœlio adgressi sunt. Quibus quum Absalon, classe hostili nullo resistente pulsa, auxilio venisset, strages in Vendos celeriter versa est, adeo ut

brevi temporis spatio hominum septem millia et ducentos neci darent, ceteri aufugerent; ibidem magnam hominum multitudinem captam ad naves reduxerunt. Postero mane vir quidam equo vectus ex mediterraneis ad eos venit, qui se incolarum nomine de pace acturum simulavit. Qui quum re vera fraudem dolosque venditaret, ab episcopo Absalone prehensus et verum fateri coactus est; inde per quatuor dies in custodia episcopi detentus, centum viginti argenti selibris [a filio redemtus est[1]. His rebus gestis Dani domum reversi sunt. Absalon episcopus, quum septemtrionem versus ad fretum Oranum navigaret, cum sex navibus ad ostium Hyliæ[2] stetit; hoc accidit septem diebus ante festum omnium sanctorum. Episcopus cum tribus navibus ad ostium stabat, reliquæ tres ab æstu derelictæ in arido hæserant. Sed circa horam diei tertiam antemeridianam, episcopo sacra antelucana celebrante, supervenientes novem naves Vendicæ, ingentis magnitudinis omnes, prœlio eos illico adortæ sunt. Quum brevi tempore pugnatum esset, Vendi terga verterunt, quorum una navi Dani potiti sunt, reliquæ octo fuga se subtraxerunt. Dein episcopus continuato itinere septem post diebus domum revenit. Insequentis anni æstate copiæ denuo in expeditionem evocatæ in freto Viridi convenirent; quo archiepiscopus Askel cum Skaniensibus, episcopus Absalon cum Selandensibus, et Christophorus cum suis militibus convenit. Inde Bramnesum[3] profecti, omnia loca circumjecta incenderunt. Hic eis occurrit comes quidam, nomine Hyrningus[4], qui, ipse etsi insignis bellator magnoque stipatus numero militum esset, eos prœlio adortus

[1]) se redemit, *C.* [2]) hujus loci situs adhuc incertus est. [3]) urbs Holsatiæ, Oldinburgum. [4]) Saxoni „Hurna," p. 342.

celeriter in fugam se dedit, multis suorum interfectis, aliquot captis. Quibus rebus gestis Dani ad naves reversi sunt, et regem Valdemarem ad Geitisoam[1] convenientes de exitu expeditionis certiorem fecerunt. Hic Joti, sociis invidentes, Selandenses omni præda potiri, sibi nihil relinqui, querebantur. Quam ob rem rex cum copiis suis Strælam profectus, inde in Tribuzin et Tripiden[2] ductis militibus, regionis multa loca incendit, urbem expugnavit, homines interfecit, quo facto præda auctus domum rediit.

De rege Valdemare.

125. Hoc tempore Henricus, dux Brunsvicensis, peregrinationem Hierosolymas domo comparavit; ante vero, quam proficisceretur, misit ad episcopum Absalonem, ut filiæ suæ, dominæ Geirthrudæ, quam Knutus, regis Valdemaris filius, duceret, obviam procederet. Sed Absalon episcopus, tum temporis morbo æger, ab hoc itinere prohibitus est; quam rem dux ægre tulit. Insequenti vero hieme, festo jolensi adpetente, eam Heidabyum misit, literasque ad episcopum Absalonem dedit, quibus significavit, se nemini in Dania majorem, quam ei, fidem habere. Dein rex Valdemar, obviam legatis missis, eam honorifice excepit. Dux vero Henricus Hierosolyma profectus est, qua peregrinatione defunctus domum rediit. Elapsa instanti hieme rex Valdemar, copiis denuo in expeditionem evocatis, in Vindlandiam profectus, in ostium Platæum[3] usque ad lacus Gorgæos[4] penetravit, omniaque loca circumjecta inflammavit. Post hæc rex Valdemar Burstaborgam[5] profectus, hanc urbem diu obsedit, eo tandem exitu, ut oppidani,

[1]) hod. *Gedserodde*, promont. Falstriæ in Dania. [2]) regio Pomeraniæ ad Penum ultra Tribuzin. [3]) exitus Svinensis. [4]) horum situs incertus est. [5]) Stetinum, Pomeraniæ urbem.

pecunia obsidibusque pacis redimendæ gratia datis, se in potestatem regis traderent. Quibus rebus gestis rex in regnum suum rediit. Post hæc aliquantum temporis res quietæ. Post hac hieme rex Knutus dominam Geirthrudam, ducis Henrici filiam, in matrimonium duxit; circa hoc tempus Christophorus, regis Valdemaris filius, obiit; eodemque tempore Askel archiepiscopus munus suum abdicavit, et ab episcopo Absalone petiit, ut munus archiepiscopale in se susciperet. Qui quum nullo pacto ad id suscipiendum induci posset, rex Valdemar et Askel archiepiscopus eum tantum non invitum in sede archiepiscopali collocarunt, nomenque archiepiscopi dederunt. Insequenti autem vere, tempore jejunii, Askel archiepiscopus in oppidum Claravallas, quod opulentum monasterium est, concessit, monachusque obiit; is aliquot annos cathedram Lundensem rexit. Quum rex Valdemar cognovisset, Vendos, postquam in gratiam recepti erant, pace adhuc vigente, duo castella in ostio Platæo[1] exstruere, ipse omnesque Dani magnopere angebantur, intelligentes, Vendos rursum pacta migraturos. Igitur, missis inter regem Valdemarem et Henricum ducem Brunsvicensem internuntiis, actum est, ut copiis ad bellum instructis in Vindlandiam profecti, ibi convenirent. Itaque dux cum exercitu in Diminum profectus est. Rex Valdemar, copiis denuo e Dania evocatis, Valagustam prætervectus Fuznonem venit, et populationem fecit, omnibus incolis aufugientibus; ille vero tria oppida, Fuznonem, Vinborgam et Fuiram[2] incendit. Tum legatis iterum inter regem Valdemarem et ducem Henricum interce-

[1]) *C*; Flatæo, *A*. [2]) tria oppida insulæ Osnæ (*Usedom*) in Pomerania, quæ respondere putantur tribus insulæ pagis, *Uznam*, *Wanzlaw*, *Woeze*.

dentibus quum constitutum esset, ut Grozvinæ convenirent, rex Valdemar loco, quem inter se condixerant, præsens adfuit. Quum vero dux abesset, rex Valdemar oppidum, dictum Kotskogam[1] obsidione clausit, insequentique nocte obsessam proxima nocte flammis absumsit, quo facto, locis impacatis relictis, ad naves suas se retulit. Inde ad ostium Plazæum navigavit, eaque transiit. Duo vero illa castella a Vendis exstructa inundatio marina hieme præcedenti absorpserat, totaque perfregerat. Post hæc rex domum rediit.

Nuntius a papa missus.

126. Eadem post hieme Alexander, pontifex Romanus, archiepiscopo Absaloni pallium misit, legationemque Daniæ, Sveciæ et utriusque Gothiæ mandavit; quod gratuito consecutus est, quum ante eum nemo sine mercede consecutus fuisset. Inauguratus est circa tempus jejunii. Hac elapsa hieme rex Valdemar copias totius Daniæ in expeditionem evocavit, qui exercitus in freto Viridi convenit. Hic quum rex Valdemar proficisci longius nollet, militibus præcepit, ut regi Knuto, filio suo, et archiepiscopo Absaloni, quos imperatores exercitui præfecit, dicto audientes essent; ipse regno excedere noluit. Dein Valagustam profecti, omnem circa regionem incenderunt; inde Usnam se contulerunt, ibique omnia loca circumjecta, ipsumque oppidum et omnes tractus habitatos inflammarunt. Huc delati Burizleivus et Kassamar, dux Vindlandiæ orientalis, clementiam regis Knuti et Absalonis archiepiscopi implorarunt, obsides ex omnibus subjectis provinciis dederunt, re-

[1]) Saxonis Goscova s. Cozgoa, hodie *Gützkow* in Pomerania inter fluvios Penum et Ryckum, in diplomatis *Gotzchowe*, *Chotzckowe*.

gi mille octingentas, episcopo sexcentas[1] selibras donarunt, ut pax, antea cum Vendis nomine regis Valdemaris facta et ab ipsis Vendis violata, maneret, omnibus provinciis, quas bello intactas esse rex vellet, securitatem polliciti. Iidem nono post die, quam discesserant, reversi, regem in Mona convenerunt; cui proficiscendi celeritatem demiranti, quæ in itinere accidissent, exposuerunt, pecuniasque et obsides retulerunt. Quibus rex pro eorum profectione grates persolvit.

Obitus Valdemaris.

127. Post hæc quinque anni ita transierunt, ut nullæ copiæ e regno in expeditionem evocarentur. In hoc vero otio Vendi arces et castella exstruxerunt, multaque, quæ ad regionem defendendam opus erant, munimenta fecerunt. Quibus rebus cognitis rex Valdemar, persvasum habens, Vendos non majori cum fide hanc pactionem, quam quæ superiori tempore factæ essent, servaturos, primo vere copias in expeditionem evocavit. Quum vero exercitus in freto Viridi convenisset, rex Valdemar morbo implicitus est. Igitur, concione militum habita, susceptam expeditionem persequi jussit, et regem Knutum filium et archiepiscopum Absalonem exercitui denuo præfecit. Qui quum digredi ab eo nollent, priusquam, quorsum morbus evaderet, cognovissent, rex Knutus, auctoritate archiepiscopi Absalonis motus, omnibus copiis domum redeundi veniam concessit. Rex Valdemar hoc morbo obiit 2. nonas Maii; funus ejus Ringstados deportatum, ibique sepultum est. Cujus mors universo totius Daniæ populo acerbissima fuit. Toti Daniæ annos sex et viginti singulari imperio præfuerat; in terris paganis viginti octo

[1]) auri, *add. C, S, V.*

prœlia fecerat; nam divinæ religionis promovendæ studio ductus, perpetuo in vita sua paganis gentibus adversatus fuerat. Ex rege Valdemare et regina Sophia nati rex Knutus et Valdemar Priscus, postea Daniæ rex, qui unus in excellentissimis regibus orbis nostri septemtrionalis fuit; quocum versatus Olavus Thordi filius, multa ab eo scitu digna didicit, multaque ab eo egregie gesta referre habuit. Filia regis Valdemaris Knuti filii fuit Engilborga, quam Philippus, rex Francogallorum, pater Ludovici, Francogallorum regis, qui Damiatum expugnavit, in matrimonio habuit. Altera filia regis Valdemaris erat Rikiza, quam Eirikus Knuti filius, Svionum rex, duxit: ex his nati Valdemar, Svionum rex, et Eirikus, et Rikiza, quam in matrimonio habuit Hakon Juvenis, Norvegiæ rex. Tertiam filiam regis Valdemaris in matrimonio habuit Viljalmus Crassus, filius Henrici ducis Brunsvicensis, frater Ottonis imperatoris. Dux Christophorus etiam filius erat regis Valdemaris ac Tovæ, ut supra dictum est, nothus; is decem annis ante mortem regis Valdemaris, patris sui, obiit.

Knutus regium principatum accepit.

128. Mortuo rege Valdemare Knuti filio, Knutus filius ejus imperium totius Daniæ accepit, cui omnes Dani paruerunt. Quum vero imperator Fridrekus famam de morte regis Valdemaris accepisset, extemplo legatos ad regem Knutum misit, eumque sibi subjectum esse, Daniamque suo nomine administrare jussit. Itaque rex Knutus sententiam archiepiscopi Absalonis ceterorumque consiliariorum, quæ responsa daret, exquisivit; cui illi id consilii dederunt, ut moderate responderet atque sic diceret, posse quidem imperatorem tantum sibi conferre imperii, ut ejus cliens evaderet, non vero opus esse,

ut Daniam ejus beneficio acceptam referret. Quibus responsis regis Knuti acceptis legati imperatoris redierunt. Interea vero, dum legati in itinere erant, Burizlavus aliquem suorum, nomine Pridam[1], ex Vindlandia ad imperatorem misit, per quem, dicta salute, significavit, se brevi facturum, ut Knutus Daniæ rex haud serius anno vertente ejus cliens fieret. Imperator ei pro his verbis gratias egit, legatum osculatus est, eique eximium equum, loricam, clipeum, galeam, ceteraque arma apprime elaborata muneri dedit; insuper eum eximiis vestibus pelliceis donavit, beneque vestitum dimisit, duci Burizlavo, suo amicissimo clienti, renuntiare jubens, ut quam imperatori dedisset fidem, præstaret. Post hæc Burizlavus magnum militum numerum evocavit, in Reenses profecturus et hoc regnum in potestatem redacturus. Quod quum Reenses cognovissent, Jarizmar legatos ad Absalonem archiepiscopum misit, qui dicerent, Vendos Orientales magnam classem eduxisse, Vendosque Occidentales exspectare, utrosque se bello persecuturos: rogare, si archiepiscopus imperium regionis retinere velit, ut auxilio sibi veniat. Archiepiscopus hortatus est, ut fortiter resisterent: se enim eis auxilio venturum. Post hæc copiis evocatis in Vindlandiam adversus Burizlavum navigavit. Burizlavus, sexcentas naves habens, etiamtum Vendos Occidentales exspectabat. Quum vero archiepiscopus Burizlavo occurrisset, acre prœlium ortum est, cujus is finis fuit, ut Burizlavus cum quinquaginta navibus fuga evaderet, ceteræ omnes ab archiepiscopo caperentur, militibus partim in terram effugientibus, partim submersis, maximam partem occisis. Hoc prœlium factum est verno tempore circa festum pente-

[1]) Fridam, *C, S, V.*

costes. Dani, omni quam nacti erant præda divisa, domum redierunt.

De expeditione Knuti.

129. Hoc eodem vere rex Knutus, copiis in expeditionem ex Dania evocatis, primo in Reenses profectus, eos Valagustam secum iter facere jussit. Inde magnum militum numerum ducens Valagustam movit, ibi populationem fecit, totamque circumjectam regionem incendit, arcem diu circumsedit. Absalon cum suis in terram egressus, duo castella, quæ in ostio Platæo[1] ad transitum eorum prohibendum exstructa erant, incendit; quibus incensis ad regem rediit. Tum Burizlavus in litus delatus, nuntium ad archiepiscopum, qui tunc in navibus se continebat, misit, proponens, ut inter se colloquerentur. Scilicet id agebat Burizlavus, ut archiepiscopum in hoc colloquio per fraudem opprimeret, existimans, illo sublato, victoriam in manibus fore. Igitur archiepiscopum hortatus est, ut in terram egressus secum colloqueretur, ostendens se in pace cum rege Knuto facienda auctoritati ejus multum tributurum. Sed quum archiepiscopus, suspicatus, id quod erat, Burizlavum insidias agitare, egredi in terram nollet, nullum inter eos habitum colloquium est. Interea Burizlavus, dum de colloquio cum Danis ageretur, arci suæ commeatu subvehendo prospexerat. Festo Petri rex Knutus arcem impugnavit, prœliumque fecit, neque eam expugnare potuit, quumque sex dies eo loco se quietus continuisset, commeatu pæne defectus, abscessit; quem insecuti Vendi, ex Danis sexaginta homines interfecerunt. His gestis rex Knutus domum cum omnibus copiis rediit. Autumno proximo, septem diebus ante festum Michaelis, rex Knutus, copiis in expeditionem

[1]) *S, V;* Flatæo, *A.*

evocatis, in Recenses profectus, magnum inde numerum militum duxit. Hinc in Tribuzin, indeque in Tripiden ducto exercitu, ea loca populatus est, totam regionem incendiis vastavit, emporiumque incolarum advectus inflammavit. Hoc loco omnes copiæ (pedestres) Knuti regis convenerunt, ibique triduum moratæ sunt, navibus eorum ad Strælam stantibus. Postero mane Tikaroam[1] profecti, Voztrosam[2] incendiis vastare cogitarunt, a quo consilio adversis tempestatibus prohibiti sunt. Quo cognito Burizlavus, cum duabus navibus advectus, pacem cum rege Knuto facere voluit, re vera clandestinos dolos animo agitans. Quum vero rex Knutus cibariis ad alendos milites deficeretur, domum in Daniam rediit. Vere autem proxime insequenti rex Knutus copias in expeditionem e Dania evocavit, in quo exercitu Absalon archiepiscopus, uti antea, Asbjorn episcopus multique alii viri potentes fuerunt. Qui, magno stipati exercitu, Valagustam profecti sunt, regionemque ab utraque fluminis[3] parte incendiis vastarunt, totamque terram inflammantes Steinborgam usque penetrarunt. Burizlavus ægerrime elapsus est; is ex equo aggerem aliquem transiliens in arcem evasit. Rege Knuto et Absalone archiepiscopo hoc ipso temporis momento advectis, Burizlavus signo dato pacem petiit, rogavitque ut sibi cum eis colloqui liceret; legatos cum mandatis, quæ proponi vellet, mittere jubent. Cujus legati ad episcopum Asbjornem venientes rogarunt, ut negotium Burizlavi apud regem et archiepiscopum ageret, ut, venia ex arce egrediendi data, cum eis col-

[1]) Trikaroam, *C.* Putatur esse peninsula Rugiæ, qua ad euronotum vergit, ubi sinus *Zicker See* et oppidum *Zicker*. [2]) provincia Pomeraniæ ab regione Volgasti in boream versa. [3]) *Rín*, add. *C, S, V* (forte *Pin* ɔ: *Peni*).

loqui liceret. Ostendunt, se fide cum eo velle colloqui, neque enim eadem, atque illum, perfidia esse. Burizlavus se libenter fidem eis datam servare velle dixit, rogans, ut tempus locumque, quo cum rege colloqueretur, constituerent; se intra triduum in congressum regis Knuti venturum. Rex Knutus se hoc ipsum tempus constituere velle significavit, interea tamen se terram, uti antea statuisset, incensurum, oppidumque, quod arcem præjacebat, flammis absumturum. Burizlavus, permissa regi quæ vellet incendendi licentia, se nihilo minus in congressum regis venturum adseruit, orans, ut oppidis ac templis, quæ ibi loci essent, parceret. Tum mulieres ex oppidis accedentes ad pedes regis se prostraverunt, orantes, ne oppida inflammari juberet; quod rex precibus earum dedit. Post hæc rex in terram ad incendia faciunda egressus, noctem in terra peregit, multaque loca igne vastavit; postero mane ad naves rediit. Tum Burizlavus ad regem Knutum et archiepiscopum veniens fidem eorum imploravit, filios nobilissimorum, qui in terra erant, virorum regi obsides dedit, eidemque trecentas, archiepiscopo octingentas selibras donavit. Sic tota Vindlandia in potestatem ac tutelam recepta, rex Knutus domum in Daniam rediit.

Obitus Burizlavi.

130. Insequenti vere, ante festum paschale, Burizlavus regem Knutum Roiskeldæ convenit, apud quem per dies festi paschalis versatus est, amicissime habitus, gladiumque regi prætulit. Domum proficiscentem rex Knutus eximiis muneribus prosecutus amicissime dimisit. Vere autem anni insequentis, tempore jejunii, Burizlavus in morbum incidens, arcessitis consiliariis suis, consilia cum eis conferebat, atque significavit,

si ex eo morbo revaluisset, regem Knutum convenire velle; sin vero hoc natura negaret, liberum regi de terra statuendi jus permisit. Etiam a rege petiit, Deum obtestatus, ut se liberis ejus amicum præberet, omniaque inter eos, uti placeret ipsi, divideret; intellexit enim, fratrem[1] Jarizmarem haud parum commodi ex perpetua erga regem Knutum fidelitate percepisse. Hoc eodem morbo dux Burizlavus circa tempus Jejunii obiit. Quo facto legati Burizlavi ad regem Knutum profecti, ei mortem Burizlavi nuntiarunt, eaque verba, quæ ad regem Knutum perferenda mandasset, orantes, ut filiis ejus opem ferret, omniaque inter eos, uti ipsi videretur, divideret. Dein condicto loco temporeque conveniendi, Nicolaus et Henricus, Burizlavi filii, oppido Vorthungæ adfuerunt, ubi rex Knutus terram inter eos partitus est, eisque curatores constituit. Sic igitur rex Knutus totam Vindlandiam in suam tutelam et fidem receperat, jamque tota hæc regio sub eorum potestate fuit. In omnibus vero prœliis, quæ cum Vendis commiserunt, ex quo obierat rex Valdemar Knuti filius, archiepiscopus Absalon regis Knuti dux et consiliarius fuit. Qui nisi socius expeditionum fuisset, talem tantamque victoriam non fuissent adepti. Fuit enim omnium fere, quos hæc regna septemtrionalia tulerunt, rei militaris peritissimus maximusque bellator. Jam clauditur narratio de regibus Danorum.

[1]) avunculum, *C.*

FRAGMENTA
ET
PARTICULÆ HISTORICÆ
AD RES DANICAS PERTINENTIA.

Fragmentum primum.

1.* Dicitur Arnulvus nomen fuisse viro cuidam sancto, qui primo dynasta Saxoniæ, postea archiepiscopus fuit. Hujus filius fuit Angenses, dux Francogalliæ, qui Beggam Pippinis filiam in matrimonio habuit; horum filio nomen erat Pippin, cujus filius fuit imperator Carolus Magnus. Carolus Magnus fuit rex Francogalliæ annos triginta quatuor, postea vero imperator annos duodecim. Æquales ei fuerunt imperatores (Constantinopolitani) Michael, Nicephorus et Leo. Carolus Magnus in matrimonio habuit Hildegarden; ex his natus Ludovicus, qui patri in regno successit, et annos viginti septem imperator fuit. Ille nunquam neque lusit, neque risit. Quo tempore Carolus Magnus imperavit, fuit rex, nomine Godefridus; is Rærekum, Frisonum principem, interfecit, et Frisonibus tributum imposuit. Postea Carolus Magnus exercitum contra Godefridum duxit. Tum Godefridus a militibus suis interfectus est, Hemingus vero frater ejus, rex suffectus, exercitum adversus regem Carolum Magnum ducere perrexit, donec ad fluvium, Egderam dictum, convenerunt; ibi pacem fecerunt; uno vero post anno Hemingus obiit. Tunc reges Jotiæ creati sunt Sigrodus, cognatus Godefridi, alterque nomine Ringus. Hi utrique, exercitu contracto, ingens prœlium

*) Confer Scr. hist. Isl. Vol. I. p. 127-131.

inter se commiserunt, cujus is exitus fuit, ut utrique caderent; in quo prœlio decies mille octingenti et sexaginta homines ceciderunt. Tunc regium principatum accepit vir, nomine Harekus; qui quum quinque annos rex fuisset, cum Reinfrido, Godefridi filio, conflixit; in quo prœlio Harekus victoriæ ergo votum fecit, si ex eo prœlio evasisset, se cum tota familia sua baptismum admissurum. In eodem prœlio victoria potitus, post paulo cum conjuge sua et fratre Hareko magnaque Danorum multitudine ad regem Ludovicum, filium Caroli Magni, tunc temporis imperatorem, profectus est; tum Harekus ac sui, Pascale pontifice Romano, Moguntiæ baptizati sunt. Quo facto Harekus in Daniam rediit unacum episcopo Ansgario, qui magnam ibi hominum multitudinem baptizavit. Harekus morbo diem obiit, Harekus vero cognatus ejus, regium principatum adeptus, Jotiæ imperavit, donec Guttormus, avunculus ejus, eum prœlio aggressus est, elapsis ab incarnatione domini nostri Jesu Christi annis octingentis sexaginta duobus; in quo prœlio utrique ceciderunt, omnisque regia stirps, quæ cum eis erat, uno tantum puero superstite, nomine Hareko, qui postea rex factus est. Tunc Ansgarius episcopus iterum in Daniam ad Harekum profectus est, eumque baptizavit. Harekus ædem sacram Ripis exstrui fecit, quum Harekus prior Heidabyi templum ædificandum curavisset. Episcopus Ansgarius tribus post commissum inter Harekum Guttormumque prœlium annis mortuus est. Tum dicitur Harekus christianam religionem abjecisse, et paulo post decessisse. Post hunc reges fuere Sigfredus et Halvdan, ethnicæ religioni addicti. Rimbertus episcopus Ansgario successit. Hujus episcopatus anno duodecimo obiit imperator Lu-

dovicus, Caroli Magni filius; ille quatuor habuit filios, quorum nomina: Lotharius, Ludovicus, Carolus, Pippin. Hi imperium æquis partibus inter se diviserunt, Lothario regnum Romanum, Burgundiam et Lotharingiam obtinente, Ludovico Franciam et nomen regium, Carolo Vallandiam, Pippine Aquitaniam. Quum Rimbertus duodecim annos episcopus fuerat, Dani et Normanni terram, Carolingiam dictam, bello infestarunt; quos adversum misso exercitu Ludovicus junior, Ludovici filius, tredecim millia hostium occidit. Ludovico post quintum annum mortuo, eo anno Dani et Normanni, acceptam calamitatem ulcisci conantes, flumine Rheno subvecti, omnia oppida et templa eo loco sita incenderunt, templumque primarium urbis, quæ Aquisgranum dicitur, pro stabulo equorum usurparunt. Coloniam omniaque oppida secundum superiores Rheni ripas sita Moguntiam usque inflammarunt. Tum Carolus, frater Lotharii, exercitum contra eos misit. Congressi sunt ad flumen, quod Mosa dicitur. Erant in exercitu Danorum reges Sigfredus et Gudfredus filiique Ragnaris Hirsutibraccæ. Pace cum imperatore facta baptismoque admisso post paulo omnia pacta ruperunt, armaque in Franciam occidentalem Parisios usque tulerunt, quam urbem incendio vastarunt. Tunc adversum eos magno cum exercitu veniens Arnaldus, tunc imperator, ex iis nongentos homines prostravit. Quo facto Danorum exercitus repressus est. Tunc a nativitate domini nostri nongenti anni transierant. Post annis septemdecim Huno Bremis in Saxonia episcopus inauguratus est. Duodecimo post anno Henricus, qui primus eo nomine imperator fuit, in Daniam profectus, Danos et verborum blandimentis et minis ad christianismum perduxit, neque ante destitit, quam veram reli-

gionem recipere polliciti essent. Dein Huno episcopus Frodium regem, tum Jotiæ imperantem, adiit, eumque ac populum baptizavit. Tum templa, Heidabyi et Ripis destructa, refecta sunt; item Arusiæ. Post hæc rex Frodius, legatis Romam missis, auspiciis Agapeti papæ tres episcopos, ecclesiis Jotiæ præficiendos, inaugurandos curavit, Heredum ecclesiæ Heidabyensi, Libedagum Ripensi, Rimbrondum Arusiensi. Hoc factum est anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi nongentesimo quadragesimo octavo, imperii Ottonis Magni duodecimo. A regibus enumerandis recesseramus, mentione facta Sigfredi et Halvdanis, Daniæ imperantium. Post hos Danis imperavit rex, Helgius dictus, qui commisso adversus Olavum Svionum regem prœlio occubuit; Olavus autem diu postea Daniæ et Sveciæ præfuit, morboque mortuus est. Post eum regnum Daniæ susceperunt Gyrdus et Knutus.

2.*) Imperator Ludovicus Ludovici filius, imperatoris Caroli Magni nepos, cum fratribus suis annos triginta sex regnavit. Post eum Carolus, filius ejus, undecim annos cum fratribus suis, quorum alteri nomen fuit Karlamagno, alteri Ludovico, regnavit. Eo tempore incoli cœpta Islandia, imperante tum Daniæ Gormo grandævo, Norvegiæ Haraldo Pulcricomo. Carolo Ludovici filio succedens Arnaldus, Karlamagni filius, duodecim annos regnavit; post eum Ludovicus, Arnaldi filius, annos duodecim; post hunc Conradus Conradi filius duodecim annos, qui primus imperator fuit eorum, qui per majorum stemmata origines ad Carolum Magnum imperatorem non referebant. Post Conradum Henricus duodeviginti annos imperavit; tum Otto

*) Confer Scr. hist. Isl. Vol. I. p. 139-140.

Magnus, filius ejus, annos octo et triginta; tum Otto Rufus, filius ejus, novem annos. Eo tempore Haraldus Gormi filius rex erat Daniæ et Norvegiæ, sub cujus auspiciis Hakon, dynasta Ladensis, ut supra dictum est, Norvegiam administravit, fida tum inter eos amicitia. Æstate quadam Hakon dynasta regi Haraldo sexaginta accipitres misit, nulla vero tributa pependit, eo quod rex Haraldus ei omnia Norvegiæ tributa in laborem et sumtum remiserat, quæ finibus ab incursione Gunnildidarum tuendis insumebat.

3[*]). Sic memorat sanctus Beda sacerdos in annalibus, quos de descriptione mundi regionum conscripsit, insulam, Thulen in scriptis (latinis) appellatam, tantum ad plagam mundi borealem vergere, ut ibi hieme, quum longissima nox est, dies non oriatur, neque æstate nox, quum dies longissimus est. Ideo vulgo existimant, Islandiam Thulen appellari, quod ea in terra multa sunt loca, in quibus sol magnam partem hiemis, quum brevissimus dies est, non apparet, magnamque æstatis partem multis locis noctu interdiuque splendet. Beda vero sacerdos mortuus est anno octingentesimo tricesimo quinto ab incarnatione domini nostri Jesu Christi, amplius centum annis ante Islandiam a Norvegis occupatam. Ibi antea fuisse dicuntur homines, a Norvegis Papæ dicti; qui haud dubie christiani fuerunt; nam relicti ab eis libri hibernici, sistra et litui reperti sunt, præter alias res complures, unde intelligi potuit, christianos fuisse et per mare occidentale advectos. Libri quoque Anglici indicant, tractum maris inter has terras interjectum eo tempore navigatum fuisse.

4. Quo tempore Islandia inventa et occupata est, Adrianus pontifex Romanus erat, et

[1]) Confer Scr. hist. Isl. Vol. I. p. 259-260.

post eum pontifex Johannes, qui ejus nominis quintus sedem apostolicam tenuit; Ludovicus Ludovici filius imperator Galliæ Transalpinæ; Leo et Alexander, filius ejus, imperatores Constantinopolitani; Haraldus Pulcricomus Norvegiæ rex; Eirikus Eyvindi filius, hujusque filius Bjorn, reges Sveciæ; Gormus grandævus Daniæ, Elvradus et Jatvardus filius Angliæ, Kjarval Dublini in Hibernia rex erat; dynasta Sigurdus Potens, frater Rognvaldi Mæriarum dynastæ, Orcadibus præerat.

5*). Dicunt quoque rerum periti, ab Stado ad Hornum orientalis Islandiæ septem dierum, ab Snefelsneso in Grænlandiam, qua brevissimus cursus est, quatuor dierum navigationem esse versus occidentem; si vero Bergis ad Hvarvum Grænlandiæ recta in occidentem navigetur, duodecim milliariis maritimis ab regione Islandiæ in meridiem versa cursum esse dirigendum. Ab Reykjaneso, promontorio Islandiæ meridianæ, quinque dierum cursus est ad Olduhlaupum in Hibernia recta meridiem versus navigantibus; ab Langaneso Islandiæ borealis quatuor dierum cursus ad Svalbardum in Havsbotnis.

De prima Islandiæ inventione.

6. Ferunt, aliquibus e Norvegia in Færoas trajiciendum fuisse, quorum ducem quidam Nadum nominant. Hi per oceanum longe occidentem versus jactati, magnam terram invenerunt, ad cujus oram orientalem adpulsi, egressi in terram altum aliquem montem conscenderunt, nullaque terræ inhabitatæ vestigia deprehenderunt; autumno proxime insequenti in Færoas redierunt. Ille terræ nomen indidit, Snjolandiamque appellavit.

7. Vir fuit nomine Gardar Svavaris filius,

*) Confer Scr. hist. Isl. Vol. I. p. 260-261.

genere Svecus; is, matre præsaga præmonstrante, Snjolandiam quæsitum profectus, ab regione Horni orientalis in orientem versa, quo loco tum commodus portus erat, ad terram adpulit. Gardar, terra circumnavigata, insulam esse comperit. Sinum ingressus, Skjalvandium dictum, ab orientali sinus parte navem in portum constituit, ibidem hiemavit, ædesque exstruxit; quare ei loco nomen Husavikæ impositum est. Reversus in Norvegiam Gardar terram magnopere laudavit; quæ tnm insula Gardaris est appellata. Gardar fuit pater Unii, patris Roii, pontificis Tungensis.

8. Flokius Vigvardi filius nomen erat insigni piratæ; is insnlam Gardaris quæsiturus tres corvos secum vexit. Appulsa in Vazfjordum nave, qnum in excelsum aliquem montem conscendisset, septemtrionem versus per montes prospectans, sinum conspicatus est glacie marina plenum; quam ob causam terram Islandiam (Glacialem) vocarunt, quo nomine ab eo inde tempore appellatur. ....Eirikus Rufus Thorvaldi filius; hi primi occupatores insulæ meridianæ fuerunt. Dictus Eirikus, Ondotto Kraka monstrante, Grænlandiam detexit; qui, quo cupidiores eo demigrandi homines redderentur, hoc nomen terræ imposuit, quod postea ei adhæsit, ut Grænlandia (terra Viridis) appellaretur. Hujus filius fuit Leivus ille Fortunatus, ideo sic cognominatus, quod naufragos medio mari periclitantes servavit. Quæ terræ, Islandia et Grænlandia, ex terris, quas in hoc orbis triente habitatas esse constet, longissime in occidentem porriguntur.

9. Omnes relationes, lingua boreali servatæ, quæ quidem aliquibus argumentis nitantur, a Tyrkorum et Asianorum in orbem septemtrio-

nalem immigratione repetuntur. Quam ob rem magnam habet probabilitatem, hanc linguam, nobis Septemtrionalem dictam, ab eis in has orbis borealis partes introductam fuisse; quæ lingua in Saxonia, Dania, Svecia, Norvegia et aliquanta Angliæ parte viguit. Hujus populi princeps fuit Odin, Thoris filius, qui multos filios habuit; ad quem multi homines origines suas referunt. Is filiis suis provincias distribuit, eosque præfectos reddidit. Unus filiorum ejus appellatus est Skjoldus, qui terram, nunc Daniam dictam, occupavit. Hæ vero terræ, quæ ab Asianis incolebantur, id temporis Godlanda, incolæ Godjoda vocati sunt. Hic limites constituti inter provincias a Skjoldo et Ingifreyo, hujus fratre, qui regnum, nunc Svionum dictum, incoluit, occupatas. Odin filiique prudentia, artis magicæ peritia, formæ pulcritudine et magnitudine virium excellebant. Multi quoque alii eodem genere orti variarum rerum præstantia excelluerunt, quorum nonnullos sacrificiis et divino cultu venerari, deosque suos appellare homines cœperunt. Skjoldus erat vir celeberrimus, amplumque regnum sub sua potestate habuit; ejus imperium annonæ ubertate et pacis otio floruit. Filium habuit, nomine Leivum; nam ei regnum bonaque mobilia moriens reliquit (*leifði*). Quo imperante quum pax tam bona esset, ut nullum in regno ejus homicidium fieret, eam ob causam dictus est Fridleivus; idem sapientia excellebat. Ejus filius fuit Frodius, qui tam prudens totque rerum gnarus erat, ut quicunque multarum rerum scientiam habeat, ex ejus nomine *fróðr* appelletur. Imperante Frodio cives internæ pacis adeo observantes erant, ut nemo vellet hominem occidere, etsi in patris fratrisque percussorem vinctum incideret. Tum rapinæ furtaque adeo in desvetudinem abiere,

ut annulus aureus multos per annos in via publica saltus Jalangensis (intactus) jaceret. Est existimatio hominum, quo tempore pax Frodiana viguerit, eo tempore Romæ fuisse imperatorem Augustum, qui toti terrarum orbi pacem reddidit; tunc Christus natus est. Frodio Pacifico regnante tam lætus erat frugum proventus, ut agri nullo serente crescerent, neque opus esset, ut rebus ad tolerandam hiemem necessariis prospiceretur. Tunc in terra omnia metallorum genera reperta. Accidit aliquo anno, quum Frodius annis provectus esset, ut ingentes cœli fragores et fulgura animadverterentur. Tum sol medio cœlo e conspectu ablatus est; terra contremuit, ut montes sede sua moverentur, novique e terra emergerent; omniaque vaticinia perturbata sunt.

10. Hinc orientem versus in Asiam, indeque occidentem versus nos conferentes, quomodo terræ primum fuerint inhabitatæ, docebimus. Ægyptum primus incoluit Mizraimus, filius Chami Noæ filii. Ab regione Indiæ in septemtrionem versa est terra Amazonum, in qua nullus vir est; unde apparet, feminas duplicibus gaudere genitalibus. Prope inde Albania est, cujus incolæ nivis instar candidi nascuntur, ætate provecta nigrescunt; ibidem canes sunt tam magni et robusti, ut et bobus et leonibus necem inferant. Præterea in Asia terra Parthica sita est, quam Assur, filius Semi Noidæ, incoluit. Ibidem Persarum terra, ubi Elimus, alter Semi filius, incoluit. In triente Asiatico in universum sunt regna principalia quadringenta sex, linguæ septem et viginti.

11. In Europa ad orientem proxima Scythia, nobis Svethia Magna dicta, sita est; quibus locis Philippus apostolus religionem christianam annuntiavit. Gardorum regnum, ubi Palteskia et

Kænugardi, primus incolis frequentavit Magogus, filius Japheti Noidæ; ibidem et Kurlandia et Carelia, Samlandia et Ermlandia. Vindlandia occidenti proxima est Daniæque contigua. Ab regione Poloniæ in orientem versa Reidgothia (Gothia Campestris) sita est, quam excipit Hunalandia (Hunnorum regio). Saxonia sive Germania hodie Saxlandia (Saxonum terra) vocatur; quam inter et Græciam fluvius ille magnus, Danubius, intermeat. Thracia una et eadem est atque Græcia; illam primus incoluit Tiras, filius Japheti Noidæ, a quo gens, Tyrki (Thraces) appellata, descendit. Prope Thraciam sita est Ungaria et Bulgaria. Mons in Græcia situs est, Olympus dictus, qui nubes altitudine superat; ibidem lapis invenitur, asbestos dictus, qui semel calefactus non refrigescit. A regione Græciæ in occidentem versa Apulia sita est; hic est oppidum Barium, ubi Nicolaus quiescit, et Mons Cassini, ubi abbas Benedictus colitur; ibidem antrum Michaelis. Italiæ adjacet Longobardia, ubi magnus ille Augustinus quiescit, a rege Lidbrando (Luithprando) ex insula Sardinia eo deportatus. A regione Apuliæ in occidentem versa sita est Campania. Inde versus occidentem terræ Hispanicæ sunt, quibus adjacet insula Gades dicta. Huc pertinet Europa, inde vero initium capit Africa.

12. Proxime regiones Africæ recensebimus. Prima est Serklandia (Saracenorum terra), quam primo orti a Chamo Noida incoluerunt. Quo loco observandum est, multas terras duplici nomine gaudere, ut Serklandia et Chaldæa. Arabiam, quam Rabitalandiam (Arabum terram) vocamus, Cananus Chami filius primus incoluit. In Arabum terra mons est, Sina dictus, in quo Deus Moisi leges, postea dictas Mosaicas, dedit.

Carthago urbs vocatur totius Africæ excellentissima. In Numidia est oppidum, Hippo dictum, ubi magnus ille Augustinus vixit. In Gætulia gens est, veneno inviolabilis.

13. Ad Europam regressi inde, unde digressi ad tempus sumus, incipiemus. Hercules, qui orbis terrarum lustrandi gratia multa loca obiit, in insulam, antea nominatam, quæ Gades dicitur, delatus, se ad extrema mundi pervenisse ratus est; itaque duas ibi columnas eduxit, ultimæ peregrinationis suæ indices, quæ columnæ Herculis dicuntur; quæ etiam nunc ibidem perstant. In Hispania sita est Gallicia, ubi apostolus Jacobus, frater Johannis, quiescit. Vallandiæ (Gallorum terræ, Galliæ) proxima est Flæmingia (Flandria), huic proxima Frislandia (Frisonum terra, Frisia). Mons Mundiæ (Alpes montes) a sinu Venetiano ad orientem in Hispaniam usque ad occidentem porrigitur. Saxoniæ adjacet Holsatia, huic proxima Dania. Brutus nomen fuit viro, quo ab Ænea, Trojanis oriundo, quartus fuit; idem, mutato Bruti nomine, Britto vocatus est, a quo denominata Brittannia, quæ nunc Anglia, olim Bretlandia (Bretonum terra) dicta est. In Anglia urbs Londinum est. Prope Hiberniam sunt Hebudes, ex quibus decem habitatæ sunt. Ex Orcadibus quinque et viginti habitatæ; his sedes episcopalis est loco, qui Kirkjuvogus dicitur, ubi sanctus Magnus dynasta quiescit. Hjaltlandia (Hjaltorum terra, insulæ Shetlandicæ), Orcadibus proxima, archidiaconum habet. Haud procul inde absunt Færoæ, numero duodeviginti; ibi sedes episcopalis est loco, qui Kirkjubæus dicitur.

ALTERUM FRAGMENTUM.

1. In historia Hamburgensi, cujus libri auctor se pleraque de rebus Danicis et Svecicis secundum relationem Sveinis Ulvi filii conscripsisse fatetur, memoriæ proditum est, imperatorem Ottonem Rufum, omnibus provinciis, quæ post mortem imperatoris Caroli Magni desciverant, receptis et sub imperium redactis, duodecimo imperii sui anno exercitum adversus Danos duxisse. Qui quum septemtrionem versus profectus, Slesvicum prætervectus esset, quo loco regnum Daniæ incepit secundum divisionem terrarum, pace inter patrem Henricum imperatorem et regem Gormum Grandævum facta constitutam, quacunque isset, regnum igne ferroque vastavit, usque eo donec pervenit in locum, postea fretum Ottonis dictum. Inde meridiem versus reversus quum Slesvicum venisset, occurrit ei Haraldus Gormi filius, qui, commisso cum eo prœlio, victus ad naves refugit, quo facto se in potestatem imperatoris dedidit. Ab imperatore in regnum restitutus, se baptismum admissurum, totamque Daniam christianam redditurum pollicitus est. Igitur rex Haraldus baptizatus est unacum conjuge sua, regina Gunnilda, filioque juvene, cui imperator patrini officium præstitit, Sveinemque Ottonem nominavit. Tum Jotia in tres diœceses divisa, Adaldagus, archiepiscopus Bremensis, tres episcopos, institutis cathedris episcopalibus præficiendos, inauguravit, Haraldum Slesvicensi, Leivdagum Ripensi, Reginbrandum Arusiensi. Rex Haraldus Cærulidens religionem, quoad vixit, constanter coluit.

2. Idem liber memorat, regem Haraldum filium suum, nomine Ringum, cum exercitu in

Angliam misisse; hanc enim Dani jam per annos centum, ex quo Gudrodus insulam[1] subegerat, perpetua ditione tenuerant. Ringus, quum insulam[2] in potestatem redegisset, insidiis circumventus et a Northumbris occisus est. Ibidem Hakon [Norvegiæ princeps[3], qui antea expulsus erat, ab rege Haraldo in regnum[4] restitutus et in gratiam cum hominibus christianis reductus esse memoratur. Quum vero rex Haraldus senescere cœpisset, Svein filius patrem regno spoliare cupivit, adjutus a principibus, quos Haraldus ad religionem christianam amplectendam coegerat. Qui, abjecta religione christiana, Sveinem regem sumserunt, regemque Haraldum prœlio adorti sunt. Rex Haraldus prœlium cum filio suo invitus, ut David cum Absalone, commisit. Ex quo prœlio rex Haraldus in Vindlandiam saucius profugit, et festo omnium Sanctorum prope Jomsburgum mortuus est. Cujus funus Roiskeldam deportatum, et in æde Christo sacra, quam ipse ædificandam curaverat, sepultum. Ille quinquaginta annos rex fuit.

3. Mortuo rege Haraldo Cærulidente, Svein filius ejus regnum accepit. Religionem christianam male observavit; bis a Vendis captus, ingentique pecuniæ summa redemtus est. Postea Eirikus Victoriosus, Svionum rex, magno cum exercitu in Daniam profectus, multa cum Sveine prœlia navalia commisit, eo exitu, ut, accisis Danorum opibus, Svein patria profugus primo in Norvegiam cedere cogeretur. A Norvegis repulsus inde in Angliam profectus est. Quem quum ea terra commorari nollet Adalradus rex, ob perpetuas iis locis populationes a Danis factas, cedens in Scotiam, ab rege Scotorum libe-

[1]) Angliam, *F.* [2]) terram, *F.* [3]) dynasta, idolorum cultor, *F.*
[4]) Norvegiæ, *add. F.*

raliter exceptus est, ubi ad mortem Eiriki regis se continebat. Rex Svein Ulvi filius sic dixit, avunculum suum, quod verum Deum a patre suo religiose cultum rejecisset, meritas pœnas dedisse.

4. Jam rex Eirikus et Sveciæ et Daniæ imperavit, ethnicæ religioni addictus christianisque hominibus inimicus. Eodem libro scriptum reperitur, imperatorem Ottonem, ejus nominis tertium, bellum Daniæ intulisse et victoriam ex Eiriko reportasse. Id autem exacte proditum est, imperatorem et archiepiscopum Bremensem ad regem Eirikum misisse Papponem, episcopum Slesvicensem, qui ei religionem christianam annuntiaret, [postulasseque, ut quod obsequium Haraldus Gormi filius Ottoni superiori præstitisset, idem sibi imperatori præstaret[1]. Rex Eirikus ab episcopo petiit, ut, quid deus ejus efficere posset, documento aliquo monstraret. Tum episcopus candens ferrum manu gestavit, manumque igni intactam regi monstravit; atque, ut ethnicis omnem dubitationem eximeret, tunicam suam cerandam curavit, quam quum induisset, ignem admoveri jussit, tunicaque ambusta incolumis stetit. Quo facto rex Eirikus multaque hominum millia baptizari se fecerunt. Tum quoque homines in Sveciam ad annuntiandam religionem christianam missi. Rex vero Svein Ulvi filius sic dicit, regem Eirikum religionem christianam rejecisse, ethnicaque religione recepta mortuum esse. Putamus, Hakonem dynastam huic bello interfuisse et adversus Ottonem imperatorem pugnasse, quemadmodum in Vellekla memoriæ proditum est, regique Eiriko, amico aut genero[2] suo, auxilium tulisse.

5. Mortuo rege Eiriko, Olavus filius ejus

[1]) *omitt. F.* [2]) vide Fornms. 10, 220.

regnum Sveciæ accepit, Svein in imperium Daniæ restitutus est. Tum intelligens Svein, Deum sibi iratum esse, se ad christianismum conversurum, populoque veram religionem imperaturum vovit. Quo facto rex Olavus et rex Svein pacem inter se fecerunt, eis conditionibus, ut rex Svein regnum suum retineret, matremque regis Olavi, Sigridam Facinorosam, in matrimonium duceret; deinde suas utrique terras ad religionem christianam converterent. Regibus prorsus inter se in gratiam reconciliatis, regina Sigrida Facinorosa hortata est, ut Olavum Tryggvii, regem Norvegorum, a Danis[1] Gracilipedem dictum, insidiis circumvenirent[2]. Et aliquanto post acerrimum cum eo prœlium in partibus meridianis prope Vindlandiam commiserunt, eoque loco Olavus Norvegiæ rex, ex Danorum compluriumque aliorum relatione[3], cecidit. Quo facto tres illi principes, Olavus Svecus, rex Svein et Eirikus dynasta Hakonis filius, Norvegiam inter se partiti sunt.

[1]) Gracilicrus sive, *add. F.* [2]) regno spoliarent, *F.* [3]) quam postea commenti sunt, *add. F.*

PARTICULA HISTORICA
DE
HAKONE HAREKI FILIO.

1. In Vika, orientali parte imperii regis Norvegici, potens quidam colonus, nomine Harekus, habitavit, tam affluens divitiis, ut, præter villam primariam, quam ipse incolebat, duodecim prædia possideret. Tantam mercaturam mari faciebat, ut ejus naves in omnes regiones maris Baltici, in Germaniam, Flandriam et Angliam negotiandi caussa commearent. Neque minor erat rerum pretiosarum et pecuniæ numeratæ affluentia. Quotannis tria splendidissima convivia celebravit, festo jolensi, media hieme, festo paschali. Sua liberalitate tantam sibi gratiam conciliarat, ut ab omnibus pagis collaudaretur. Unum habuit filium, nomine Hakonem, bonæ spei et indolis adolescentem. Interea appropinquante tempore, quo Hakon colonus ad majores suos (e vita) decederet, unico filio omnem divitiarum affluentiam moriens reliquit. Quumque Hakon hereditatem adiisset, hortantibus cognatis, uxorem ducit, eximiamque conditionem amplo genere ortam consequitur. Quorum nuptiis celebratis, materfamilias brevi animadvertit, mariti rationem puerorum esse valde consimilem; eadem enim, qua pater, magnificentia uti voluit, etsi eum rerum parandarum strenuitas et solertia deficeret: nam Hakon magis ludicra et voluptates, quotidianis epulis et compotationibus agitandis, sectabatur, quam acquirendæ servandæque pecuniæ dexteritatem. Igitur materfamilias, quæ esset et ætate matura et in re familiari diligens, colloquio eum adiens quærit, quid

facere instituat: neque enim fortunæ tuæ ferunt, etsi multis adminiculis fulciantur, ut utraque manu rem effundas, omnem procurationem rei familiaris negligas; qua re auctor sum, ut tria illa splendidissima convivia agitare omittas, quorum more patris tui celebrandorum officium tibi minime incumbere existimo. Verum etsi hæc loqueretur, tamen ille dicta ejus surdis auribus accepit, se animum inducere posse negans adeo degenerare, ut paternæ magnificentiæ consuetudinem deponeret. Res tuo arbitratu fiat, inquit ea, ego vero anno vertente aperiam tibi, quantum profuderis, animum enim adtendam. Ille idem facere perseverat, multorum amicitias lucrans; bona sua ita profudit, ut famam vicissim consequeretur. Elapso anno quærit materfamilias, quid cogitet de rebus suis. Illo se parum ei rei animum advertere significante: at ego tibi referre habeo, inquit, quod omnia navigia cum mercibus, quæ tibi pater moriens reliquit, adeo sunt dilapsa, ut ne unius quidem navis intersealmium tuis usibus reservetur. At ille nihil dum difficultatis objici testatus est. Interea alter annus labitur. Tum ei materfamilias significat, omnia illa duodecim prædia dilapidata et devorata esse, necessitatemque postulare, ut, quamvis sero, conviviis modus statuatur. Hakon rem adhuc satis bene processuram adserit: nobis enim, inquit, immensa est pecuniæ vis, constans rebus pretiosis ac cimeliis, tam dotalibus quam hereditate acceptis. Cui materfamilias: quod si idem facere perges, omnia bona anno vertente consumta erunt. Hakon, munificentiæ consvetudine non omissa, ubi adfuit tempus, quo convivii paschalis adparatus fierent, uxori significat, velle se has epulas summa magnificentia fieri, neque ulli rei, quo adornentur magis, parci. Materfa-

milias, etsi hæc molestius ferret, tamen amore, quo eum prosequebatur, adducta votis mariti obsequitur. Quod convivium, quanta nunquam antea, frequentia convivarum celebratum, tantoque studio agitatum est, ut discursantium strepitu omnia resonarent. Ultima convivii vespera, quum postridie mane a convivio discedendum esset, in multam noctem potatum est; et finita tandem compotatione convivæ mero inebriati cubitum iverunt. Hakon in lecto clauso dormiebat. Quum conjuges lectum conscendissent, maritus uxori: meruisti, inquit, dulcissima conjux, ut te cum vero amore blandis verbis alloquar, quæ mihi tam facile obsequium et indulgentiam in nostro convictu exhibueris; quum ego contra molestias tibi exhibeam, primum quod meo solius arbitratu vixerim, deindeque insuper hoc, quod vel magis tuum cognatorumque meorum et coalumnorum animum sollicitum habebit: nimirum, quum nullo pacto adduci possim, ut in hac patria mea degam, eo descendam, ut hac ipsa nocte solus clam aufugiam, quæ me sors mansura sit, Dei arbitrio permittens. Sed duo sunt, quæ abs te petam: unum, ut claustra lecti mane crastino serius reseres, nam eo longius spatium elabendi quæsito erit; alterum, ut me exspectes ea fide, quam tibi ipsi præstari velis. His dictis illa vehementer et acerbe flevit. Postquam lacrimis oscula intermiscuerant, media fere nocte digrediuntur; ille suspenso gradu e villa exit, se protinus in siluam prope sitam confert, usque ad lucem ire perseverat, deindeque sese occultat.

2. Sed ad villam revertendum. Famuli multique colonorum ante lectum Hakonis in multam lucem præstolabantur, matrefamilias silentium observante. Interim mussant inter se, Hakonem haud dubie adhuc dormire, longa vigilia

nocturna fatigatum. Quum vero eis, qui jentaculum sumere deindeque avehi statuissent, res omnes modi terminos excedere visa esset, fores lecti pulsantes quærunt, quid rei sit. Ea „satin salvæ" requirente, dicunt tempus esse, ut paterfamilias vestibus se induat. Quem ibi non adesse, quum ea declarasset, hypogæum omniaque conclavia, in quibus esse putaretur, explorata sunt. Qui quum intra villam non inveniretur, hæcce solennia in dolorem ac fletum mutari; tumultuatum et ultro citroque in omnes villæ partes cursatum est, ad mediam usque diem aut longius; ex qua re multi tantum cepere dolorem, ut sero levaretur. Jam ad Hakonem redeundum. Is iter orientem versus ad regni fines vertit, fortuna ita ferente, ut obscura caligine tectus lateret. Tandem alicujus diei mane e silua et caligine emergens, in promontorio quodam in mare excurrenti se constitutum animadvertit, brevique interjecta mora stlatam aliquam, navem ingentis magnitudinis, in eandem stationem appellere conspicatur. Quum nautæ vela demisissent, Hakon eos inclamans rogat, ut se in navem deportent. Quo impetrato, navarchum adit. Hic, cui Gyrdo nomen, vir Danus erat, unus ex aulicis regis Sveinis Ulvidæ, tunc temporis Daniæ imperantis; is cum mercimoniis regiis in Angliam mercandi caussa profectus, onustam ducens navim jam redierat. Hakon, quum, mutato nomine, se Vigfusem vocari dixisset, vecturam sibi viaticumque, donec regem Danorum conveniat, a præfecto navis paciscitur; se Norvegum esse, rerum inopem, sed honesto loco natum; animo præsagire, si quid commodi fortunæ beneficio accepturus sit, id ab rege Danorum consecuturum. Qui quum speciem præ se ferret viri operam strenue navaturi, Danique

liberalitatem ac benignitatem regis cognoscerent, voto potitus est. Paulo post commodum ventum nacti, in Selandiam, ubi regem Danorum versari cognoscunt, navigant; et, ut primum facultas erat, Gyrdus una cum Vigfuse Norvego ad regem proficiscitur. Ad oppidum delati, quo tempore rex mensis accumbebat, eum adeunt. Rex Gyrdum comissime exceptum de profectione Anglicana percontatur; quam ille feliciter cessisse ostendit. Qua de re quum collocuti essent, rex interrogat, quis juvenis ille vir sit. Vigfus, edito nomine suo, regem, ut aliquo modo rebus suis prospiciat, orat. Quærente rege, quid ad dandam regibus operam afferret, an fabricæ alicujus artisve peritus esset? ille se nullius artis peritia, qua regibus operam daret, præditum esse fassus est: nisi quod animo præsagio, inquit, me ad secundam fortunam apud te perventurum. Quo difficiliorem sibi rem expeditu fore rex significavit.

3. Dein rex arcessito præstantissimo, qui in domibus regiis erat, fabro ferrario sic loquitur: adest vir quidam juvenis, quem receptum fabrica ferraria, modo percipere possit, instituito; cura, ut bene eum habeas, neu ei invideas, etsi Deus ei intelligentiam suggerat, quod fore magnam spem habeo. Quum faber se regis voluntati obsecuturum ostendisset, ambo se ad fabricam ferream conferunt. Ut rem paucis expediam, tiro noster, ingenii bonitate adjutus, tantum profecit, ut post sex menses par magistro esset; procedente vero anno tantos fecit progressus, ut ferri fabricandi peritia omnes Daniæ artifices superaret. Elapso anno ambo regem adeunt; vetus faber, quo loco res sit, docet. Cui rex gratiis benigne actis, fabrum argentarium advocat, ejusque curæ Vigfusem commendat. Quam

artem celerius, quam illam superiorem, arripuit, adeo ut magister sex mensibus elapsis fateri cogeretur, se nihil habere, quod eum doceret, idemque regi significaret. Itaque rex Vigfusem tertio magistro, aurifici, tradit, ut cælaturam, artem gemmas auro includendi et encausticen addisceret. Qui magister, elapsis octo mensibus, regem adit, se huic homini amplius instituendo non sufficere fassus; neminem unquam tam sollertem et ingeniosum ad opera metallica elaboranda vidisse; putare, cuicunque arti operam dedisset, eam præ ceteris hominibus percepturum. Qua re lætatus rex Vigfusem quarto magistro, lapicidæ, instituendum tradit, ut lapides secare, coagmentare et ponere secundum regulas cæmentariorum disceret. Quam artem anno vertente arripuerat, eodem quo in ceteris successu, adeo ut ceteros artifices celeritate et operum pulcritudine superaret. Jam exacto tirocinii tempore, jussu regis artificiosa cimelia, quæ rex civitati ornamento esse vellet, ferro elaborare adgreditur. In eo studio annum consumsit. Rex, gratiis pro labore actis, mercedem obfert. At Vigfus se regiæ fortunæ acceptum referre ait, quod ullius rei peritiam habeat, seque mercedem non merere fatetur. Demirante rege, quod nulla mercede opus facere vellet, Vigfus: haud sic erit, inquit, optabo quod mihi pulcherrimum videtur, mihique maximo commodo futurum; oro, ut mihi aliquod salutare consilium des. Rex contra: tu vero mirus mihi videris, qui pecunias recuses, [talia vero petas; age vero, quis te docuit, me præsagum esse aut sapientem? Vigfus respondit, seque in semetipso expertum esse dixit, eum et sapientem et præsagum esse. Ad extremum rex: meum igitur consilium est, ut homini humili statura rubraque

barba fidem nunquam habeas. Vigfus pro hoc consilio, veluti præstantissimo munere, gratias agit. Altero anno opera ex auro resque pretiosas tam raro artificio, ut omnibus admirationi essent, regi fabricare adgreditur[1]. Quo elapso anno Vigfus ac rex eodem, quo ante dictum, modo colloquium instituunt, rege mercedem offerente, Vigfuse salutare consilium iterum optante. Quumque rem diutius inter se tractassent, tandem victus rex ita loquitur: quotcunque te negotiorum multitudo occupatum teneat, cave, ne, intra ædem sacram constitutus, nisi peracta re divina excedas. Vigfus, gratiis pro hoc salutari consilio actis, proximo anno opus cæmentitium faciendum suscipit, regique Danorum tam splendidum palatium ædificat, ut aliud pari pulcritudine ea in terra conspectum nunquam fuerit.

4. Quo ædificato palatio rex ac Vigfus vere proxime insequenti conveniunt, quo tempore homines se ad itinera mercatoria comparare inceperunt. Rex, actis etiam nunc pro labore gratiis, quærit, quænam remuneratio animo ejus maxime arrideat. Cui Vigfus: salutaris consilii, o rex, inquit. Hic rex Svein: qui unus idemque homo ita comparatus esse potest, ut una ex parte magnæ prudentiæ et excellentis ingenii sit, ex altera parte sui tam negligens, ut in contumeliam trahere facile possemus? Interim res tuo arbitratu fiet. Hoc tibi consilii damus, si cui tantopere irascaris, ut ejus interficiendi cupiditate flagres, uti Deum in memoria habeas, sacramque precationem, „Pater noster", in nomine Dei Patris recites. Quod si non eo magis ira defervescat, iterum „Pater noster" in nomine Dei Filii recitato. Et si ne sic quidem remiserit,

[1]) *loco eorum, quæ signo [inclusa sunt, Sa habet:* ea vero sollertia gaudeas, quæ omnium in se admirationem convertat.

tertium „Pater noster" in memoriam Spiritus Sancti recites. Quo facto si te ejusdem facinoris patrandi cupiditas etiam tum teneat, patrabis, nisi Deus prohibeat et aliquid solatii adferat. Vigfus, actis pro more gratiis pro salutari hocce consilio, quærit, quid sibi porro faciendum esset. Rex præcepit, ut aliquantum temporis secum deambularet. Igitur rex ex oppido ad pontes descendit. Hic navis mercatoria aquis innatavit, ita onusta, ut salo sese committere posset, velata tentoriis et omnino parata. Hic rex: tua, Vigfus, opera magni pretii est, etsi parvo remuneremur; hanc navem mercatoriam, itineri in Angliam omnino paratam, habeto. Nam e re tua fore duximus, ut hac nave in Angliam trajicias ibique te hiemem proxime insequentem contineas; ibi enim offeretur quæstus faciendi occasio, si te rex Angliæ, quod fore auguror, ad fabricandum conduxerit, nam quæ in Anglia sunt palatia vetusteseunt. Merces ex præscripto nostro colloca, easque cum lucro divende; nam et status rerum Anglicarum negotiantibus commodus est, neque onus mercatoriæ spem tuam frustrabitur. Nautæ tui tuo quidem arbitrio et potestati subsunt, sed quum expediat, ubi eo quo contendas perveneris, horum alendorum sumtu liberari, suaserim, ut eis aliquam onerariam des, qua huc revehantur; neque enim tibi deerunt nautæ, si in Norvegiam, ad revisendam patriam, proficisci volueris, quod te facturum vero simile existimamus. Vigfus regi pro collatis in se beneficiis gratias persolvit, primo quod se instituendum curasset, deinde, quod se fructuoso munere donasset, postremo, quod se utilibus consiliis instruxisset; quæ beneficia laudes ejus ante omnes reges celebrando se remuneraturum adseruit.

5. Dein venia abeundi a rege impetrata, navem conscendit, et extemplo in altum vela dat, salvisque rebus et incolumis in Angliam, quo contenderat, pervenit. Omnia, quæ præceperat Danorum rex, exsequitur: nautas remittit, merces in terram exponit; quarum singulæ lectissimæ erant, talesque, quæ maximo cum lucro permutari in Anglia possent. Neque post multo a rege est arcessitus; brevi enim ad regem allatum fuit, quantum in quovis artificio excelleret. Ut vero convenerunt, rex interrogat, an aliquod opus facere vellet; habere se vetustum palatium destruendum. Cui Vigfus: nonne id consilii dedit rex Danorum, ut hieme proxime insequenti operis quod mihi injunctum fuerit, et quantum potero absolvere, faciam? Sed propter temporis angustias factum est, ut palatii ædificandi labor duobus artificibus a rege injungeretur, quorum alter erat Anglus, alter Vigfus; ex quibus suum uterque latus ædificii cum constitutis operis educeret: rex enim, uter in ædificando majorem dexteritatem aut celeritatem ostenderet, cognoscere voluit; adminicula autem ædificandi ita rege administrante partita inter utrumque sunt, ut artifex Anglicus duodecim, Vigfus septem administros haberet. Procedunt ad opus, fundamenta ponunt, ædificium inchoant. Anglo id negotii insuper mandatum, ut ad locum, ubi saxa eligebantur, advectus, quos quisque secaret fingeretque lapides, præciperet. Interea procedit opus. Rex magno opere mirari, Vigfusi, quamvis paucioribus operis adjuto, opus majori celeritate succedere; sollicitum habuit, artificem ab Anglis vocatum ab extero vinci, quam curam cogitando amplificavit; nam insuper fama fuit, hanc operis partem non magis faciendi celeritate quam venustate elaborandi præstare.

6. Accidit aliquo vespere, quum fabri opus diurnum absolvissent, ut rex artificem Anglum arcessitum vehementer increparet, quod ab homine Dano artis peritia vinceretur, unde futurum, ut nominis celebritatem amitteret, nunquam ut postea recuperari posset. Ad hæc Anglus: haud præter opinionem accidit, domine, ita tibi videri; qua re, quæ hucusque ignorasti, enuntiare cogor, etsi animus refugit eloqui: nam quod attinet ad Danum huncce hominem, hujus opus eis adjumentis, quibus uti frugi hominem nefas, et processum et nitorem debet. Notum est sociis meis, postquam parietem eo ipso temporis momento, quo se domum vesperi contulit homo, mensi eramus et delineaveramus, multo fuisse mane crastino insequenti altiorem; quam ob rem æmulari cum homine, mearum virium non est. Rege de rei veritate dubitante, Anglus hortatur, ut socios advocari jubeat, horumque præsentium testimonia audiat. Ut venerunt, de hac re interrogati, se juraturos affirmant, singula verba opificis hac de re vera esse; et factum est, ut manu sacro codici imposita jurarent, Vigfusem veneficum esse. Qui quum dicto jure jurando exiissent, rex cum Anglo artifice, quænam ineunda ratio sit, consilia confert, dicens, minime jucundum esse, ædificium tam exsecrabile capiti suo imminere, nescienti, quid adjunctum periculi habeat: quo modo autem hunc e medio tollemus, ut sine nostra vituperatione fiat? neque enim hic vir, qui tantam apud Danos gloriam consecutus sit, jure cæsus existimabitur, si eum nulla alia de causa, quam propter structuram ædificii, interficiendum curamus. Ad quæ artifex: habeo consilium, inquit; nimirum nunc statim manicam tuam mihi trade, adjuncto ad Vigfusem mandato, te artificii ejus præstantiam ma-

gno opere laudare, eique ab hoc tempore curam administrandi et instituendi operis demandare, missaque tesseræ loco manica præcipere, ut primo mane crastino ante ortum solis ad servos devectus, quo sim antea functus negotium administret. Quo mandato tuo ad eum perlato, ipse ad servos devectus, ejus primo mane crastino adventum eis prænuntiabo, tuamque adhæc voluntatem, ut eum igni comburant, quamcunque formam arte sua magica adsumserit. Quo consilio a rege probato, artifex discessit, manicamque unacum singulis mandatis antea memoratis ad Vigfusem pertulit; comparatis extemplo equis, in siluam devectus, servis præcipit, ut opificem Danum proximo mane crastino, quacunque sub specie occurrentem, comburant. Hic Vigfus salutari illi consilio, primum a rege Sveine dato, ne homini humili statura barbaque rubra crederet, quod in hunc nuntium cadebat, animum advertere cœpit; hoc enim utrumque in artificem congruebat, qui et humili statura et rubra barba fuit. Hinc tanta affectus est animi sollicitudine, ut totam noctem insomnem duceret, quum infixa animo ejus esset consilii observandi cogitatio, altera vero ex parte periculosum videretur, regis imperio non parere. Id tandem consilii cepit, ut se statim circa horam diei tertiam antemeridianam equo vectus in viam daret. Cœlo sub ortum solis rubente, ad vicum aliquem bellulum forte devenit, quem recta per plateam via ingressus, ab altera parte propter murum audit missam pulsata campana significari. Igitur devertit ad sacellum, equo descendit, ingreditur; circumspiciens animadvertit sacerdotem magno natu, valde hebeti oculorum acie. Qui quum in perorando tardior esset, Vigfus, itineris properandi cupidus, si moraretur, nunquam se, quo

intendisset, perventurum credidit. In mentem quidem ei veniebat alterum utile consilium ab rege Sveine datum, ut missæ operam daret, neque tamen eo magis ibi loci sustinuit: exilit, insilit in equum, iterque suum persequitur. Sed eo ipso momento, quo ex altera parte vici egressurus erat, sacellum aliquod ad ipsam portam situm pulsata campanula resonuit. Itaque equo descendit, cogitans, id quod erat, sublatum panem eucharisticum pulsata campana celebrari; ingreditur et in genua procumbit, quumque corpus Dei (cœna dominica) distribueretur, satisfacere, quod regi Sveini non obtemperasset, cogitans, benedictionem missa finita a sacerdote indicendam, nullo labentis temporis respectu, exspectare statuit. Sic facit. Interea sol, his moris tempus trahentibus, altius in cœlum adscendit. Igitur conscenso equo incitatissime vectus non ante destitit, quam quo contenderat pervenisset.

7. Jam, quid ageret Anglus ille artifex, narrandum. Is spem animo præcipiens, fore ut Vigfus primo mane sequentis diei de medio tollatur, partem noctis insomnem lætabundus ducit; quapropter, simul ut dies illucescere cœpit, equo vectus discedit, quippe quem nullæ missæ usquam morarentur. Devectus in siluam, ut quid gestum sit regi quam exactissime referret, quum in locum pervenisset, a servis circumventus prehensusque, ad rogum, antea subjecto igne vehementer accensum, pertrahitur. Ille clamare et rogare, cur se crucient: Anglus sum regisque amicus, inquiens. Respondent: putasne, venefice execratissime, nos malitiam tuam ignorare, qui quibuscunque libuerit formarum involucris te tegere valeas, quemadmodum Anglus ille vir præcedenti nocte nobis significavit; quapropter ignis

te hauriet. Itaque extemplo eum in rogum protrahunt, ubi malus ille subdolusque homo, qui sibi ipse foveam paravit, in quam justo Dei judicio decidit, in cineres usque combustus est. Interea vero dum servi igni adstantes inter se colloquebantur, ut maleficus iste de medio sublatus esset, Vigfus ad eos advectus, cur otiosi essent, quæsivit. Illi se utilissimum opus matutinum absolvisse testabantur, venefico illo interficiendo, qui præcedenti autumno ex Dania advenisset. Hic Vigfus, suppressa voce, intellexit, quid sibi cogitatum fuisset, utque se vertisset res; intellexit, se missæ beneficio morte liberatum, pœnasque meritum dedisse. Vigfus, ingentibus Deo gratiis tacita mente actis, servis quæ facerent imperat, ipse ad opus suum revehitur. Post eodem die, quum rex more solito ad opus inspiciendum adesset, ea erat dispositio operis, ut Vigfus a sua parte staret, locus ab altera parte adversa vacuus esset. Quod rex admiratus tacuit; ceciderat enim res contra quam opinatus erat. Hic Vigfus infit: Deus melius quam tu, rex, novit, quid rectum verumque sit; tu enim fraude deceptus, innocentem injuste damnasti, ideoque malus homo injuriæ suæ pœnas dedit. Quam ob rem regis Sveinis memoriam grato animo colere debeo, cui regi tu eo magis dissimilis reperieris, quo magis mores tuos experientia detexerit. Hic colloquium eorum abruptum est; rex enim discessit, quod se deliquisse sentiebat. Paulo post Vigfusem comiter allocutus, se, antequam digrederentur, ei satisfacturum pollicetur, quod malorum hominum calumnia et perjurio seductus in eum deliquisset; jamque Vigfusem rogat, ut partem operis ab artifice Anglo exstructam destruat, totumque ædificium ad unam eandemque normam consummet.

Sic Vigfus fecit, palatiumque ante absolvit, quam naves mercatoriæ æstate proxime insequenti ex Anglia solvissent. Quo facto rex ingens convivium Vigfusi, in honorem absoluti palatii, instauravit, Anglis artificium operis magnopere laudantibus. Quo finito convivio, rex Vigfusi duas naves eximiis rebus onustas dedit, veniamque proficiscendi benevolentissime concessit. Igitur Vigfus iter in Norvegiam incipit, navem habens a Sveine datam, insuperque aliam pari magnitudine, quam in Anglia emerat; quam utramque mercibus, quas divenditis illis a rege Danorum donatis lucratus erat, oneravit. Has quatuor naves quo valebat artificio exquisitissime ornavit, inauratos ventorum indices velaque diversis coloribus virgata comparavit.

8. Deinde solutis ex Anglia navibus, secundos ventos nactus, aliquo vespere ad Norvegiam in Vika, quo loco natus educatusque erat, adpellit; navibus in occultum aliquem locum constitutis, scapham cum aliquot viris conscendit, villamque, quam olim reliquerat, tacito remigio advehitur. Solus in terram escendit et villæ succedit. Cujus conditio quum ei displiceret, extemplo gravi ira incensus est; ædes enim multis locis erant refectæ nuperque picatæ, unde sibi persuasit, uxorem, quam in matrimonio habebat, novum maritum adscivisse. Igitur in notas sibi ædes adscendit, domumque circumit quærens, quo loco materfamilias quiesceret; nam cubile clausum, cujus ante facta mentio est, neglectum fuerat. Cœnaculo aliquo conscenso, eo loco lectum aliquem deprehendit, in quo uxorem suam quiescere, virumque formosum in ejus amplexibus hærere animum advertit. Cui quum persuasissimum esset, quod recte opinatus fuisset, animum ejus tam capitale odium occu-

pavit, ut confestim hunc hominem vita spoliare cuperet. Sed, Deo benigne administrante, ei in mentem venit tertium salutare consilium a rege Sveine datum, quod vetuit, ne quem subito cupiditatis instinctu interficeret. Igitur a lecto, quam longissime intra domum potuit, abscessit, ibique, dum precationem dominicam recitaret, consistere cogitavit. Verum ea res non successit; nam, quum precationem recitarat, ira eum prope ad ipsum lectum rapuerat. Ille iterum resilit, apud animum statuens, quantovis labore constet, gratiam vitæ in Anglia servatæ utili consilio observando rependere; sed res eodem atque antea modo cecidit. Quum se tertio abstraxisset, recitata precatione, ad lectum cum destricto gladio retractus, crines juvenis, qui ulterius in lecto cubuit, apprehendit, caputque in spondam proripere cogitavit. Hoc adpulsu somno excitata materfamilias, quum quid rei esset continuo intelligeret, exclamat: filius noster, mi Hakon! inquiens. Ille gladium abjicit, Deum sibi propitium precatus. Quorum congressio adeo exoptabilis extitit, ut verbis describi haud facile possit; nam beneficium divinitus concessum eos et animi et corporis voluptate perfundebat. Illa retulit, se, quo tempore digressi fuissent, hunc puerum in utero gestasse; ex avi nomine Harekum vocari. Dein inter se de alterius successibus et vitæ cursu percontabantur. Ea significavit, cognatos et sodales ejus tantam sibi humanitatem exhibuisse, ut, ex quo domo profectus esset, omnium rerum copia, tam ad victum comparandum, quam ad reficiendas ædes, abundaverit. Ille primam orientem lucem sui reducis splendorem oculis ejus subjecturam ostendit. Inde digrediuntur. Ille reversus ad naves, classem in spatium apertum evehi jubet. Mane

sequentis diei, quum sol montes collustraret, serenam auram nactus terræ adlabitur. Cujus adnavigantis splendor tantus erat, ut nemo esset, quin ad eum videndum prodiret, multique regem aliquem velis advehi putarent. Sic ad terram adnavigat, vela demittit, ancoras jacit, pontes in terram exponit. Tum incolæ agnoverunt, Hakonem adesse; quo cognito omnis circumjectus pagus gratulantium vocibus resonabat, ibidemque eodem die splendidissimum convivium instructum est, in quo ille de profectionibus suis exposuit, cognatisque et amicis pro singulari eorum fidelitate grates persolvit. Quid narrationem de hoc viro longius extendimus? nam ab eo inde tempore per totam reliquam vitam dignitatem suam retinuit, tantam ex congressu Danorum regis prosperitatem et prudentiam cum fabricandi dexteritate et excellenti artis peritia consecutus, ut facultates ejus exinde nunquam interire possent; quin omnia prædia, prodigalitate et negligentia antea amissa, redemit, deindeque omnium rerum copia abundavit. De quo plura referre non habemus. Sic hæc narratio de Hakone Norvego concluditur.

DE AVARITIA ARCHIEPISCOPI ABSALONIS ET DE COLONO QUODAM.

Memoriæ proditum est, archiepiscopum quendam, nomine Absalonem, Lundi, celebri Daniæ oppido, vixisse, virum memorabilem multisque nominibus excellentem, sed pecuniæ cupidum, quod hac narratione demonstrabitur. Is monasterium nigrorum monachorum bonis patrimonii sui condiderat et amplificaverat, amplis reditibus ditaverat, splendidisque cubiculis ornaverat[1]. Porro memorandum est, agrum quendam eximium, rem sui generis præstantissimam, ad templum Lundense pertinuisse, cujus dimidia pars templi peculium erat, partem dimidiam colonus quidam possidebat; qui ager optimas fruges ferebat. Episcopus partem agri, quæ coloni erat, sæpius venalem a colono poposcit, ipsi multo commodiorem esse dicens aut pecuniam aut prædium, cujus tota merces ad eum solum rediret. Verum ea consuetudo obtinuit, ut fruges quotannis inter templum et colonum mensura dividerentur, damno lucrove inter utrumque pro agri sterilitate vel fertilitate communicatis. Sed quoties episcopus venalem poposcit agrum, toties colonus se venditurum negavit, dicens hanc vetustam esse majorum suorum possessionem, quam idcirco alienare nollet. Qua re penitus tentata, episcopus, magnam induens animi ferociam, aliquo tempore, quum inter se colloquerentur, negavit sanctam ecclesiam ab eo inde tempore ullam rem[2] cum eo communicaturam, sed agrum die constituta, et soli et proventus habita ratione, dividendum

---

[1]) Quod monasterium *Saram* (i. e. *Soram*) appellavit, haud prope sedem archiepiscopalem, quæ Lundi est, situm, sed magnum unius diei iter distans, *add. B.* [2]) rationem aut mensuram, *B.*

esse. Colonus, cui communitas in dies magis fieri incommoda videretur, conditionem probat. Interea procedit tempus, donec uterque ad divisionem agri convenirent; quod accidit tempore æstivo, quo tempore ager lætissimam speciem reddebat, avaroque homini summo opere exoptabilis videbatur. Episcopus eam institui rationem dividendi agri voluit, ut funis per transversum agrum[1] ductaretur, nemini, nisi sibi soli, committens, ut funem ex altera parte contra colonum teneret. Quum vero [funis, solo inter terræ convexa depressiore, ima peteret[2], neque discerni clare aut evidenter posset, [qua se[3] per transversum agrum ferret[3], archiepiscopus exclamans: fortius intende funem, colone, inquit. Quod colonus facere cogitans, quod talis funis, uti notum est, contentiori attractione, ut corrigatur, egeat, quum ex adverso retineri sine remissione funem existimaret, viribus connisus, funem vehementius attrahit. Sed res aliter cecidit, nam archiepiscopus retracto fune lapsans, pronus cecidit, et quidem tam incommode, ut objectum cadenti saxum, quod solo immotum hærebat, sanguinem eliceret: quo facto ille surgit, funem abjicit, declarat, agrum satis divisum esse, quum ipse dolo malo læsus sit. Quid multa? res tanto rigore acta est, ut colonus, facinoris nocendi animo patrati vulnerisque illati reus, interdicto domini papæ obnoxius declararetur; quod interdictum per totam provinciam archiepiscopalem promulgaretur, nisi se sententiæ sanctæ ecclesiæ et decisioni archiepiscopi submitteret. Res eum exitum habuit, ut colonus se submittere, quam excludi cœtu christianorum mallet, sibi

---

[1]) recta linea, *add. B.* [2]) curvatura funis, ingenti spatio inter terræ convexa extensi, natura sic ferente terram peteret, *B.* [3]) quam lineam — definiat, *B.*

enim cum impare certamen fore prævidebat. Igitur, sperans, hanc causam sub aliud judicium olim venturam, absolutioni ecclesiasticæ se submittit; sententiam vero inter se ecclesiamque pronuntiatam tunc audit, quum archiepiscopus rem præmeditatus fuerat; cujus sententiæ summa erat, ut dimidia agri pars, quæ colono erat, templo cederet, quam lenem animadversionem, nullam damnationem tam gravis criminis, archiepiscopus appellavit. Colonus rem tacite tulit, nunc demum perspiciens, quo pacto causa instituta fuisset; neque tamen eo minus jacturam suam fortiter tulit, et archiepiscopo eandem atque antea obedientiam præstitit[1]. Interea procedit tempus, donec colonus in morbum letalem incideret. Tum sacerdotem privatum advocat, ut res extremæ necessitatis absolveret, et sacramentum a sancta ecclesia ordinatum acciperet. Inter alia sacerdoti sic loquitur: quum sciam, domine, inquit, te virum esse strenuum et confidentem, optimum, quem ex possessione mea elegeris, equum, unacum ephippio germanico[2] et frenis, muneri tibi dare volo, ut, quum mortuus ero, tale meum mandatum ad archiepiscopum Absalonem perferas, me vocare eum in judicium regis cœlestis, ut mihi coram eo de agro ceterisque rebus eodem pertinentibus respondeat. Sacerdos se munus hocce accepturum pollicetur, erat enim eximium, quanquam adjecta conditione aliquantum incommodi habere videbatur. Paulo post colonus fato fungitur, et, quantum humanis oculis judicari potuit, placide quievit. Sacerdos, quæ pollicitus erat, exsequitur, ad archiepiscopum properat, et in oppidum eo tempore advenit, quo tempore primis mensis accumbebat. Palatium ingressus ad solium accedit, salutatoque archiepi-

[1]) omnibus querelis abstinens, *add. B.* [2]) ejusdem præstantiæ, *B.*

scopo infit: jam colonus (quem proprio nomine nominavit) vita decessit, inquit, qui me hæc mandata suo nomine ad te, domine, perferre jussit, se vocare te ad solium regis cœlestis, ut ibi de diviso olim agro sibi satisfaceres. Hoc autem ipso puncto temporis, quo sacerdos loqui desierat, archiepiscopus illico exanimus ad pulvinaria recubuit. Quæ res toti regno ingentem terrorem, uti postea dicetur, incutiebat. Interea ad monasterium[1] antea nominatum revertemur. Accidit eodem die, quo archiepiscopus subita morte exspiravit, sero vespere post completorium[2], quum, nuntio de morte ejus nondum allato, fratres (monachi) cubitum ire cogitarent, ut vox lamentabilis ex angulo altaris audiretur, quæ sono suppresso et enervi locuta est: *Sora! Sora! pro me supplex ora!* Quæ verba sic intelligenda sunt, ut si vox monachos roget[3] sui mentionem submisse facere in conspectu Dei. Ex qua re [benigna clementia[4] Dei omnipotentis apparet; nam, quum archiepiscopus vivus deliquisset, mortuus veniam impetravit ad eos auxilii et solatii ergo respiciendi, de quibus optime meritus fuerat; [postquam enim fratres certo cognoverant, qua die archiepiscopus obiisset, omnis dubitatio eis sublata est, animam ejus deprecationis auxilium ab eis poposcisse[5]. Jam, quantus terror regnum hanc ob rem ceperit, breviter adtingemus. Accidit post paulo, ut homo quidam maleficus, a præfecto prehensus, vinculis constrictus et in carcerem inclusus esset; is tam pervicax malitiæque tam obstinatæ erat, ut omnia facinora a

[1]) Saram, *add. B.* [2]) i. c. cantum nocturnum, horam canonicam octavam, dici nonam pomeridianam. [3]) pro se deprecari et, *add. B.* [4]) justum judicium, *B.* [5]) Etsi enim de fratribus bene meruerat, tamen horum deprecationes ei mortuo non profuerunt; nam ex inferis nemo redimi potest, *B.*

se patrata mendaciis et perjuriis defenderet. Qui, noctu interdiuque in vinculis sedens, quum famam accepisset de rebus inter archiepiscopum et colonum intercedentibus, desperatis rebus suis, id consilium machinatus est, ut fatuum aliquem subornaret, qui toparchæ, a quo captus fuerat, diem suo nomine diceret; quæ vocatio cum superiori illa aliquantam similitudinem habuit, eo tamen discrimine, [ut poterat exspectari[1], quod hic in judicium principis inferorum, qui de nemine æqua facit judicia, vocavit. Factum tandem est astutia hujus perditissimi hominis, ut judex[2] legitimam pœnam ab eo expetere non ausus, turbulentum istum hominem elabi et quo vellet ire pateretur. Ex priori argumento facile intelligi potest, quanti ecclesiæ præsidis intersit, cavere, ne se templumve, cui præsit, pecunia male parta ditet; constat enim, Dominum ea esse integritate, ut, quod legitime non sit conciliatum, accipere nolit. Amen.

[1]) *omitt. B.* [2]) præfectus, *B.*

CHRONOLOGIA
HISTORIÆ KNUTIDARUM.

842. Regnare incipit Gormus Grandævus.

912. Gormus Grandævus filium Haraldum consortem imperii facit, Knût. c. 4.

942. Obit Gormus Grandævus, R. D.

992. Haraldus Gormides, R. D., sagitta ictus obiit, quum post patrem regnaverat annos 50 (47, Jom. c. 21), Knut. c. 4. Imperium capessit Svein Furcobarbus.

1008. Obiit Svein Furcobarbus, R. D., succedente Knuto Potente decenni.

1011. Rex Knutus, tribus annis domi peractis, in Angliam trajicit, eamque in potestatem redigit.

1028. Rex Knutus Potens Norvegiam subigit, Kn. c. 17. 18.

1035. Obit Knutus Potens, R. D., 13 Nov. in urbe Morstia (Kn. c. 18), natus annos 37, quum Daniæ imperaverat annos 27, Angliæ 24, Norvegiæ 7. Hördaknutus fit Daniæ, Haraldus Knutides Angliæ rex.

1037. Obit Gunnilda, Knuti Potentis filia, imperatrix Saxoniæ, Kn. c. 21.

1040. Obit Hördaknutus, R. D. et A.; Magnus Olavi f., R. N., rex Daniæ creatur, Sveinem Estrididem præfectum Daniæ constituit. Svein a Danis rex salutatur et creatur, Kn. c. 21. 22.

1043. Rex Magnus vere in Daniam cum classe proficiscitur; insequenti æstate arcem Jomensem expugnat et incendit; pridie festum Michaelis Vendos fugat in pugna Lyrskogensi prope amnem Skotborgensem. Initio hiemis Sveinem ad ins. Arroam fugat, paulo ante festum Jolense cum eodem ad Arosiam pugnat et victoria potitur.

1044. Rex Magnus Sveinem ex Selandia et Fionia in Sveciam depellit, vere in Norvegiam redit, autumno

in Daniam reversus cum Sveine ad Helganesum pugnat; Svein in Sveciam concedit, Magnus in Norvegiam recedit.

1045. Haraldus Sigurdi f. e Russia in Sveciam delatus, societate cum Sveine facta, Daniam subigit.

1046. Rex Magnus societate cum Haraldo Sigurdi f. inita Sveinem in Sveciam concedere cogit, domum reversus imperium Norvegiæ aum Haraldo communicat. Svein in Daniam redit ibique hiemat.

1047. Rex Magnus in Jotia moritur. Svein imperium Daniæ capit.

1062. Anno decimo sexto imperii Haraldi Severi prœlium Nizicum.

1065. Pax inter Haraldum Severum, R. N., et Sveinem Estrithium, R. D. (Anno proxime insequenti cadit Haraldus Severus in Anglia).

1076. Svein Estrithius, R. D., Knutum filium regem designat, et Suddatorpi moritur 3. Kal. Maii, 29 annis post mortem Magni Boni, 10 annis post obitum Haraldi Severi et Haraldi Godvinii in Anglia, 40 hiemibus a morte Knuti Potentis elapsis, Kn. c. 25. Comitiis Viburgensibus Haraldus Hein, excluso Knuto, rex eligitur et quatuor annos imperat, Kn. c. 26.

1080. Obiit Haraldus Hein, R. D., succedente Knuto Sancto, qui 6 annos imperat.

1086. 6. id. Jul. cadit Knutus Sanctus, R. D., in Fionia, Kn. c. 63, succedente fratre Olavo Sveinide, qui in Flandria in vinculis erat.

1087. Olavus Sveinides, intercedentibus Thorgunnæ filiis, vinculis liberatur et rex creatur.

1095. Obit Olavus Sveinides, R. D., quum octo annos imperaverat, succedente Eiriko Bono, qui octo annos imperavit, Kn. c. 81.

1103. Eirikus Bonus, R. D., peregre proficiscitur, filio Haraldo Kesia Daniæ præfecto, et Cypri obit.

1104. Nicolaus Sveinides imperium Daniæ capessit. Pallium Ozuri archiepiscopo a papa Pascali missum.

1130. Die 7. Januarii Knutus Lavardus per insidias necatur (Knut. c. 92. 97); die 14. Januarii natus Valdemar, Knuti Lavardi filius, postea R. D. (c. 93).

1131. Eirikus Emunius, frater Knuti Lavardi, adversus regem Nicolaum in saltu Jalangrensi pugnat.

1132. Eirikus Emunius arcem Haraldi Kesiæ, quæ Roskildiæ erat, expugnat.

1133. Roskildia ab Eiriko Emunio vastata, tribus annis post obitum Knuti Lavardi (c. 95).

1134. Eirikus Emunius cum rege Nicolao pugnat ad Fotvikam in Skania: cadit Magnus Nicolai filius. Rex Nicolaus Slesvici necatur, quum regnaverat annos triginta. Eirikus Emunius in regnum succedit. Pugna Fyrilevensis inter Magnum Cæcum et Haraldum Gillium, reges Norvegiæ; Haraldus Gillius ad Eirikum Emunium confugit, c. 100.

1135. Haraldus Kesia a fratre Eiriko Emunio necatus, c. 101.

1136. Eirikus Emunius Arconam Vindlandiæ expugnat, c. 101.

1137. Eirikus Emunius expeditionem in Norvegiam facit, c. 102. Obiit Ozur archiepiscopus Lundensis, quum cathedram 34 annos tenuerat, Askele archiepiscopo suffecto.

1138. Eirikus Emunius, R. D., a Plogo Nigro necatur, quum 4 annos regnaverat, c. 103, Valdemare Knuti filio tum octo annorum (c. 104); Eirikus Sapiens procurationem regni suscipit.

1139. Olavus, Haraldi Kesiæ f., contra regem Eirikum Sapientem insurgit, c. 106.

1141. Rex Eirikus Sapiens et Olavus prœliis inter se certant, victore Eiriko.

1142. Olavus, Haraldi Kesiæ f., prœlio cadit, c. 106.

1146. Eirikus Sapiens, quum octo annos regnaverat, regno se abdicat, et in monasterium Odinsoense concedit. Svein, Eiriki Emunii f., a Skaniensibus, Knutus Magni f. a Jotis rex creatur.

1147. Hierosolymis a Turcis (Nureddino) expugnatis, imperator Conradus expeditionem cruciatam suscipit, c. 108. Prœlium ad Slangatorpum inter Sveinem et Knutum, reges Daniæ. Eirikus Sapiens in monasterio obit, init. c. 119 (ubi pro 9=ix, legendum puto 11=xi.)

1148. Svein et Knutus decretam expeditionem cruciatam omittunt, c. 108; confligunt ad Torsteinstorpum, victore Sveine, qui in Selandia hiemat. Sacerdos Einar Skulii f. in Daniam venit. Valdemar Knuti f. se cum Sveine conjungit.

1149. Rex Svein et Valdemar cum rege Knuto confligunt ad Viburgum.

1150-1156. Contentiones et prœlia inter Sveinem et Knutum, reges Daniæ. Valdemar ad partes Knuti transit. Knutus et Valdemar se reges inaugurari faciunt.

1157. Regnum Daniæ inter regni æmulos dividitur; Valdemari Jotia, Knuto provinciæ insulares, Sveini provinciæ Gothicæ obveniunt (c. 112). Pax inter reges sancitur. Rex Knutus a rege Sveine Roskildiæ obtruncatur, Valdemare ægre evadente. Post festum Michaelis rex Svein prœlio cadit in saltu Grathensi.

1158. Rex Valdemar toto imperio Danico potitus, c. 119. Absalon episcopus Roskildiensis inauguratur. Rex Valdemar prædas in Vindlandia agit.

1159-1169. Expeditiones regis Valdemaris in Vindlandiam, quam, expugnata arce Arconensi, subigit et incolas ad christianismum perducit.

1170. Funus Knuti Lavardi e terra sublatum. Knutus, Valdemaris filius, paucos annos natus, rex inaugura-

tur, c. 124. Pax inter regem Valdemarem et Magnum Erlingi, R. N. Erlingus Skakkius regem Valdemarem Randarosi convenit. Autumno, expeditio regis Valdemaris in Vindlandiam.

1171. Expeditio regis Valdemaris: incensum Bramnesium, oppida Tribuzis et Tripide expugnata (c. 124). Geirthruda, filia Henrici, Ducis Brunsvicensis, Knuto Valdemaris filio desponsa, in Daniam mittitur sub festum Jolense (c. 125). Dux Henricus Brunsvicensis Hierosolyma proficiscitur.

1172. Rex Valdemar, ostium Flazense ingressus, loca circumjacentia inflammat, Burstaburgum deditione accipit.

1173. Rex Knutus Geirthrudam in matrimonium ducit. Askel se archiepiscopatu abdicat et Clarovallas in monasterium concedit. Absalon archiepiscopus eligitur. Expeditio Valdemaris in Vindlandiam. Obiit Christophorus regis Valdemaris filius (c. 125. 127).

1174. Absalon archiepiscopus pallio donatus, et legatus Daniæ Sveciæque creatus a papa Alexandro (c. 126). Expeditio Knuti regis et Absalonis in Vindlandiam. Posthæc quinque (v, forte x, decem) hiemes quietæ, c. 127.

1184. 2. non. Maii obit rex Valdemar Knuti filius, quum Daniæ imperaverat annos sex et viginti (c. 127). Rex Knutus in imperio Daniæ succedit.

CHRONOLOGIA
HISTORIÆ OLAVI TRYGGVII FILII NORV. REGIS.

(Cf. Fornmanna Sögur Vol. I-II; paginæ citatæ sunt textus Islandici).

---

851. Natus Haraldus Pulcricomus, R. N.

861. Haraldus Pulcricomus, decem annos natus, patri succedit, I, 3, 239.

867. Gardar Snjolandiam (Terram nivosam) quæsitum it, insulamque circumnavigatam Gardarsholmum (insulam Gardaris) appellat, et in Husavika hiemat, I, 235.

868. Gardar in Norvegiam redit. Flokius in Hjaltlandiam et inde Gardarsholmum navigat, et in Vazfjördo ad Bardastrandam hiemat, insulæque nomen Islandiæ imponit, I, 235-36.

869. Flokius in Norvegiam navigans ad litora Islandiæ rejicitur, ubi alteram hiemem agit, I, 236.

870. Flokius in Norvegiam revertitur. Ingolvus ac Leivus, societate cum Atlii filiis juncta, piraticam faciunt et autumno domum reveniunt. Sequenti hieme votum Halsteinis de ducenda Helga, Ingolvi sorore, I, 236-37. Obiit Jatmundus Sanctus, I, 239.

871. Ingolvus et Leivus cum Atlii filiis confligunt, quo prœlio Holmstein cadit, Herstein fugit. Autumno e piratica revecti, Hersteinem opprimunt et occidunt. Prædiis multati, navem in Islandiam trajecturi parant, I, 237-38.

872. Ingolvus et Leivus in Islandiam trajiciunt et in Alptafjördo orientali hiemem agunt, I, 238. Prœlium Hafursfjördense, I, 239.

873. Ingolvus et Leivus ab Islandia in Norvegiam revertunt. Leivus piraticam in Hibernia et terris adjacentibus exercet; Ingolvus, oraculo admonitus, profectionem in Islandiam comparat, I, 238-39.

874. Ingolvus et Hjörleivus ad Islandiam incolendam proficiscuntur; hic ad promont. Hjörleivi, ille ad promont. Ingolvi hiemat, I, 239-40, cfr. 276.

875. Hjörleivus ab servis necatus. Ingolvus necem ejus ulciscitur, servos in Vestmanneyis occidit, et alteram hiemem ad promont. Hjörleivi transigit, I, 240-41.

876. Vere Ingolvus occidentem versus proficiscitur, et tertiam hiemem sub monte Ingolvi, in occidentali ripa Ölvusaæ sito, agit. Interea columnæ Ingolvi, ad Arnarhvalum ejectæ, inveniuntur, I, 241.

877. Vere Ingolvus montana transcendit et sedem Reykjavikæ figit, I, 241.

911. Haraldus Pulcricomus, 60 annos natus, leges successionis constituit, et regnum inter filios dividit, I, 5, seqq.

919. Nascitur Hakon Bonus, N. R., I, 14, cfr. 21.

925. Regnum Angliæ adit Adalstein, legatos in Norvegiam mittit ad Haraldum Pulcricomum, I, 15.

926. Legatio Höki in Angliam; Hakon Bonus Adalsteini educandus mittitur, I, 15-16.

931. Haraldus Pulcricomus, 80 annos natus, Eiriko filio imperium tradit, I, 17, sqq.

933. Obiit Halvdan Niger, I, 18.

934. Initio anni obiit Haraldus Pulcricomus, anno imperii 73, ætatis 83[1]. Eirikus Sangvisecuris reliquum hiemis tributa cogit ex mediterraneis; vere fratres suos Tunsbergi prœlio invadit et occidit, I, 18-19.

[1]) Landnama, cum dicit, Islandiam annis sexaginta incolis plene fuisse frequentatam, forte significare voluit, hoc factum fuisse circa finem imperii Haraldi Pulcricomi; nam 874, additis 60, faciunt 934. Landn. P. 5. c. 15.

Autumno Hakon Bonus, audita patris morte, ex Anglia in Norvegiam navigat, habitisque in Thrandheimo comitiis rex creatur, I, 20-21. Principio hiemis regnum obit, et provincias Tryggvio et Gudrödo attribuit, I, 21. 22.

935. Vere appetente rex Hakon copias adversus Eirikum contrahit. Eirikus, relicta Norvegia, in Angliam concedit, et ab Adalsteine Northumbriæ præficitur, I, 22-23.

937. Prima festi jolensis nocte natus Hakon Sigurdi filius, postea dynasta Hladensis, I, 31. 55. cfr. 219.

940. Obit Adalstein, Angliæ rex, anno imperii 15to, succedente Jatmundo fratre, I, 23. Eirikus coactis ex Orcadibus, Hebudibus et Hibernia copiis, piraticam exercere aggreditur, I, 24.

941. Eirikus Sangvisecuris in Britannia prœlio cadit. Gunnhilda et Eiriki filii ex Northumbria profugiunt, et Orcadas et Hjaltlandiam sibi subjiciunt, I, 24-25.

942. Rex Hakon Bonus, cognita morte fratris Eiriki, classe Jotiam invadit, incolas prœlio fugat; litora Selandiæ, Skaniæ, Gothiæ populabundus visitat. Autumno in Vikam redit. Eodem autumno Tryggvius Olavi filius ex piratica occidentali advenit, I, 26-28. Obit Gormus grandævus, D. R., initium regni Haraldi Gormi filii, D. R.

943. Rex Hakon vere in Thrandheimum proficiscitur, Tryggvium Vikæ præficit ad tuendos regni fines, I, 28-29. Gunnhilda et Eiriki filii, cognito, Danos Norvegis bellum minari, ex Orcadibus profecti, ad Haraldum Gormi filium, D. R., se conferunt, I, 29-30.

944. Expeditiones piraticæ Eiriki filiorum mari Baltico; prœlia inter hos ac Tryggvium Vikæ præfectum, usque ad ann. 950.

949.[1] Comitia Frostensia, I, 32-35. Sub principium

[1]) Fagurskinna hæc refert ad 16tum annum imperii Hakonis.

hiemis sacrificium Hladis apparatum; convivium jolense Mœriæ celebratum: rex Hakon ritus sacrificales observare cogitur, I, 35-37.

950. Rex Hakon spiritus Thrandorum vi frangere parat. Filii Eiriki Vikam populantur, Tryggvium in fugam conjiciunt; ad quos avocatus Hakon, ope Thrandorum prœlium committit, Guttormum Eiriki filium obtruncat, et hostes fugat, I, 37-39.

953. Natus Eirikus Hakonides, I, 57[1].

954. Rex Hakon, cum 20 annos regnaverat, pugnat cum Eiriki filiis in Sunnmœria, cæsoque Gamlio victoriam reportat, I, 39-40.

959. Natus Haraldus Grœnlandus, Gudrödi filius, cfr. I, 90.

960. Pugna Stordensis, inter regem Hakonem Bonum et Eiriki filios, in qua Hakon victor letali vulnere sauciatur, anno imperii 26to[2], I, 40 sqq. Imperium Norvegiæ capessunt Haraldus Eiriki filius et Gunnhilda, et in medio regni prima hieme se continent; insequenti hieme pacificatio inter filios Gunnhildæ et Tryggvium ac Gudrödum, I, 47.

961. Compositio inter Gunnhildiadas et Sigurdum dynastam Hladensem, I, 49 seq. Consilia Gunnhildæ de opprimendo Sigurdo dynasta, I, 52 sq. Rex Haraldus et Gunnhilda sequenti hieme in Nordmœria consident, I, 53.

962. Insidiæ Sigurdo structæ, I, 53-54. Autumno Sigurdus dynasta in convivio concrematur, duobus annis elapsis a morte Hakonis Boni, I, 54-55. Hakon Sigurdi filius, 25 annorum, dynasta a Thrandis crea-

---

1) Secundum Fagursk. Hakon dyn. 15 annos natus Eirikum suscepit. 2) Anni imperii Hakonis l. c. numerantur ab anno 935, quo Eirikus e regno profugit. Nos ob sequentem synchronismum, eos numeramus ab anno 934, quo ipse Hakon rex creatus est.

tus, provinciam suam per tres proximos annos, 963-65 solus retinet, I, 55.

966. Pax inter Gunnhildiadas et Hakonem dynastam facta, per tres annos manet, 966-68, I, 57.

967. Natus Sigmundus Bresteris filius, II, 92, cfr. 97.

968. Autumno hujus anni amicitiam Hakon dynasta facit cum Tryggvio et Gudrödo; Gunnhilda ac filii, dolos subesse suspicantes, consilia agitant, I, 58.

969. Vere rex Gudrödus Gunnhildæ filius Tryggvium regem, dolo ad colloquium elicitum, necat; Haraldus Eiriki filius Gudrödum domi oppressum interimit, I, 59-60[1]. Haraldus Grœnlandus, Gudrödi filius, post necem patris in Upplanda fugit, ibique duas hiemes moratur, usque ad 971, I, 60-61. Astrida, conjux regis Tryggvii, necato marito, in insulam lacus (Randæ) gravida fugit, Olavum Tryggvii filium parit, et ibi per æstatem delitescit; autumno ad patrem se confert, I, 66-67. Gunnhildæ filii, subacta Vika frustraque quæsita Astrida I, 67-68, copias evocant, Hakonem dynastam aggressuri, quo cognito ille, vastata utraque Mœria et Römsdalo, in Daniam navigat; per æstatem mari Baltico piraticam facit; autumno per Jamtiam et Helsingiam terra profectus Gunnhildiadas e Thrandheimo expellit, I, 61-62. Ille deinde in Thrandheimo se continet usque ad 975, jam piraticam in mari Baltico faciens, jam Gunnhildiadas bello lacessens, I, 63, cfr. 89.

970. Hakon Norvegus ad quærendam Astridam ab Gunnhilda missus; illa vero a patre in Sveciam ad Hakonem grandævum mittitur, I, 68-72, ubi duas hiemes agit (971-72), I, 77.

971. Haraldus Grœnlandus in Sveciam fugit et quinque annos apud Tostium commoratur, usque ad 976, I,

[1]) Gudrödum et Tryggvium obiisse sex annis post mortem Sigurdi dynastæ, docet IV, 21.

61. Hakon Norvegus a Gunnhilda missus in Sveciam ad reducendum Olavum Tryggvii filium, I, 73-75.

972. Astrida filiusque Olavus trimulus, relicta Svecia in Russiam navigantes, ab Estonibus capiuntur et venundantur. Olavus sex annos in Estonia degit (973-78), I, 77-78.

973. Initium imperii Adalradi, Angliæ regis, I, 148.

975. Haraldus Eiriki filius (Grafeldus) contracto exercitu in Thrandheimum irrumpere parat; Hakon dynasta collecta manu Mœriam vastat, patruum Griotgardum prœlio occidit, et in Daniam fugit, I, 64 sq. Haraldus Grafeldus, subacto Thrandheimo, præfectum ibi relinquit fratrem Erlendum, qui sequenti hieme consilio Hakonis interfectus est, I, 65-66. 82. Consilia Hakonis de opprimendo Haraldo Grafeldo I, 82-86. Sequenti hieme in Norvegia maxima annonæ difficultas, I, 86[1].

976. Haraldus Grafeldus ab Haraldo Gormi filio invitatus, in Daniam proficiscitur, et Halsi ad Limafjördum interficitur, I, 87. Haraldus Gormides Norvegiam sibi subjicit, et inter Hakonem et Haraldum Grœnlandum dividit, I, 89. Gunnhilda et filii e Norvegia in Orcadas fugiunt, I, 90.

— Brester et Beiner in Færeyis interfecti, II, 92, cfr. 105. Sigmundus Bresteris filius Tunsbergum in Norvegia transvectus, ubi duos annos (977-78) agit, II, 96-97.

977. Vere Ragnfrödus Gunnhildæ filius ex Orcadibus in Norvegiam classe vectus, Sunnmœriam invadit; Hakon dynasta cum eo confligit et inferior discedit, Ragnfrödo provincias ultra Stadum retinente, I, 92-93.

978. Hakon dynasta, exercitu vere collecto, in Thinga-

[1]) Idem eodem tempore in Islandia accidisse, tradit Landn. Mantissa initio.

neso cum Ragnfrödo decertat, eumque e Norvegia excedere cogit; sequenti autumno et hieme in australi parte regni se continet, I, 94-96.

978. Sigmundus Bresteris filius, 12 annos natus, ex Vika proficiscens, ad Ulvum in monte Dovrico habitantem venit, et apud eum sex annos (979-984) versatur, I, 97, cfr. 101-102. 105.

— Olavus Tryggvii filius novennis ex Estonia Holmgardum deductus (I, 80. 96), ubi novem annos (979-987) versatur, I, 81.

981. Fridrekus episcopus et Thorvaldus e Saxonia in Islandiam veniunt, I, 275-76, cfr. I, 260, et Giljaæ primam hiemem agunt, I, 260.

— Olavus Tryggvii filius, 12 annos natus, rei militari operam dare cœpit, I, 98.

— Eirikus Rufus, in comitiis Thornesiis reus factus, Grœnlandiam quæsitum proficiscitur, quam inventam tres annis lustrat; primam hiemem in Eirikseya in medio fere tractu orientali agit, II, 214, cfr. 215.

982. Eirikus Rufus vere in Eiriksfjördum pervenit, tractum Grœnlandiæ occidentalem lustrat sequenti æstate, hiememque agit in Eiriksholmis ad Hvarfsgnypam, II, 214.

— Fridrekus episcopus et Thorvaldus Lækjamotum migrant, ibique tres[1] annos (982-84) habitant; Thorvaldus Hökadali nuptias celebrat, inter quas athletæ necati, I, 265.

983. Eirikus Rufus æstate in intimos recessus Eiriksfjördi penetrat, reversusque hiemem agit in Eirikseya in ostio Eiriksfjördi, II, 214-15.

— Imperium capessit Otto Juvenis, I, 148.

984. Eirikus Rufus ex Grœnlandia in Islandiam redit, ibique hiemat, II, 215.

[1]) Membr. h. l. legit iv (quatuor), sed pro iv legendum puto iii (tres).

984. Templum Asi in Hjaltadalo Islandiæ exstructum I, 268-69. 276.

— Sigmundus Bresteris filius, 18 annos natus, ad Hakonem dynastam venit, et cum eo sex[1] annos (985-990) versatur, II, 105-107.

985. Æstate Eirikus Rufus ad Grœnlandiam inhabitandam proficiscitur; eadem æstate 14 naves ex Borgarfjördo et Breidafjördo Islandiæ in Grœnlandiam perveniunt, II, 215.

— Fridrekus episcopus et Thorvaldus ex Islandia in Norvegiam navigant, I, 274. II, 215.

987. Olavus, Gardis relictis, ad Borgundarholmum confligit, in Vindlandiam navigat, Geiram ducit, ibique hiemem agit, I, 100; Otto imperator Daniam frustra invadit, I, 120.

988. Hakon dynasta munimentum Danorum contra Ottonem Juvenem defendit. Olavus Tryggvii filius Skaniam et Gotlandiam vastat, munimentum Danorum expugnat et in Vindlandiam redit; baptizati rex Haraldus Gormi et Hakon dynasta, I, 121-130. Apostasia Hakonis et defectio a Danis, I, 131-133.

989. Olavus Tryggvii filius vastat Saxoniam, Frisiam, Flæmingiam, et in Vindlandiam redit, I, 133.

990. Geira moritur; Olavus in Daniam e Vindlandia proficiscitur, I, 135[2]; inde expeditiones facit in Angliam, Northumbriam, Skotiam, Hebudes, Monam, Hiberniam, Britanniam, Valliam, per quatuor annos

---

[1]) Membr. h. l. legit iv (quatuor), sed pro iv legendum puto vi (sex). Sin minus, qui de Sigmundo agunt anni sequentes 990-91-92-93-94-95 mutandi sunt in 988-89-90-91-92-93; sic vero Sigmundus prœlio adversus piratas Jomenses interesse non potuit.

[2]) Profectionem Olavi Tryggvii filii e Dania in Russiam, ubi hiemat, ejusdem navigationem a Russia in Græciam, indeque iterum in Russiam, omisi, quod nec vero similis est, et rerum seriem et omnem chronolaxin conturbat.

usque ad 995, I, 143-145, 222. Sigmundus Bresteris filius in Færeyas trajicit; cædes Özuris; compositio Strömseyensis, II, 112; Skufeyæ hiemat Sigmundus.

991. Æstate Sigmundus in Norvegiam trajicit; decisio Hakonis dynastæ inter Sigmundum et Thrandum; Sigmundus in Norvegia hiemat, II, 113.

992. Obiit Haraldus Gormi filius, Daniæ rex. Initium regni Sveinis Furcobarbi, I, 164.

Sigmundus Bresteris vere in Færeyas redit. Conventus Strömseyensis. Æstate in Norvegiam navigat, Thuridam uxorem ducit; autumno in Færeyas redit, ibique hiemat, II, 114.

993. Olavus Tryggvii Syllingis baptizatur, I, 148; ad Angliam applicat, Gydam uxorem ducit.

Vere conventus Strömseyensis; æstate Sigmundus Bresteris in Norvegiam trajicit, autumno in Færeyas redit, ibique hiemat.

994. Vere conventus Strömseyensis; æstate Sigmundus in Norvegiam trajicit, ubi hiemem agit.

— Initio hiemis piratæ Jomenses vota faciunt, I, 164; festo jolensi in Jadarem excursionem faciunt, I, 166.

995. Initio anni prœlium inter piratas Jomenses et Hakonem dynastam, I, 169, seq.

— Vere Björn Britannicus e Norvegia in Britanniam, inde in Hiberniam navigat, I, 184. Sigmundus eodem vere in Færeyas redit, ibiquæ summæ rerum præest, II, 117. Obiit Haraldus Grœnlandus, I, 190.

— Vere eodem Thorer Klakka ab Hakone dynasta in Olavum Tryggvii filium subornatur. Olavus ex Hibernia in Hebudes navigat, inde in Orcades, Sigurdum dynastam capit et ad baptismum cogit; in Norvegiam navigat, Thorerem Klakkam interficit. Seditio colonorum adversus Hakonem, qui a Karko interficitur (principio hiemis, *íss var á Gaul*), I, 210.

Eirikus ac Svein Hakonis filii in Sveciam fugiunt, I, 232; II, 287.

995. Initio hiemis Olavus Tryggvii filius rex creatur, I, 224; regnum obit sequenti hieme, I, 232.

— Æstate natus Olavus Haraldi filius (Sanctus), I, 190.

996. Hieme vergente rex Olavus ad fines regni orientales proficiscitur.

— Primo vere in Vikam redit, ubi diu moratur: nuptiæ Thorgeiris et Hyrningi: Vika christiana facta, I, 276 seq.

— Æstate in Agdas proficiscitur; conventus Mostriæ in Sunnhördia (I, 279): Stefner in Islandiam missus religionis ergo (I, 285, cfr. 286), decretum in comitiis Islandicis contra religionem christianam I, 285; conventus Gulathingensis in Hördia, I, 297, cfr. 287: Erlingus Astridam, sororem regis Olavi, ducit uxorem, ibid.; conventus Drageidensis in Stado, I, 301: reliquiæ Sunnevæ in Selja collectæ, ibid.; Eirikus dynasta Hakonis filius uxorem ducit Gydam, Sveinis Furcobarbi filiam, II, 289. Rex in Nordmœria, I, 302; templum Hladense destruit, in Rödseyas trajicit, ibid.; in Halogiam proficisci cupiens, conspiratione incolarum cognita, in Thrandheimum redit, Nidarosi et Hladis commoratur, II, 17.

— Ögmundus Dittus Havardum necat, II, 69.

— Initio hiemis sacrificia in Thrandheimo: prima hieme conventus Frostensis, II, 34.

— Autumno ædes regiæ Nidarosi exstructæ.

— Sub festum jolense ædes Clementis perfecta.

— Secunda festi jolensis feria baptizati Kjartan et Bollius, II, 48; baptizati Hallfredus, Brandus liberalis II, 39-40.

997. Media hieme sacrificia Mœriæ, necatus Skeggius Yriensis II, 45; Thrandi religionem christianam acceptant II, 49: rex Gudrunam Skeugii filiam ducit

et mox dimittit, ibid. Hallfredus Thorleivum sapientem mutilat. Gunnar Bicolor ab Svecia reducitur II, 76.

997\. Vere Hallfredus in Gothiam proficiscitur; ibi duas hiemes agit ɔ: 997-98 et 998-99, II, 29, cfr. 211.

— Rex Sigmundum ex Færeyis arcessit II, 117.

— Æstate Stefner ab Islandia venit II, 118. Thangbrandus in Islandiam missus Thvattaæ apud Hallum Sidensem hiemat II, 120. 197.

— Sigmundus baptizatus et in Færeyas remissus: præpotentia Thrandi; Sigmundus Skufeyæ hiemat II, 223-224.

— Autumno rex convivando regnum obit.

— Prima hieme in Vikam delatus nuptias Sigridæ imperiosæ ambit II, 128.

— In Ringarikum profectus baptizat Sigurdum Porcam at Olavum Haraldi filium trimulum II, 129-30: in Vika per festum jolense commoratur, cfr. II, 128.

998\. Post festum Jolense rex Olavus Sigridam imperiosam in Albi de nuptiis convenit II, 130, cfr. 128. Rex in Vikam redit, Sigrida Sveini Furcobarbo nubit, ibid., rex Olavus tertia imperii sui hieme Thyriam Haraldi filiam Tunsbergi uxorem ducit II, 133. Ethnici cremati II, 134.

— Vere Sigmundus Bresteris Thrandum ad baptismum cogit, Færeyæ christianæ factæ II, 124-28. Rex Agdas et Rogalandum convivando obit II, 136.

— Pridie festi paschalis Thangbrandus Hallum Sidensem baptizat II, 201: gesta Thangbrandi II, 202-204: Skalholti hiemat II, 204.

— Prima feria festi paschalis Eivindus Kelda necatus, II, 140.

— Æstate Sigurdus et Hökus ab rege in Nordmœria capti effugiunt et apud Harekum in Thjotta hiemant II, 143-44.

— Rex Nidarosum pervenit ibique hiemat II, 143. Tasaldius in Norvegiam venit et Bardum ad Olavum

ducit II, 144. Finnus Sveinis filius religionem christianam amplectitur II, 153-64, cfr. 160.

999. Vere Harekus de Thjotta Nidarosum ad regem perductus II, 164. Supplicium Eyvindi Kinnrivæ II, 166 sq. Sigmundus in Norvegiam trajicit et æstate in Færeyas redit II, 168-71. Rex in Halogiam proficiscitur II, 174.

— Æstate regis in Halogia gesta, supplicium Rödi Valentis etc. II, 175-88. Hjaltius Skeggii et Gissur Albus ex Islandia veniunt et Nidarosi hiemem agunt II, 211. Thangbrandus ex Islandia advenit II, 206.

— Autumno rex in Thrandheimum remeat et Nidarosi hiemem agit II, 189. Hallfredus e Gothia in Norvegiam migrat et apud regem Nidarosi commorans carmen de resurrectione componit II, 213.

— Autumno Leivus Eiriki, 14 post habitatam Grönlandiam annis, in Norvegia baptizatur II, 215.

— Æstate cædes Gudrödi Gunnildæ filii II, 216: natus Haraldus, Olavi et Thyriæ filius, qui annum non vixit, II, 219.

— Hieme fabricatus Serpens longus II, 217. Legatio Rögnvaldi de petenda Ingibjarga Tryggvii filia II, 200-201.

1000. Rex Olavus Gissurem et Hjaltium in Islandiam mittit: christiana religio in comitiis universalibus Islandiæ lege recepta II, 232-44. Leivus in Grönlandiam redit ibique religionem christianam introducit II, 245. Hallfredus et Kjartan in Islandiam remeant II, 246. 253. Regis Olavi in Vindlandiam expeditio II, 244. 251. Nuptiæ Ingibjargæ et Rögnvaldi dynastæ Solii celebratæ II, 283.

— 5to iduum Septembr. (III, 11) pugna Svoldrensis inter regem Olavum Tryggvii filium et Sveinem Furcobarbum, Olavum regem Sveciæ Eirikumque dynastam.

INDEX
NOMINUM PROPRIORUM
IN
UNDECIMO VOLUMINE OCCURRENTIUM.

REGES DANIÆ

(vide Vol. 3. Tab. Gen. 5).

I.

Gormus Grandævus (R. D. 842-912), † 942.

Knutus Danasta (ɔ: Danorum deliciæ).
Haraldus Aurosus † 976.

Haraldus Cærulidens R. D. 912-992.
Svein Sömæsides R. D. 992—1008.

1) ex Gunnilda Burizlavi f. Knutus Potens, R. D. 1008-1035; ux. Emma. Haraldus † ante 1008.
2) ex Sigrida Skögulætostii f. Astrida, mar. Ulvus Th. Sprakaleggi filius. Gyda, mar. Eirikus Hakonis filius.

Haraldus R. Angl. 1035—1040.
Hördaknutus, R. D. 1035—1042, R. Angl. 1040—1042.
Gunnilda, (mar. Henricus 3. Imperator Germ.) † 1037.
(ex Alfiva Alfruni f.) Svein R. N. 1030—1035.
Svein Estrithius, R. D. 1047—1076; ux. Gunnilda, filia dyn. Sveinis Hakonidæ.
Björn.
Hakon, dyn. Norvegiæ, captus 1014.

Svein. — Henricus Claudus † 1134.
Ex concnb. 1) Haraldus Hein R. D. 1076—1080.
2) Knutus Sanctus R. D. 1080—1086; ux. Edla Baldvinii f. — Karl.
3) Benedictus † 1086.
4) Olavus *Fames*, R. D. 1086—1095; ux. Ingirida Haraldi Severi N. R. filia.
5) Eirikus Bonus R. D. 1095—1103; uxor: Botilda α).
6) Björn.
7) Svein.
8) Thorgils.
9) Nicolaus, R. D. 1104—1134; ux. Margareta Ingii f.
10) Guttormus. 11) Knutus. 12) Sigurdus. 13) Emundus. 14) Ulvus (Ubbius). 15) Ingirida, mar. Olavus Tranquillus, R. N. 16) Ragnilda, mar. Svein Askelis filius. — Knutus de Solio.

Haraldus Kesia (R. D. 1103—4) † 1135; ux. Ragnilda Magni Nudipedis filia. — vide II.
Knutus Lavardus, Dux Slesvic. † 1130; uxor Ingibjarga Haraldi filia β). — vide III.
Eirikus Emunius, R. D. 1134—8; uxor Malmfrida Haraldi filia β). — Svein Svidandius D. R. 1146—57; uxor filia Conradi Marchionis.
Ragnilda, mar. Hakon Norvegus γ) — Eirikus Sapiens, (R. D. 1138—1146) † 1147.
Magnus Robustus † 1134; ux. Rikiza Burizlavi filia δ) — Knutus Emunius, R. D. 1146—1157; ux. filia Sörkveris Sveciæ regis. Nicolaus.

α) Ulvus Gallicianus, uxor Botilda, filia dyn. Hakonis Eiriki filii.
Thorgötus Fögrumskinnius
Botilda, mar. Björn.

β) Valdemar, R. Holmgardiæ 980—1015
Jarozlavus
Valdemar ═ Gyda
Gudinius, dynasta
Haraldus, R. A. † 1066.
Haraldus, R. Holmgardiæ, ux. Kristina, f. Ingii Steinkelidæ, Sveciæ regis.
Ingibjarga, mar. Knutus Lavardus.
Malmfrida, mariti:
1) Sigurdus Hierosolymipeta, R. N.
2) Eirikus Emunius, R. D.

γ) Magnus Bonus R. N., † 1047.
Ragnilda, mar. dyn. Hakon Ivaris f.
Sunniva
Hakon Norvegus, dictus Sunnevides.

δ) Burizlavus, R. Vendiæ.
Rikiza, mariti:
1) Magnus Robustus;
2) Valadar, R. Poloniæ;
3) Sörkver Koli, R. Sveciæ.

II.

Haraldus Kesia, R. D. (I).

- Magnus.
- Björn Jarnsida, ux. Katrina, f. Ingii Steinkelis f., R. Sv.
  - Kristina, mar. Ericus Sanctus, R.Sv.
    - Knutus, R. Sv.
    - Katrina, mar. Nicolaus Blaka.
      - Kristina, mar. Hakon Senior (Galinus), dyn. Norvegiæ.
        - Knutus, dyn. Norvegiæ, † 1261.
    - Margreta, mar. Sverrer, R. N.
- Olavus † 1142.

III.

Knutus Lavardus, † 7. Jan. 1130.

- Margreta, mar. Stigus Hvitaledus.
  - Nicolaus.
  - Kristina, mar. Karl Sörkveris, R. Sv.
    - Sörkver, R. Sv., ux. Ingigerda, f. dyn. Birgeris Brosæ.
      - Jon R. Sv.
- Kristina, mar. Magnus Cæcus, R. N.
- Katrina.
- Valdemar, nat. 14. Jan. 1130, R. D. 1158—1184; ux. Sophia Valadaris filia ε).
  - Knutus, R. D. 1184—1202; ux. Gerthruda, f. Henrici, Ducis Brunsvic.
  - Valdemar, R. D. 1202—1241.
  - Rikiza, mar. Ericus Knuti, R. Sv.
    - Engilborg († 1254), mar. Birger, dyn. Svec. († 1266).
      - Valdemar, R. Sveciæ.
      - Rikiza (nata 1238), nupta (1251) Hakoni Juveni, R. Norv. († 1257).
      - Eirikus.
    - Eirikus, R. Svec.
  - filia, mar. Viljalmus Crassus, f. Henrici Ducis Brunsvic.
  - Engilborg, mar. Philippus 2., R. Galliæ.
    - Ludovicus Sanctus, R. Galliæ.
  - Ex Tova: Kristoforus, † 1173.

ε) vide supra in δ.

ζ) Vagn Akii filius.

- Thorgunna.
  - Astradus.
  - Svein.
    - Ozur, archiepiscopus Lundensis 1102—1137.
    - frater
      - Askel, archiepisc. Lund. 1137—1173.